

Google




FAIRE SANS DIRE

BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

CHEZ J. LAFFITTE, banquier, rue du Mont-Blanc, n° 11.
N. E. LEMAIRE, Éditeur, boulevard Italien, n° 22, en face des Bains Chinois.
H. NICOLLE, libraire, rue de Seine, n° 12, Fbg. St-.Germ.
BARROIS l'aîné, libraire, rue de Seine, n° 10, Fbg. St.-Germ.
P. DIDOT l'aîné, imprimeur du Roi, rue du Pont de Lodi, n° 6.
F. DIDOT, imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.
C. L. F. PANCKOUCKE, imp.-lib., rue des Poitevins, n° 14.
FR. IGN. FOURNIER, libraire, rue Mâcon, n° 10.
AUG. RENOUARD, libraire, rue St.-André-des-Arcs, n° 55.
AL. EYMERY, libraire, rue Mazarine, n° 30.
Et chez tous les libraires de France et des pays étrangers.

CORNELII NEPOTIS

QUÆ EXTANT OPERA

EXCUDEBAT FIRMINUS DIDOT,
REGIS ET GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

CORNELIUS NEPOS

EX LIBRIS SCRIPTIS EDITISQUE RECENSITUS

SELECTIS INTERPRETUM COMMENTARIIS

NOVISQUE AUCTUS

CURANTE

J. B. F. DESCURET

LITTERARUM ET MEDICINÆ IN ACADEMIA PARISIENSI DOCTORE

ALIQUOT NOTAS ADDIDIT ET EXCURSUS VARIORUM CONCINNAVIT

J. V. LE CLERC

PROFESSOR RHETORICES IN REGALI COLLEGIO CAROLI MAGNI



PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXX



EDITORIS PRÆFATIO.

Quum jam sæpissime, apud omnes litteratas gentes, viri, omni doctrinarum supellectile instructissimi, Cornelii Nepotis aureum libellum in lucem emiserint, hac nostra scriptoris elegantissimi nova editione tantorum virorum laborem æmulari, multo minus elevare, nequaquam menti occurrit. Imo nos, quæ facultatum et eruditionis nostræ infirmitas est, minime deceret horum menda, si quid aut negligentes aut fessi peccaverint, investigare et persequi, postquam laboris eorum quasi succum elicere, nobis utile admodum fructuosumque visum fuerit. Quoniam igitur de clarissimis illis editoribus, Lambino, Bosio, Heusingero, pluribusque nuperrimis fusius loqui pudor vetat atque ipsa grati animi memoria, peculiarem nostræ hujus editionis indolem paucissimis verbis expromere satis erit.

Principio, ut ipsa Nepotis verba quam maxime integra accurataque hic proferrentur, magnum operæ pretium fuit. Ergo, quamvis sæpius Bipontinorum lectionem fuerimus secuti; innumeris tamen in locis, qui vel subobscuri et perplexi videbantur, vel nimia emendationum audacia

vexati, a veteribus nostris bibliothecæ Parisiensis codicibus (præsertim n. 5857, 6143), vel ab optimis Batavorum Germanorumque scriptis aut editis libris, auxilium et lucem attenta comparatione mutuati sumus.

Varias vero lectiones, quippe quæ solæ justum volumen implere possent, universas edere quum penes nos non esset, certis finibus circumscriptos, eas tantum delegimus annotationibus intermiscendas, quas sententiæ vis, antiquitasve libri commendabat; neque adeo scribarum, sive operarum erroribus hinc inde colligendis insudavimus.

Delectus quoque habendus fuit in commentario. Multi enim explicanda prætereunt, in supervacuis immorantur. Dum elementa et syllabas examinant, annus est. Nos, perspicuæ brevitatis studiosi, optimis Variorum notis et criticis, et, quæ valde præstant, historicis, novas plures addidimus. Atque hic piaculum esset non fateri, quanto nobis adjumento fuerint editores Nepotis recentiores, J. Frid. Fischer, Th. Chr. Harless, Fr. Schmieder, F. R. Ricklefs, Chr. H. Paufler, atque in primis vir diffusæ doctrinæ plenus, et rerum grammaticarum studiosissimus, Car. Henr. Tzschucke, cui quantum debeamus ipse liber fidem faciet. Paucas etiam Guil. Henr. Bardili notas, quum Staveriana editio a V. C. recognita, opere hoc fere absoluto, Stutgardiæ prodiisset, inter Excursus ad voluminis finem rejecimus. Quin, priscæ eruditionis apparatum

non sufficere his temporibus arbitrati, non tantum cum Nepotis verbis Græcorum Latinorumque sententias usitate contulimus; sed, ut patriæ ipsius nostræ quasi ingenium editio hæc nova præ se ferret, Gallorum quoque scriptorum locos similes identidem laudavimus, pro quibus veniam nos vel ab alienigenis impetraturos confidimus. Sic et, exacta uniuscujusque imperatoris aut illustris viri vita, post Græcos Latinosque, qui hujus mentionem fecerint, ad Gallica etiam scripta lectorem, si quid explicatius velit, remittimus.

Restat, ut de additamentis pauca moneantur. Editionem hanc locupletavimus, statim ab initio, Vita Cornel. Nepotis a G. J. Vossio scripta, Notitia litteraria J. A. Fabricii, veterum ac recentiorum de Nepote testimoniis; exinde, mantissæ instar, rerum memorabilium Chronologia ex editione altera Tzschuckii, ob brevitatem et fidem, desumpta, et iis, quos vocant, Excursibus: hic J. H. Schlegelii *Observationum* librum, quem Th. Chr. Harless, dum alias doctissimum et ad fructum plenissimum agnoscit, parcimoniæ causa invitus suppresserat, fere totum maxima, ut tale opus decebat, cura exscribi jussimus. Excursus claudet hactenus inedita inter Plutarchum et Nepotem comparatio. Tum occurrent duo Indices, novo studio emendati, alter historicus et geographicus, grammaticus alter; tandemque Index præcipuarum editionum,

a V. C. Barbier ideo lingua vernacula scriptus, quod singulari diligentia de libris in Gallicum versis egit vir humanissimus.

Nihil porro neglectum nobis, nihil intentatum, quo nova hæc puri et candidi scriptoris editio quum venustissima, tum quadam utilitate commendabilis esse posset. Quod si quid in longo opere mancum sit aut mendosum, ignosce, lector, et vale. Scr. Parisiis, MDCCCXX.

CORNELII NEPOTIS

VITA ET SCRIPTA,

EX G. J. VOSSII LIB. I

DE HISTORICIS LATINIS, CAP. XIV.

CORNELIUS Nepos et ante Cæsaris dictaturam, et eo dictatore, et postea, vixit. Hieronymus in Chronico Eusebiano refert illum ad annum Augusti quartum. Nec cuiquam repugnem, colligenti inde, tum demum divulgare ea cœpisse opera, quibus maxime inclaruit. Padi erat accola, teste Plinio lib. III, cap. 18 : unde Catullo, epigrammate primo, Italus; Ausonio autem, Epist. XXIV, Gallus vocatur; nempe quia Italia Transpadana diceretur Gallia Togata. De urbe patria quidquam se habere comperti, negat Elias Vinetus in Auson. Idyll. VII. At, Veronensem fuisse, in Leandri Alberti Italia lego, uti et in Cosmographia optimi atque amicissimi quondam viri, Pauli Merulæ. Imo ex Veronensium historicorum syllabo (quem doctissimus amplissimusque Alexander Becellus, Veronensis urbis cancellarius, fecit, ac illustrissimus comes, Fernandus Nogarola, vir, ut genere, ita litterarum studio, nobilissimus, cum V. C. Laurentio Pignorio, atque is mecum communicavit) intelligo, natum fuisse Nepotem in Hostilia [1]: qui Veronensium vicus est, Tacito,

1. Parmensem tamen fuisse affirmat, invitis doctis, clarissim. comes *Rezzonico*, in Disquisitionibus Plinianis, tom. II, pag. 58.

Plinio, Cassiodoro, et Antonino in Itinerario memoratus, hodieque ecclesiasticæ Veronensium jurisdictioni subditus. Historicus hic Ciceronis amicus familiaris a Gellio vocatur, lib. XV, cap, 28. Chronica scripsisse, testis est idem Gellius, lib. XXVII, cap. 21. In his pro triplici tempore, ἀδήλῳ, μυθικῷ, καὶ ἱστορικῷ (de quibus ex Varrone et aliis, libro de arte historica, diximus), tres videtur scripsisse libros, ac singulis unius temporis narrationem esse complexus. Sane tres libros fecisse Nepotem, quibus omne ævum comprehenderit, liquido testatur Catullus initio hendecasyllaborum. Nec historicum tempus ab eo solum esse tractatum, indicio est illud Ausonii: « Apologos Titiani, et Nepotis Chronica, quasi alios apologos (nam et ipsa instar fabularum sunt), ad nobilitatem tuam misi. » Item ex eo, quod Tertullianus in Apologetico adversus gentes (ubi eum inter antiquitatum commentatores disertim reponit) dicit, haud aliud Saturnum, quam hominem, promulgasse. Quod etiam Lactantius tradit, lib. I, cap. 13. Reliquit præterea libros Illustrium virorum, quorum Gellius meminit, lib. XI, cap. 8, et Servius in I Æneid. Eorum librum I, XV et XVI citat Charisius. Ex his habemus viginti duos exterarum gentium imperatores. Ceteris libris egisse de Romanis, hæc ejus verba ostendunt in extrema Hannibalis vita: « Sed nos tempus est hujus libri facere finem, et Romanorum explicare imperatores [1]; quo facilius, collatis utrorumque factis, qui viri præferendi sint, possit judicari. » Operis ejus genuina inscriptio patet ex ultimis hisce præfationis verbis: « Quare ad propositum veniemus, et in hoc exponemus libro VITAS EXCELLENTIUM IMPERATORUM. » Præter imperatores seorsum exarasse librum de Regibus, argumento hæc erunt, quæ

1. In quibus erat et Julius Cæsar, teste Gulielmo Pastregico Veronensi, homine quartidecimi sæculi, De Originibus rerum, p. 17: « Scripsit et Julii Cæs. vitam et tempora, cujus fulsit temporibus. »

Timoleontis vitæ subdit : « Hi fere fuere Græciæ gentis duces, qui memoria digni videbantur, præter Reges: namque eos attingere noluimus, quod omnium res gestæ separatim sunt relatæ. Neque tamen hi admodum sunt multi. » Externi imperatores, quos habemus, Æmilii esse Probi a multis creduntur. Qui error inde provenit, quod librario id fuerit nomen, qui vitas eas, partim sua, partim patris et matris manu scriptas, Theodosio obtulit. Hoc ita esse, ostendunt versiculi, qui vitis istis præmitti in MSS. solent. Ac nec Æmilium, nec Theodosiani ævi quemquam, eorum esse librorum auctorem, abunde arguit pura et Romana dictio. Opinetur aliquis, ut Trogus ab Justino, ita ab Æmilio, qui sub Theodosio vixit, in compendium esse redactum Nepotem. Sed aliud suadet operis concinnitas, et illa præfandi ratio, quæ est in Epaminondæ vita, ac in Pelopida imprimis, ubi brevitatem justam pollicetur. Attamen sententia hæc, licet erronea, minus periculi habeat, dummodo extra controversiam maneat, Æmilium omnia de purissimis Nepotis fontibus hausisse. Sane Tulliani esse ævi scriptorem, neque alium, quam Nepotem, tum veterum aliquot librorum indicio cognoscitur; tum etiam, quod ad Pomponium Atticum (cujus idem rogatu de vita Catonis librum fecit) vitæ istæ scribantur : utcumque id in quarto Miscellaneorum suorum neget Hieronymus Magius, qui ipsa Nepotis præfatione satis refellitur. Accedit et altera ratio. Nam his in libris ea legere est, quæ opus hoc scriptum esse clamant, quo tempore Pompeius et Cæsar plus poterant, quam libera in republica expediret. Ea Lambinus loca congessit, ut nihil attineat illa hic reponere[3]. Nec libris istis de Viris il-

3. Et nunc tamen repugnat G. Fr. Rinck toto libro : *Saggio di un Esame critico per restituire ad Emilio Probo il libro*, De vita excell. imp., *creduto communemente di Cornelio Nepote.* Venetiis, 1818. Respondit vero Joele Kohen : *Considerazioni sul Saggio*, etc. Mediolani, 1819.

lustribus solum persecutus est excellentes imperatores; sed etiam commentátionibus claros. Quod argumentum signat B. Hieronymus, præfatione de Scriptoribus ecclesiasticis, ubi Nepotem inter eos refert, quorum exemplo acturus sit de iis, qui scribendo claruerunt. Egit autem Nepos tum de Græcis scriptoribus, tum de Latinis. De Græcis, colligo inde, quod in Dionis vita dicat, librum se fecisse de illustribus historicis : in quo inter alia tractarit de Philisto historico. De Latinis, argumento sunt plurima. Nam de Terentio egisse, ex Suetonio scimus in Terentii vita, Donato perperam tributa. Ad hæc, primum de vita Ciceronis librum Gellius citat, lib. XV, cap. 28. Eoque ex opere fragmentum Hieronymus affert, Epist. ad Pammachium. Imo verisimile est, inde esse tum vitam T. Pomponii Attici, quæ extat, tum vitam Catonis, quam istis claudit verbis : « Hujus de vita et moribus plura in eo libro persecuti sumus, quem separatim de eo fecimus rogatu Titi Pomponii Attici. Quare studiosos Catonis ad illud volumen relegamus. » Aperte indicat, eo nunc de Catone brevius se agere, quia separatim de eodem scripserit. Ergo vita illa Catonis, quam paucis perstrictam habemus, majoris pars est voluminis, in quo Romanorum complurium vitæ continerentur. Reliquit etiam Exemplorum libros, quos citant Gellius, lib. VII, cap. 18, et Charisius, lib. I. Alia quoque ejusdem laudant veteres; sed non item, quæ ad historiam pertineant[4]. Nam ex epistola

4. Titzius, in Introduct. p. 19, hæc scribit : « Consideranti fragmenta scriptoris nostri, illa præcipue, quæ ex Plinii majoris Historia naturali conquisita sunt, observabitur fortasse mecum, C. Nepotem plura insuper opera edidisse, quorum titulos etiam ignoramus. Namque aperte docent horum fragmentorum compluscula, Geographica quædam ab illo esse concinnata; sicut ex aliis concluserim, de Antiquitatibus peculiare ejusdem quoddam extitisse. » Ab hac Titzii sententia se non alienum profitetur recens editor; qui conficit ex Plinio, Epist. V, 3, Poeticen quoque attigisse Cornelium.

ejus ad Ciceronem quædam Lactantius affert, lib. III Institut. Divinar. cap. 15. Quemadmodum et Ciceronis ad Nepotem epistolæ meminit Tranquillus in Julio, cap. 55, Ammianus Marcellinus, initio libri XXVI, ac Priscianus, lib. VIII. Imo et secundum Ciceronis epistolarum librum ad Nepotem Macrobius citat, l. II Saturnal. cap. 1. Quod si quis fragmenta omnia Nepotis desideret, longe iis colligendis priorum vicit industriam Andreas Schottus. Hermolaus Barbarus, castigationibus in Plinii lib. XV, cap. 24, censet, libellum de Viris illustribus, qui Plinio tribui solet, Cornelii Nepotis esse, haud Plinii; atque id veteribus codd. adstrui posse asseverat. Etiam Jani hæc Parrhasii sententia fuit. Utrius sit, dubitari ait Vinetus, nec ea de re statuere quidquam ausus est. Imo aliqui, aut Suetonium, aut Tacitum, esse auctorem, putarunt: ut indicat Gyraldus, dialogismo XXVI. Sed omnino sunt Sexti Aurelii Victoris, ut satis nunc constat ex editione Andreæ Schotti. Non dubito interim, quin pleraque ex Nepote Victor desumpserit. Nam quod Ludovicus Vives, lib. V de tradendis disciplinis, Nepotem, ait, de Græcis solum ducibus scripsisse, id satis refellitur verbis Nepotis antea adductis. Vir doctissimus, Jo. Maria Catanæus, commentario in Plinii librum IV, epistol. 28, quæ ad Severum scripta est, etiam Daretem Phrygium a Nepote translatum arbitratur. Nempe decepit eum vulgaris ἐπιγραφή. Attamen et hic aqua hæret Vineto, notis in Auson. Idyll. VII. Negat esse, qui certi aliquid de tralatione hac ausit affirmare. Atqui omnes, quibus ullum in hisce litteris judicium est, satis vident, nec Daretem illum esse genuinum, nec dictionem ejus Augusteam sapere ætatem, sed recentiorem multo. Nepotem autem Cæsaris Augusti obiisse ævo, Plinius testatur, lib. IX, cap. 39. Atque hoc fortasse impulit Genebrardum, ut putaret, eum nato jam Christo superstitem fuisse: qui et Jacobum Gualterium,

quum primum tabulas ederet chronographicas, in eam sententiam pertraxit. Sed Nepotem eo usque ætatem prorogasse, nemo temere dixerit, qui tanti eum in litteris nominis jam Tullii, Attici, Catulli temporibus, fuisse cogitarit.

NOTITIA LITTERARIA

DE

CORNELIO NEPOTE,

EX JO. ALB. FABRICII BIBLIOTHECA LATINA, A JO. AUG. ERNESTI AUCTIUS EDITA, T. I, C. 6.

Cornelii Nepotis ætas.

CORNELIUS Nepos natus fertur in Hostilia [1], qui vicus est Veronensium in Transpadana Italiæ parte, quæ antiquis Gallia Togata appellabatur. Padi accolam vocat Plin. III, 28, Hist. Scriptor ingenio, studio veritatis, sermonisque pura ac succincta elegantia laudatissimus, Catulli, qui ei carmina sua inscripsit, civis et amicus; amicus etiam Ciceronis, et T. Pomponii Attici, cujus rebus domesticis sæpe propter familiaritatem interfuisse testatur in ejus vita, c. 13. A Callisthene liberto [2] venenis corruptus obiit primis annis principatus Augusti, hoc est, post annum U. C. 724, qui fuit ante Christum natum XXX. De Nepote extat singularis dissertatio Dan. Guilielmi Molleri,

1. Vide Vossium, lib. 1 de Hist. Lat. c. 14. Onuphrius Panvinius, Veronensis, in catalogo illustrium scriptorum Veronensium, lib. sexto Antiquitatt. Veronens. pag. 145 : « Constantissimo civitatis nostræ testimonio Cornelium Nepotem virum doctissimum et antiquitatum omnium peritissimum Veronensem fuisse traditur, cui in summa cum Catullo, Vitruvio et reliquis Veronensibus illustribus etiam statua posita est ex publica auctoritate. »

2. Plutarch. in Lucull. c. 43. Sed errat gravissime Fabricius. Vide Fragment. pagin. 300. *Editor.*

Altdorfii, a. 1683, 4; cui jungendus Jo. Nic. Funccius, de virili ætate Latinæ linguæ, parte II, p. 224 seq.

Vitæ, quæ extant.

Extant ejus vitæ excellentium Græciæ imperatorum sive belli ducum XX, dicatæ Pomponio Attico, atque uno volumine concludere gestientes, quorum separatim multis millibus versuum complures scriptores ante eum explicaverant, ut ipse ait in Epaminonda, cap. 4. Ducum intellige, I, Miltiadis; II, Themistoclis; III, Aristidis; IV, Pausaniæ; V, Cimonis; VI, Lysandri; VII, Alcibiadis; VIII, Thrasybuli; IX, Cononis; X, Dionis; XI, Iphicratis; XII, Chabriæ; XIII, Timothei; XIV, Datamis; XV, Epaminondæ; XVI, Pelopidæ; XVII, Agesilai; XVIII, Eumenis; XIX, Phocionis, et XX, Timoleontis. In quibusdam editionibus, ut Oxoniensi, a. 1675 et 1697, 8, additur Vita Aristomenis Messenii, non auctore Nepote, sed Pausania, ex ejus Messeniacis, græce ac latine. Imperatorum Græcorum vitis Nepos subjecit, XXI, brevem de Regibus Persarum Græcorumque commemorationem, in cujus initio innuit, omnium se res gestas separatim retulisse, qui liber hodie non extat. Sed extat præterea Vita XXII, Hamilcaris Barcæ; et XXIII, filii ejus Hannibalis, Imperatorum Carthaginiensium. Romanorum quoque belli ducum vitas similiter tradiderat Nepos, e quibus sola ætatem tulit XXIV, Catonis majoris, in cujus extremo testatur, se de Catone separatim librum fecisse rogatu T. Pomponii Attici. Sed et ille pridem intercidit. Denique Nepote auctore scriptam habemus hujus ipsius, XXV, Attici[1] vitam; quam inter Ciceronis Epi-

1. In codice Gifanii ante vitam Attici legebatur : « Ex libro Cornelii Nepotis de Latinis historicis. » Sane de Illustribus historicis librum se fecisse testatur Nepos in Dione, ut Vossio etiam animadver-

stolas ad Atticum servatam notat Vinetus, ad Ausonii Idyll. VII. Ejus priora duodeviginti capita, Attico vivo, Nepos edidit, cetera post ejus obitum subjunxit. Capite XVIII scripta Attici commemorat, de quibus vide, si placet, quæ ibi annotarunt viri docti: nihil enim eorum ætatem tulit, licet ad nos pervenisse, quæ de familiis Romanis, quæ de Magistratibus scripserat Atticus, etiam atque etiam erat optandum. Integrum nomen Attici, cujus vitam Nepos describit, est T. Pomponius Atticus, et postquam a Q. Cæcilio avunculo eum contigit adoptari, Q. Cæcilius Pomponianus Atticus, ut notatum Ezechieli Spanhemio, t. II operis de usu numismatum, p. 81. Epicureum fuisse multa suadent, etsi diserte hoc videtur negare Cicero, XIII, 1, Epist. ad familiar. Confer Petrum Victorium in castigationibus ad Ciceronem, p. 203; Abbatis de S.-Real Cæsarionem, in ejus dialogis Historicis Moralibus, p. 91 seq.; Guil. Templeum, in dissert. de horto Epicuri, t. II Opusculorum Gallice editorum, p. 115, 117; auctorem dissertationis insertæ diario Hagensi (Journal littéraire, t. V, p. 141 seq.); denique Nic. Mongaltum, Epistolarum Ciceronis ad Atticum interpretem Gallicum, et ex illo Petri Bælii Novellas Reip. litterariæ, a. 1686, p. 1405 seq.; Memorias Trevoltinas, a. 1714, p. 1907; Jac. Bernardum, in Novellis Reip. litterariæ, a. 1716, p. 298; et Henrici Christiani Crellii diss. de Attico nec forti nec ingenuo cive, Lips. 1720, 4.

Earum auctor diversus ab Æmilio Probo.

Æmilium Probum, ad quem veluti auctorem Vitas imperatorum variæ editiones male referunt, constat vixisse sub Theodosio imperatore, cui Nepotis volumen sua et avi scriptum ac recensitum, matris manu ornatum forte

sum. Vitam Attici separatim cum notis, glossario et nomenclatore edidit Ernstius Amst. 1658, 8. Obiit Atticus ab U. C. 722, æt. 77.

et expolitum, obtulit, ut colligere licet ex ipsis illis versibus antiquo Codici præfixis, quibus Probum auctorem harum vitarum facere viri docti voluerunt:

Vade liber; nostri, fato meliore, memento;
Quum leget hæc dominus, te sciat esse meum.
Ne timeas fulvo strictos diademate crineis,
Ridenteis blandum vel pietate oculos.
Communis cunctis, hominum sed regna tenere
Se meminit; vincit hinc magis ille homines.
Ornentur steriles, facilis tectura, libelli:
Theodosio et doctis carmina nuda placent.
Si rogat auctorem, paullatim detege nostrum
Tunc Domino nomen; me sciat esse Probum.
Corpore in hoc manus est genitricis, avique, meique:
Felices, Dominum quæ meruere, manus!

Diversus ab Æmilio Probo et junior est Probus, vir doctus et illustris, de quo Sirmondus ad Ennodii lib. VII, Epist. 27.

Versiones.

Versionem Vitarum Nepotis Græcam habuit Jo. Christophorus Wolfius, incerto auctore. Initium est: ὁ Μιλτιάδης τοῦ Κίμωνος, ἐκ τῆς τῶν Ἀθηνῶν πόλεως, τῇ παλαιᾷ γενέσει καὶ τῇ δόξᾳ τῶν προγεγενημένων, etc.

Versiones vernaculas, puerorum causa scriptas Germanice, non attinet commemorare, nec libellos phraseologicos, aut imitationum puerilium libros[1]. Belgice versus est a Jo. Hilaride, Roterod. 1688, 12; Gallice a Bernardo Girardo, Paris. 1568, 4; ab Ant. Pineto, quem sæpe a

1. Non est prætereunda tamen versio novissima, ceteris præstantior, auctore clar. *Bergstræssero*, cum ejusdem annotationibus, quæ prodiit Francofurti ad Mænum, anno 1783, octava forma.

vero sensu aberrasse notat Colomesius[2] ad Gyrald. p. 202; ab Ant. le Gras, Paris. 1729, 12, quæ parum fidelis esse judicatur ab ipsis Gallis. Vitam Attici vertit Jo. Franc. Sarasinus in Opusculis, Paris, 1685, 2 vol. 12. Hic est Sarasinus, qui sub Attici secundi nomine scripsit bellum parasiticum, sive Satiram in Petr. Monmorium. Anglice a pluribus versus est, Oxon. 1684, 8. Vitam Iphicratis vertit Andr. Allam, teste Wood, Athen. Oxon. t. II, p. 595; Atticum Matth. Hale. Totus Nepos a Jo. Clarke, additis notis et indice, Lond. 1726, 1732. Italice vertit Remigius Narninus, Florent., Venet. 1550, 8. Etiam Veron. 1732, 4, una cum versione Catonis et Attici a Dionys. Ramazzino facta. Vid. Act. Erud. nov. suppl. p. 248. Hispanicam et Polonicam versionem memorat D. G. Mollerus, in Diss. de Nepote, §. 19. Hungarice vertit Georg. Ballog. Vid. Czwittinger, in Hung. litter. p. 29, qui Sempronii editam hanc versionem tradit. Danice, interprete Jo. Dabergio, prodiit Havn. 1669, 8.

Libri, qui ad illustrandum Nepotem pertinent.

Ad illustrandum Nepotem pertinet Jo. Scheferi specimen animadvers. in Nepotis Miltiadem, Hamb. 1675, et inter ejus prælectiones.

Nepotem a Scioppio cum duobus MSS. collatum nactus Mich. Piccartus loca quædam emendat in Periculis criticis, capite X. Nonnulla etiam castigaverat Scioppius ipse in libris Verisimilium et Suspectis Lectionibus.

Jo. Mich. Heusingerus, Isenaci, a. 1744, 4, edidit egregium Spicilegium Emendationum et Observationum ad Cornelii Nep. vitas XVIII priores, quo plura menda corriguntur, loca obscuriora explicantur, alia a sinistris in-

2. Errat hic iterum Fabricius, dum pro Plinio, XXXV, 2, Nepotem accipit. Plinium enim a Pineto versum citat Colomesius. *Editor.*

terpretationibus vindicantur. In hoc Spicilegium animadversiones dedit Van Staveren in Obs. Miscell. Dorvill. posterioribus, t. VI, p. 513 seq., in quibus se adversus ejus reprehensiones defendere conatur.

His addantur J. H. Schlegelii Observationes criticæ et historicæ in Corn. Nep. cum chronologia rer. Græcar. et Persicar. Carthaginiens. et Romanar. ad eumdem auctorem illustrandum, Havniæ, 1778, 4, p. 11 seq.; Franc. Theodor. Kohlius in comment. criticis, Hamb. et Kiloni, 1727, 8; I. C. S. explanatio verborum Nepotis; T. Pomponius Atticus ab ultima origine stirpis Romanæ generatus, in Misc. Lips. nov. t. III, part. IV, p. 669; Schwabe, Rectoris Buttstad. comment. Periculum ad Corn. Epaminondam, cap. VIII, 1780, 4.

Scripta deperdita.

Cornelii Nepotis scripta deperdita tum ab ipso, tum ab aliis veteribus, hæc memorantur :

Libellus, quo distinguit litteratum ab erudito. Sueton. cap. IV de Grammaticis.

Chronicorum libri tres[1]; de quo opere Catullus :

Jam tum, quum ausus es, unus Italorum,
Omne ævum tribus explicare chartis,
Doctis, Jupiter! et laboriosis.

Exemplorum libri, quorum quintum laudat Gellius, VII, 18.

Illustrium Virorum libri complures, quorum undeci-

1. Ausonius, Epist. XVI (Veneti edit. III) : « Nepotis Chronica quasi alios apologos, nam et ipsa instar sunt fabularum, ad nobilitatem tuam misi. » Quod nimirum non minus jucunde narrarent afficerentque lectorem, quam fabulæ. Nam fidei Nepotis nihil voluisse detrahere his verbis Ausonium, patet ex his, quæ subjungit : « Gaudens atque etiam glorians fore aliquid, quod ad institutionem tuorum, sedulitatis meæ studio conferatur. » Ex ead. Epistola.

mum, decimum quintum, et decimum sextum allegat Sosipater Charisius, libro II. In his videntur fuisse Vitæ Regum Græcorum aliorumque, etiam illustrium Romanorum, quas Nepos ipse composuisse se testatur, et liber de illustribus Historicis, quem scripsisse se refert in Dione. Sic etiam de illustribus Poetis scripsisse colligas e Suetonio in Terentii vita, et de Oratoribus illustribus, etc.

Liber de Vita M. Porcii Catonis separatim scriptus rogatu Attici, ut Nepos ipse auctor est in extremo brevis de Catone commemorationis, quæ hodie extat.

Libri de vita Ciceronis, quorum primum laudat Gellius, XV, 28.

Libri Epistolarum ad Ciceronem, quorum primus citatur a Lactantio, III, 15. Quemadmodum et Ciceronis ad Nepotem Epistolas commemorant Suetonius in Cæsare, cap. 55, Macrobius, itemque alii.

In Catulli versibus ad Nepotem, « Quum ausus es, unus Italorum, Omne ævum tribus explicare chartis, » Petro Possino in notis ad Nicetæ Orat. de laudibus SS. Archangelorum, p. 59, *unus* videtur idem esse quod *primus*, perinde ut apud Hebræos interdum *echad*, et apud Græcos εἷς. Sed si primus fuit illo tempore Nepos, qui id ausus est, facile etiam, quum Catullus scriberet, solus esse potuit: alloquitur enim Catullus eum ut æqualem. Magis placet præstantissimi viri Jo. Antonii Vulpii conjectura, qui *tribus chartis* interpretatur libris non tribus præcise, sed paucis, vel brevibus. Vide, si placet, ejus notas ad Catullum.

Fragmenta, et de Corneliæ matris Gracchorum Epistola ad C. Gracchum.

Fragmenta Nepotis ab Andrea Schotto diligenter collecta, atque inde in plerisque Cornelii editionibus recusa

sunt, quibus subjiciuntur etiam e veteri libro Abbatiæ Fesulanæ et altero Britannico per Ant. Augustinum et Jac. Bongarsium A. Schotto transmissa fragmenta duo ex Epistola Corneliæ, virtutibus et eloquentia clarissimæ feminæ, quæ Scipionis Africani filia[1], Tiberii Gracchi Censoris uxor, Gracchorum vero Tiberii, et Caii, ac decem præterea liberorum, mater fuit. Scripta est ad C. Gracchum filium, ut eum deterreret a capessenda Republica, et vindicanda nece fratris T. Gracchi; licet ipse quoque deinde fratre, qui ante trigesimum ætatis annum obtruncatus fuerat, novem annis minor, somnio monitus rem gessit, neglecta matris opportuna dehortatione, postque tribunatum occisus est, anno U. C. 633, ante Ch. CXXI. Cornelia illa maluit vidua Romæ curam gerere educationis liberorum, quam cum Ptolemæo, Ægypti rege, qui nuptias ejus ambibat, regnare, ut refert Plutarchus in vita Gracchorum fratrum, p. 824. Caii Gracchi librum memorat idem, p. 828; orationem pro Vettio, p. 835. Tib. Gracchi eloquentiæ specimina quædam exhibet, p. 828, 831 seq., C. Gracchi, p. 836. Ubi etiam de ejus in matrem veneratione, statuaque Corneliæ a filio posita; quæ tantam domus suæ cladem miserosque filiorum casus fortissimo atque invicto animo tulit, ut, præter Plutarchum, p. 843, celebrat Seneca, consolatione ad Marciam, c. XVI. Eloquentiæ Gracchorum testimonium est et hoc Mamerti Claudiani, Epistola ad Sapaudum Rhetorem: « Nævius et Plautus tibi ad elegantiam, Cato ad gravitatem, Varro ad peritiam, Gracchus ad acrimoniam, Chrysippus ad

1. Quintilianus, lib. I, cap. 1: « Gracchorum eloquentiæ multum contulisse accepimus Corneliam matrem, cujus doctissimus sermo in posteros quoque est Epistolis traditus; et Lælii filia reddidisse in loquendo paternam elegantiam dicitur; et Q. Hortensii filiæ oratio apud Triumviros habita legitur non tantum in sexus honorem. » De Gracchorum eloquentia vide Plutarchum, p. 825. Epistolarum Corneliæ ad filium Caium quoque meminit in eadem vita, p. 840.

disciplinam, Fronto ad pompam, Cicero ad eloquentiam capessendam usui sint. »

Alia duo fragmenta e MS. Bibliothecæ Guelferbytanæ edidit Cl. Heusingerus, Gymnasii Guelf. Rector, ad calcem Theodori de Metris, et Nepoti vindicavit. Ea repe rit in antiquo Cod. Orationum Philippicarum Ciceronis, in cujus prima pagina scriptum est primo elogium eloquentiæ Ciceronis e Lactantio, nominatim orationum Philippicarum; eique subjectum aliud cum hoc titulo: *Cornelius Nepos in libro de historicis Latinis.* Non abhorrere hæc fragmenta a Nepotis, aut seculi istius charactere, disputat non improbabiliter. Nec tamen audeam pro certo aliquid decernere.

Scripta Nepoti falso tributa.

I. Liber *de Viris illustribus*, incipiens a Proca rege Albanorum, non est Nepotis, nec Plinii secundi, neque Æmilii Probi, nec Suetonii, neque Asconii Pediani, nec Taciti denique, sed Aurelii Victoris, ut in *Victore* dicam. Sæpius tamen sub Nepotis nomine est editus, et confidentissime quidem a Raphaele Eglino Iconio, Tiguri, anno 1600, 8, hoc titulo: « Cornelii Nepotis de Viris illustribus liber, additamento ex MSto auctus; antehac Æmilio Probo, post Suetonio Tranquillo, diutissime C. Plinio Cæcilio secundo, nuper Sex. Aurelio Victori, nunc liberali causa Auctori assertus. » Equidem Victorem e Nepotis opere de Viris illustribus multa in hunc suum libellum derivasse, libenter viris doctis assentiar; sed verum auctorem ex MSS. codicum fide et A. Schotti argumentis existimandum esse Victorem haud dubito. Sub Nepotis nomine prodiit etiam Germanice, Argentorati, 1535, fol. una cum Sallustio.

II. Daretis Phrygii *Historia excidii Trojæ*, quæ latine

circumfertur cum Pseudo-Dictye, sive L. Septimii[1] Romani libris VI Ephemeridos belli Trojani[2], etsi præfixam habet sub Nepotis nomine Epistolam ad Sallustium Crispum, qua affirmat, se Daretem e Græca in latinam linguam Athenis transtulisse; communi tamen eruditorum suffragio tam eleganti ac terso scriptore indigna existimatur. Daretis librum[3] de bello Trojano ex perantiqua editione, sine anni et loci notatione, in 4, cum tribus carminibus Prudentii servat Bibl. Paullina Lipsiensis, ut me monuit cl. Schœttgenius, qui etiam de Dictye Casp. Barthii judicium jubet consulere ad Gratii Cynegeticum, v. 21. Antiquissima editio horum scriptorum latina (Græca enim pridem periere) est Mediolanensis, anno 1477. Inde commemoranda venit Veneta Franc. Faragonii, anno 1499. Prodiere etiam Vitebergæ, 1512, apud Jo. Grunebergium sive Viridimontanum; apud Augustinianos; et cum tribus

1. Alii Quintum Septimium vocant, ut Barthius LVII, 7, LVIII, 11, Vossius de Hist. lat. p. 742, et Tho. Bartholinus de legendis libris p. 93. Notas in Septimium hunc promisit idem Barthius, quem vides is ad Gratii Cynegetic. v. 21. Prosper vero Mandosis, tomo 2. Bibl. Romanæ, anno 1692 edito, p. 26, laudat, « editionem nuperam juxta MSS. Codices emendatam, quæ Lutetiæ prodiit apud Roh. Stephanum. »

2. Auctor eos inscripsit Q. Aradio Rufino, qui sub imp. Constantino consulatum gessit, a U. C. 316, aitque, Dictyn opus suum conscripsisse primum litteris Punicis, oratione Græca; postea a nescio quo *Praxi* sive *Eupraxide* litteris Atticis transcriptum oblatumque esse Neroni imp. atque inde a se versum latine. Ceterum S. Ambrosio æqualem vel supparem esse hunc scriptorem sive interpretem, verisimilis est Vossii conjectura, IV, 50, de Idololatria; quanquam Scioppius et alii longe antiquiorem esse putaverint. At enim vel propter styli nævos sequiorem redolere ætatem demonstraverunt viri doctissimi Jo. Frid. Gronovius, c. XXV observat. Ecclesiast. et Jac. Perizonius in diss. de Dictye, c. XXXVIII.

3. De aliis Daretibus Reinesius ad inscriptiones veteres, pag. 852. Hoc loco ille innuitur, scilicet, de quo Homerus Iliad. ε, v. 9 : Ἦν δέ τις ἐν Τρώεσσι Δάρης ἀφνειὸς, ἀμύμων, ἱρεὺς Ἡφαίστοιο, etc. Vide lib. 1 Bibl. Græcæ, cap. 5; ubi etiam de Dictye. Citatur Dares antiquis in scholiis ineditis ad Persii I, 51. Vide Josephi Wasse Bibliothecam litterar. Anglice editam Lond. 1724, 4, num. VI, p. 5.

Libanii declamationibus consimilis argumenti, Lugduni, apud Gryphium, 1552, 12. (Et Dares seorsim, 1516, 4, ibidem, et idem, 1608, 8, Antv. apud Joach. Trognæsium; Duaci, sumptibus Balth. Belleri, 1632, 8. Una cum Dictye, Basil. 1529, 8, ab Erasm. Roterod. ibid. 1573, 8, per Pet. Pernam; Amst. apud Guilielm. Blaeu. 1630, 16.) Prætereo editionem Daretis Dictyisque Parisiensem, anno 1560, 8; et Lugdunensem, anno 1569, 8. Nec minus versionem Gallicam Joannis de la Lande, Paris. 1556, 8; et Italicam, Tho. Porcacchino auctore, excusam Venet. 1543, 8. Gallice ex versione Caroli Bourguille prodiit Dares Cadomi, 1573. Dictyn Gallica veste donare molitus est Burdelinus. Vide Diarium Londinense, the history of the works of the learned, a. 1703, p. 222. Dares Germanice ex interpretatione Marci Tatii, Augustæ Vind. 1536, fol. cum iconibus. Novissime Parisiis vidit lucem Mythologia sive historia Deorum[4] cum versione Gallica Daretis a Puteano (par M. Dupuy), Paris. 1731, 12. Dictys Germanice redditus a Joanne Heroldo, Basil. 1554, fol. Etiam Russice Dictys et Dares excusus Moscuæ, anno 1712, 8. Vide Acta Erud. 1714, p. 488. Prodiit etiam Dares cum Homero Spondani, adjuncta Pseudo-Pindari[5] Thebani Epitoma Iliados, latino carmine Hexametro

4. Journal des Sav. 1732, Mars, p. 291. Lettres sérieuses et badines, T. 6, p. 191.

5. Allegatur a Lutatio ad Statii VI Thebaid. v. 120, ubi vide, si juvat, Lindenbrogium, itemque Barthium, t. 3, p. 393 seq., qui auctorem vetustum bonique ingenii appellat, LVIII, 14, et LIX, 1 et 15 Adversar., ubi integrum recenset, nec dubitat Josepho Iscano Devonio præferre. A Laurentio Valla inepte antelatus est ipsi Virgilio, ut notavit Jovianus Pontanus, libro primo de Sermone, capite 18. Primus edidit Laurentius Abstemius, teste Vossio. Antiquam Florentinam editionem, quarta forma, memorat Joannes Cinellus, in Bibliotheca volante, T. VII, p. 66, sub titulo : « Homerus de bello Trojano. » In MSS. Biblioth. Annæbergensis inscribitur : « Homerus per Pindarum insignem Oratorem de Græco in Latinum traductus. » Vide Christiani Gotthold Willischii arcana Bibliothecæ Annæbergensis, pagina 18.

scripta, Basil. 1583, fol. Dares item Dictysque subjectus Diodoro Siculo ex Poggii versione edito latine, ibid. 1578, fol. Ab eo tempore Josias Mercerus, elegantissimi vir ingenii, et exquisitæ doctrinæ, Daretem cum Dictye ad binos MSS. codices Petri Danielis et Pauli Petavii castigato, notisque illustrato, emendatius in lucem dedit Paris. 1618, 12. Mercerianam editionem secuta Amstelodamensis, anno 1631, forma minore. Digni quoque hi duo scriptores habiti sunt, qui in usum Delphini illustrarentur, uti factum est haud infeliciter ab Anna, Tan. Fabri filia, Paris. 1680, 4. Hinc cum Josiæ Merceri, Casp. Barthii, Ulrici Obrechti, Prætoris Regii, qui vetus MS. Argentoratense contulit, Paullique Vindingii ad Dictyn notis, Dares recensitus est a V. C. Samuele Artopœo, cujus diligentia index etiam insignis accessit, Argentorat. 1691, 8. Denique Amstelodamenses, anno 1701, in quarta et octava forma Daretem et Dictyn, utinam satis emendate, recuderunt ex editione in usum Delphini, cui, præter notas universas ex editione Argentoratensi repetitas, adjunxere nunquam prius editam Jac. Perizonii viri eruditissimi dissertationem de Dictye, in cujus extrema parte varia hujus scriptoris loca illustrantur; tum nummos quosdam gemmasque veteres ad illustrandum Dictyn a Ludovico Smids V. C. collectas; denique Josephi Iscani[6] Devonii, Excestrensis, poetæ, pro ætate illa, non inelegantis, poema Heroicum in sex libros distinctum de bello Trojano, cum notis Samuelis Dresemii Dithmarsi, per singulas paginas substratis. Indicem quoque Dareti et Dictyi subjunxerunt, non

6. Josephus Iscanus poema suum de bello Trojano dicavit Thomæ Balduino Archi-Episcopo Cantiorum sive Cantuariensi. De Iscani porro nugis amatoriis vide Menagii Anti-Bailletum, T. II, p. 325, et p. 434 editionis majoris, cum Monetæ annotat. De bello ejus Antiocheno sive Antiochide et aliis scripptis, Jo. Lelandum de scriptoribus Britannicis editum nuper ab Antonio Hall, Oxon. 1709, 8, p. 237. Alia de eo Chr. Daumius notis ad Bernardum Geystensem, pag. 73.

qualem locutionum minus obviarum, usus que vocabulorum singularis adornavit clariss. Artopœus, sed qualis in editione Delphini occurrit, index omnium vocabulorum. Josephi quoque Iscani poema exhiberi poterat ex emendatiore et integriore Joannis Mori editione Londinensi, anno 1675, 8. Dresemius enim, qui hoc poema recte Josepho Iscano restituit, et eruditis notis illustravit, Francof. 1623, 4, nullis codicibus MStis, sed tantum tribus editionibus anterioribus[7] usus fuerat, quibus hi libri, majore adhuc inscitia, quam prosarius Dares, Cornelii Nepotis tanquam auctoris nomen gerunt præfixum. In omnibus vero istis editionibus omissi sunt, post lib. I v. 32, hi versus, quibus continetur encomium Balduini, cui poema hoc suum pro illa temporum suorum barbarie facundum et comptum auctor dicavit, Archi-Episcopi Cantuariensis, sub finem seculi a nato Ch. duodecimi. Versus illos primus, quod sciam, e MSto codice produxit Tan. Faber in notis ad Longinum, p. 169 edit. præclaræ Tollianæ:

In numerum jam crescit honos, te tertia poscit
Infula, jam meminit Wigornia, Cantia discit,
Romanus meditatur apex, et naufraga Petri
Ductorem in mediis exspectat cymba procellis.
Tu tamen occiduo degis contentus ovili,
Tertius a Thoma (*Cantuariensi*), Thomasque secundus, et alter
Sol oriens, rebus successor, moribus heres.
Felices, quos non trahit ambitus, etc.

7. Prima editio est ab Albano Torino, Basil. 1541, 8, cum Pseudo-Pindari epitome Iliadis, Darete prosario, et Homeri Iliade ex latina Nicolai Vallæ et Vinc. Obsopœi versione. Tam corrupte autem vulgata est, notante Jo. Lelando, p. 239, de scriptoribus Britannicis, «ut si pater ipse in prolem redivivus oculos converteret tam informem, cognosceret plane nunquam.» Hanc secuta est editio Henischii, Basil. 1573, 9. Altera extat ad Calcem Homeri græce et latine editi et illustrati a Joanne Spondano, Basil. 1583, 8, et 1603, fol. Tertiam

Pseudo-Daretis duos Codices MSS., unum Canonicorum Lateranensium Patavii, alterum Aloysii Corradini, laudat Jo. Rhodius in notis ad Scribonium Largum, p. 60. Citatur Dares a Freculfo, lib. 2 Chronici, cap. 17.

Præter novam Gallicam Daretis versionem obviam in libro edito Paris. 1731, 12, *Mythologie et histoire des Dieux, des demi-Dieux et des plus illustres Héros de l'antiquité païenne, par M. Dupuy, où l'on fait voir que le culte, les Mystères, les Sacrifices, et les autres Cérémonies du Paganisme ne sont que des copies imparfaites de l'Histoire sainte;* Daretem Gallica prosa verterat seculo jam tertio-decimo Gotofredus de Waterfordia, Hibernus, Ord. Prædicatorum. Vide Jac. Echardum, de scriptoribus Ordinis Dominicani, t. I, p. 467. Non omittendum, quod Dares Gallico etiam metro adstrictus extat in codice seculi XII membranaceo bibliothecæ Ambrosianæ Mediolanensis. Vide V. C. Bernhardi de Montfaucon Diarium Italicum, p. 19, et Palæographiam Græcam, p. 138, ubi habes versus quosdam Metaphrasi illi præmissos. Conferenda itidem Historia Trojana scripta a Guidone de Columna Messanensi, a. U. C. 1289, atque edita Argentinæ, 1486 et 1489, fol. Utraque editio ad manus mihi est. Incipit: « Licet cotidie vetera recentibus obruantur. » In ejus prologo hæc verba leguntur, in quibus latinus Dictyos interpres multa Græci omisisse arguitur : « Ea quæ per Ditem (lege Dictyn) Græcum et

denique ab Alexandro Carolo Trognæsio editam Dresemius memorat, quam non vidi. Ceterum non videtur esse dubitandum, quod Josephus Iscanus argumentum sive periocham poematis sui adsciverit Daretem latinum prosarium, unde deinde factum est, ut, quemadmodum liber ipse Pseudo-Daretis, ita etiam Iscani poema Cornelio Nepoti tribueretur. Scripsit et alia iste Iscanus Devonius, sed, quod sciam, nondum edita, *Antiocheidem*, cujus in Britannia meminit Cambdenus, magni eum, quum viveret, inter suòs habitum testatus. Vide Johannam Prince in Anglico opere de illustribus Devoniis, vel si liber ille ad manus non sit, consulantur Acta Eruditor. anni 1702, p. 289.

Phrygium Daretem, qui tempore Trojani belli continue in eorum exercitibus fuere præsentes, et horum, quæ viderunt, sunt fidelissimi relatores, et in præsentem libellum per me judicem Guidonem de Columna Messana transumpta legentur, prout in duobus libris eorum inscriptum quasi una vocis consonantia inventum est Athenis. Quanquam autem hos libellos quidam Romanus, Cornelius nomine, Sallustii magni nepos, in latinum transferre curaverit, tamen dum laboraret nimium brevis esse, particularia historiæ ipsius, quæ magis possunt allicere animos auditorum, præ nimia brevitate indecenter omisit. In hac igitur serie libelli totum invenitur inscriptum, quod de tota historia universaliter et particulariter gestum fuit. » Idem scriptor ad calcem operis : « Et ego Guido de Columna judex de Messana prædictum Ditem (Dictyn) Græcum in omnibus sum secutus, pro eo quod ipse Dites (Dictys) perfectum et completum fecit in omnibus opus suum ad litterarum videlicet solatium, ut veram notitiam habeant præsentis Historiæ, et ut magis delectentur in ipsa. Et ego historiam ipsam ornassem dictamine pulchriori per ampliores metaphoras et colores, et per transgressiones occurrentes, quæ ipsius dictaminis sunt picturæ. Sed territus ex magnitudine operis etc. » Non intermisit tamen Guido varia ex suo seculique sui ingenio attexere, ut lectori attento facile patebit. Italice lucem vidit Venetiis, 1481, fol. Germanicæ versionis MS. in Bibl. Cæsarea, meminit Lambecius, t. II, p. 948. Latinos Codices MSS. laudat Mongitor, t. I Bibl. Siculæ, p. 266.

In Lucæ Dacherii spicilegio, t. IV, p. 485, *Historia Homeri, ubi dicit et Dares,* legendum *ubi Dictys et Dares,* ut jam notatum Paullo Colomesio in Bibl. selecta, p. 168.

III. Falso quoque uti ad Alexandrum M. auctorem, sic ad Cornelium Nepotem tanquam interpretem refertur

commentitia Epistola *de mirabilibus Indiæ*, cum inscriptione: Alexander Magnus Aristoteli, præceptori suo, salutem dicit. Græce nunquam vidit lucem; latine vero, præter editiones in Bibliotheca Græca, lib. II, c. X, sect. 17, a me memoratas, excusa est nuper Giessæ Hassorum, 1706, 8, curante Andrea Paullino, qui nec de auctore, nec de interprete ambigendum ratus, in schola Darmstadiensi eam prælegere discipulis suis instituit. Quanquam vero certum est, in hac Epistola legi pleraque hujuscemodi, qualia de Indiæ mirabilibus vel commentati vel commenti olim sunt Onesicritus, Orthagoras, et alii rerum gestarum Alexandri scriptores; tamen hanc Epistolam ab Alexandro scriptam, vel a Nepote versam, minime mihi persuadeo.

Plures Cornelii scriptores.

Petrus Nannius Alcmarianus librum singularem de claris Corneliis scripsit ad Cornelium Musium Delphium, eumque suæ præclaræ Nepotis editioni inseruit A. Schottus. In illo libro caput V est de Corneliis scriptoribus. Sunt autem præter Nepotem nostrum hi : Cornelius Gallus, et Cornelius Tacitus, Cornelius Calvus orator, et Cornelius Severus, ac Cornelius Licinius Calvus, poetæ. His addi possunt non pauciores alii, ut Cornelius Thuscus, quem in suasoriis deridet Seneca; Cornelius Alpinus apud Horat., quem cum Gallo confundunt nonnulli; Cornelius Capitolinus, laudatus Trebellio Pollioni in Odenato; L. Cornelius Sulla dictator, ejusque libertus Cornelius Epicadus, qui librum, quem de gestis suis patronus scripserat, supplevit, teste Suetonio. Vide sis Vossium de Hist. latinis, apud quem habes etiam de Cornelio Boccho et Cornelio Valeriano, quos allegat Plinius. Ex Corneliani libro contra Beronicem nonnulla affert Stobæus, sermone IV. Alios Cornelios præter Nannium retulit Jo. Glandorpius in Ono-

mastico Romano, et qui de familiis Romanis scripserunt Antonius Augustinus, Rich. Streinius, et alii. Adde sis T. Cornelium Nepotem Architectum, cujus Monogramma ex templo S. Vitalis Ravennensis refert idem vir doctissimus Montfauconus in Diario Italico, p. 98. Nepos apud Horatium, Epod. 1, 34, *discinctus aut perdam ut Nepos*, nomen proprium, si credimus viro docto Mich. La Roche, t. V, New memoirs of literature, p. 32 seq.

DE CORNELIO NEPOTE

TESTIMONIA ET JUDICIA.

TESTIMONIA VETERUM SCRIPTORUM.

NEPOS IPSE IN VITA ATTICI, CAP. XIII.

ATQUE hoc non auditum, sed cognitum prædicamus. Sæpe enim propter familiaritatem domesticis (*Attici*) rebus interfuimus.

M. TULLIUS CICERO,

LIB. XVI AD ATTIC. EP. V.

Nepotis epistolam exspecto. Cupidus ille meorum? qui ea, quibus maxime γαυριῶ, legenda non putet? Et ais, μετ' ἀμύμονα: tu vero ἀμύμων, ille quidem ἄμϐροτος.

C. VALER. CATULLUS,

IN LIBELLO CARMINUM AD CORNEL. NEPOTEM, CARM. I.

Quoi dono lepidum novum libellum,
Arida modo pumice expolitum?
CORNELI, tibi. Namque tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas,
Jam tum, quum ausus es, unus Italorum,
Omne ævum tribus explicare chartis,

Doctis, Juppiter! et laboriosis.
Quare habe tibi, quidquid hoc libelli est,
Qualecumque: quod, o patrona virgo,
Plus uno maneat perenne sæclo!

POMPONIUS MELA,

LIB. III DE SITU ORBIS, CAP. V.

Cornelius Nepos, ut recentior auctor, ita certior.

PLINIUS,

LIB. III NATUR. HISTOR. CAP. XVIII.

Nepos Cornelius, Padi accola.

IDEM, LIB. V, CAP. I.

Minus profecto mirentur portentosa Græciæ mendacia, ... qui cogitent, nostros nuper paulo minus monstrifica quædam tradidisse: prævalidam hanc urbem, majoremque Carthagine magna, ... quæque alia Cornelius Nepos avidissime credidit.

IDEM, LIB. IX, CAP. XXXIX; ET LIB. X, CAP. XXIII.

Nepos Cornelius, qui divi Augusti principatu obiit.

PLINIUS JUNIOR,

LIB. IV, EPIST. XXVIII.

Herennius Severus, vir doctissimus, magni æstimat in bibliotheca sua ponere imagines municipum tuorum, Cornelii Nepotis et Titi Cassii; petitque, si sint istic, ut esse credibile est, exscribendas pingendasque delegem.

Quam curam tibi potissimum injungo : primum quia desideriis meis amicissime obsequeris; deinde quia tibi studiorum summa reverentia, summus amor studiosorum; postremo quod patriam tuam omnesque, qui nomen ejus auxerunt, ut patriam ipsam, veneraris et diligis.

IDEM, LIB. V, EPIST. III.

Scio non corrumpi in deterius, quæ aliquando etiam a malis, sed honesta manere, quæ sæpius a bonis fiunt. Inter quos vel præcipue numerandus est P. Virgilius, Cornelius Nepos, et prius Ennius Acciusque; non quidem hi senatores, sed sanctitas morum non distat ordinibus.

A. GELLIUS,

LIB. XV NOCT. ATTIC. CAP. XXVIII.

Cornelius Nepos et rerum memoriæ non indiligens, et M. Ciceronis, ut qui maxime, amicus familiarisque fuit.

Q. SEPTIMIUS FLORENS TERTULLIANUS,

LIB. II AD NATIONES, CAP. XII.

Extat apud litteras vestras usquequaque Saturni census. Legimus apud Cassium Severum, apud Cornelios Nepotem et Tacitum, apud Græcos quoque, Diodorum, ... quique alii antiquitatum canos collegerunt.

IDEM, IN APOLOGETICO, CAP. X.

Saturnum, quantum litteræ docent, neque Diodorus Græcus aut Thallus, neque Cassius Severus aut Cornelius Nepos, neque ullus commentator ejuscemodi antiquitatum, aliud quam hominem promulgarunt.

MINUCIUS FELIX,

IN OCTAVIO, CAP. XXII.

Saturnum omnes scriptores vetustatis, Græci Romanique, hominem prodiderunt. Scit hoc Nepos et Cassius in historia, et Thallus ac Diodorus hoc loquuntur.

L. COELIUS LACTANTIUS FIRMIANUS,

LIB. I DIVIN. INSTITUT. CAP. XIII.

Omnes, non tantum poetæ, sed historiarum quoque ac rerum antiquarum scriptores, hominem fuisse (*Saturnum*) consentiunt, qui res ejus in Italia gestas memoriæ prodiderunt : Græci, Diodorus et Thallus; Latini, Nepos, et Cassius, et Varro.

S. HIERONYMUS,

IN CHRONICO EUSEBIANO, NUM. MDCCCCLXXVII, AD OLYMP. CLXXXV ANN. I.

Cornelius Nepos, scriptor historicus, clarus habetur.

IDEM, IN PRÆFAT. AD LIBR. DE SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS.

Hortaris, Dexter, ut, Tranquillum sequens, ecclesiasticos scriptores in ordinem digeram, et, quod ille in enumerandis gentilium litterarum fecit viris illustribus, id ego in nostris faciam. Fecerunt quidem hoc idem apud Græcos Hermippus Peripateticus, Antigonus Carystius, Satyrus, doctus vir, et longe omnium doctissimus Aristoxenus Musicus; apud Latinos autem Varro, Santra, Nepos, et, ad cujus nos exemplum vis provocare, Tranquillus.

D. MAGNUS AUSONIUS,

CARMINE AD LATINUM PACATUM DREPANIUM EPIGRAMMATIS PRÆFIXO.

Cui dono lepidum novum libellum ?
Veronensis ait poeta quondam,
Inventoque dedit statim Nepoti.
At nos illepidum, rudem libellum,
Burras, quisquilias ineptiasque
Credemus gremio cui fovendum ?
Inveni (trepidæ silete nugæ)
Nec doctum minus, et magis benignum,
Quam quem Gallia præbuit Catullo.

IDEM, EPISTOLA XVI AD PROBUM PRÆF. PRÆT.

Apologos Titiani, et Nepotis chronica, quasi alios apologos (nam et ipsa instar sunt fabularum), ad nobilitatem tuam misi, gaudens atque etiam glorians, fore aliquid, quod ad institutionem tuorum sedulitatis meæ studio conferatur.

JUDICIA RECENTIORUM SCRIPTORUM.

ONUPHRIUS PANVINIUS,

Catalogo illustrium script. Veronensium, l. VI *antiquit.*

Constantissimo civitatis nostræ testimonio C. CORNELIUM NEPOTEM, virum doctissimum, et antiquitatum omnium peritissimum, Veronensem fuisse, traditur, cui in summa curia cum reliquis Veronensibus illustribus etiam statua posita est ex publica auctoritate. Eum Plinius, lib. III H. N. cap. 18, Padi accolam vocat, et alibi sæ-

pius de eo mentionem facit. Ortus siquidem in vico Veronensium Hostilia, ad Padi ripas sito, ut Tacitus auctor est, lib. XIX historiæ Augustæ. Pius quoque Papa II, in Asiæ descriptione, eum Veronensem aperte fuisse scribit. Ad hunc Catullus opus suum misit, tanquam civem suum : *Quoi dono lepidum novum libellum?* Hic in urbe Ciceronis et Cæsaris tempore vixit, pervenitque usque ad Augusti principatum. Scripsit disertissime *Illustrium virorum vitas.* Quarum tantum Pomponii Attici extat, quæ ceterarum facile specimen potest judicari.

M. ANT. MURETUS,

LIB. VII VAR. LECT. CAP. I.

Perelegans extat Æmilii Probi ad T. Pomponium Atticum libellus, quo Græcorum imperatorum vitæ mundissimo ac castissimo orationis genere explicantur.

HIERON. MAGIUS,

LIB. IV MISCELLANEORUM, CAP. XV.

Joannes Michael Brutus, nobilis nostræ ætatis Historicus, mensibus superioribus, quum apud Jordanum Ziletum, Bibliopolam, essemus, me percunctabatur, an adhuc Basileæ cusus esset *Æmilii Probi liber de vita excellentium imperatorum*, quem ego ex vetustorum exemplarium collatione a mendis non paucis repurgavi, annotationibusque auxi, ac pro viribus illustravi. Aderat Arnoldus Arlenius, Probique audita mentione, se ejus libri calamo exaratum exemplar, quod Ferrariæ emisset, habere dixit. Hujus legendi quum incredibilis me cupido incesseret, precibus ab eo contendi, ut libri saltem ad tridui tempus, quo percurrendi facultas esset, mihi copiam faceret. Hunc

quum ille ad me misisset, avide legere cœpi. Titulus erat hujusmodi : ÆMYLII PROBI DE IMPERATORIBUS EXTERARUM GENTIUM LIBER. Finis libri, si epigramma Probi ejusdem, quod nos ex vetustis exemplaribus in epistola ad Gregorium Angelerium et Paulum Ligium posuimus, excipias, qualis in vulgarioribus codicibus. E scribæ vero penore subjecta verba : *Completum est opus Æmylii Probi Cornelii Nepotis*. Post prænotatum titulum hæc se mihi statim verba, obtulerunt : *Non dubito fore plerosque, qui Atticæ hoc genus scripturæ leve,* etc.; quæ lectio probabilior ea, quæ in omnibus reliquis codicibus, quos ego legerim, videri potest, quum illi sic habeant: *Non dubito fore plerosque, Attice, qui hoc genus scripturæ leve,* etc. Quandoquidem neutiquam frivolis argumentis jam fuit in citata epistola a nobis demonstratum, Æmilium Probum Pomponii Attici coætaneum non fuisse: quin opus hoc Theodosio Imperatori esse dicatum; cujus rei epigramma illud ad Theodosium præbeat testimonium. A principe autem Græciæ civitate suam scriptionem appellat *Atticam*, quod Græcorum imperatorum vitas complexura esset, licet id non admodum proprie dictum videatur, quum sermone utatur Latino, non Græco. Sed dices: Quum duos ille libros scripserit, quorum posterior, ut ipsemet testatur, *vitas Romanorum imperatorum* contineret, ac præfatio ambobus communis fuisse credi possit, quos *libri* voce appellaverit, inquiens, *Et in hoc exponemus libro de vita excellentium imperatorum*, ut etiam titulus Aldinorum exemplarium demonstrat; rationi haudquaquam est consentaneum, *Atticam* dici scripturam, quæ æque et Græcos et Latinos imperatores contineat. Respondeo, præfationem hanc ad priorem duntaxat librum pertinere, quum in ea nulla Latinorum facta sit mentio, de quibus altera privatim præfatione, quæ posteriori libro præfixa de more sit, loqueretur. Quod vero spectat

ad illa verba, *Et in hoc exponemus libro de vita excellentium imperatorum*, *librum* ego accipi puto non pro universo opere (quod alias fortasse non sine errore feci), sed pro libro uno; *Græcorum* autem non addi mentionem, quia jam de Græcis agendum esse, sit dictum, nulla tamen muneris imperatorii facta mentione, quæ modo apponatur, ne de omnium promiscue insignium Græciæ virorum vita hic lector agendum esse crederet. Vides, quantum sit collocationis voculæ unius momentum. Relativo ergo voci, *Atticæ*, præposito, omnia recte habere videntur, et quædam difficultates facessunt, quæ olim nos circumveniebant, dum Probum Theodosii ætate vixisse affirmaremus. Verum candidi lectoris esto judicium; non enim hæc judicandi, sed judicis admonendi instruendique consilio attulimus.

OBERTUS GIFANIUS,

IN INDICE LUCRETIANO, VOCE *refutatus*.

Nepos in vita Alcibiadis: *Itaque et Siciliæ*, etc. Sed de illo opusculo alias fortasse accuratius. Cupio enim puriss. illum scriptorem aliquando castigatiorem edere; quem tum docebimus esse Cornelium Nepotem, non vero Æmilium Probum, ut vulgo putant.

DIONYS. LAMBINUS,

PRÆFAT. IN CORN. NEPOTEM.

Nunc de scriptore nostro pauca dicamus, quem si ostendo vixisse Pompeii Magni, et Cæsaris, et Ciceronis, et Attici, et ceterorum ejusdem ætatis hominum temporibus, hoc est, quo tempore respublica Romana populari potentia, sive democratia, et optimatum principatu, sive

aristocratia, gubernabatur; vinco, opinor, eum non floruisse Theodosio imperante, quod quidam volunt. Hoc igitur quum multis argumentis demonstrare possim, duobus contentus ero : quorum hoc erit primum, quod statim ab initio, et prooemio libri, *Atticum* nominatim appellat, ipsique adeo Attico librum inscribit, ac dedicat, ibi, *Non dubito fore plerosque, Attice, qui hoc genus scripturæ,* etc. Neque est quod quisquam mihi dicat, alium hunc esse Atticum, quam eum, ad quem scripsit M. Tullius. Qui hæc loquuntur, nodum in scirpo quærunt. Quod autem quidam testantur, se in quodam libro MS. ita scriptum reperisse, *Non dubito fore plerosque, qui Atticæ hoc genus scripturæ leve,* etc., atque hanc scripturam probabiliorem esse recepta sibi videri dicunt, næ illi judicio sunt parum subtili, aut limato, quibus hæc lectio probari omnino potuerit, quum ea quidem sit ineptissima atque absurdissima: ratio autem, qua eam tutantur, levissima, et maxime ridicula, auctorem idcirco hanc scriptionem appellasse *Atticam* a principe Græciæ civitate, quod imperatorum Græcorum vitas complectatur. Quasi vero sermo a natione personarum, de quibus habeatur, sit appellandus Græcus, aut Latinus, aut Gallicus, aut Hispanus, et item de ceteris. Ego vero scripturam illam furcis expellendam esse, et hanc receptam mordicus retinendam esse dico. Eodem pertinet, quod in Catone scribit, « se plura de vita et moribus Catonis in eo libro persecutum esse, quem separatim de eo, rogatu Titi Pomponii Attici, fecit. » Alterum argumentum est, quod nemo ætate Theodosii sic locutus est, ut hic scriptor loquitur. Est enim filum hujus orationis subtile, pressum, limatum, et plane Atticum, genusque dicendi nativum, purum, elegans, nitidum, non elaboratum, non longe arcessitum, non putidum, non insolens, neque teretibus auribus odiosum; sed plane Romanam simplicitatem et munditiem referens ac redolens,

quali fere sermone aut Cæsar in commentariis suis utitur, aut M. Tullius in epistolis ad Atticum, et in nonnullis ad familiares. At eorum, qui Theodosiorum ætate floruerunt, nemo sic Latine locutus est; sed omnes dicendi genus vel longe arcessitum, vel impolitum, vel tumidum atque inflatum, vel, ut appellant, floridum, et fucatum, vel adipatum, et pingue, vel inquinatum, et sordidum, vel peregrinum, et hyposolœcum usurparunt. Ad hæc argumenta accedat ipsius auctoris testimonium. Ipsum, inquam, hujus libri scriptorem, testem citabo, et testimonium contra eos, qui eum Theodosii æqualem fuisse contendunt, dicentem producam. Sic igitur in Miltiade (I, 6, 1): « Cujus victoriæ, non alienum videtur, quale præmium Miltiadi sit tributum, docere: quo facilius intelligi possit, eamdem omnium civitatum esse naturam. Ut enim populi nostri honores quondam fuerunt rari et tenues, ob eamque causam gloriosi, nunc autem effusi atque obsoleti; sic olim apud Athenienses fuisse reperimus. » Hæc verba arguunt, hunc librum scriptum esse, quo tempore penes populum aliqua etiam potestas erat. Nam quo tempore Theodosius imperabat, nihil poterat populus. Sic idem ibidem (I, 8, 3): « Omnes autem et habentur et dicuntur tyranni, qui potestate sunt perpetua in ea civitate, quæ libertate usa est. » Quis, mediocriter in Latinis historiis legendis versatus, non sentit continuo, quum hæc audit aut legit, ea non esse scripta ab homine in regno, vel in potentia singulari, nato atque educato? Nam si ita scripsisset, Theodosium eadem opera *tyrannum* appellasset, qui singularem potentiam, et regnum in civitate olim libera obtinebat, quamvis populum non liberum, sed jam servituti assuefactum, acceperat: quod quantæ imprudentiæ ac dementiæ fuisset! Nunc autem, Pompeio et Cæsare inter se contendentibus, et utroque probabilem ac speciosam belli causam afferente, quasi vel libertatem,

vel jus tribunitiæ potestatis, vel auctoritatem senatus, et leges antiquas, et morem majorum defendente, populi libertate denique nondum prorsus oppressa, libere quidem hæc dicuntur, sed neque imprudenter, et sine periculo. In Thrasybulo (VIII, 2, 4,) sic : « Neque tamen pro opinione Thrasybuli auctæ sunt opes; nam jam tum illis temporibus fortius boni pro libertate loquebantur, quam pugnabant. » Significat auctor hujus libri, homines etiam temporibus illis, quibus vixit Thrasybulus, quemadmodum suis, paratiores ad defendendam libertatem fuisse verbis, quam factis. Ex quo intelligere licet, eum libertati favisse, et a potentia singulari animum alienum habuisse : quod longe secus esset, si Theodosii ætate floruisset. Videat lector et quæ ad hunc locum annotavimus. In Dione (X, 9, 5,) sic : « Hic, sicut ante sæpe dictum est, quam invisa sit singularis potentia, et miseranda vita, qui se metui, quam amari, malunt, cuivis facile intellectu fuit. » Etiam hic locus argumento est, non solum tyrannidem, quæ semper injusta, et odio digna est, verum etiam singularem potentiam, quæ potest esse justa et populo grata, qualis est justorum regum, huic scriptori invisam fuisse. Quod si hic liber, Theodosio imperium obtinente, scriptus esset, itane licenter et aperte hujus libri opifex adversus singularem potentiam, quæ nihil aliud est, quam μοναρχία aut βασιλεία, hoc est, regnum, styli sui mucronem destrinxisset? In Epaminonda (XV, 10, 3,) sic : « Quo tempore, duce Pelopida, exules Thebas occuparunt, et præsidium Lacedæmoniorum ex arce expulerunt, Epaminondas, quamdiu facta est cædes civium, domo se tenuit; quod neque malos defendere volebat, neque impugnare, ne manus suorum sanguine cruentaret : namque omnem civilem victoriam funestam putabat. » Videtur his verbis noster scriptor et belli civilis auctores, Pompeium et Cæsarem, in quo tantum sanguinis civilis profusum

sit, notare, et tacite Pomponii Attici consilium approbare, qui bellis civilibus, quæ in ejus ætatem inciderunt, interesse noluerit, sed domi se continuerit, et quieverit, quod quidem prudentissimi viri consilium factumque exitus comprobavit. Nam aliis omnibus, qui vel has, vel illas partes secuti erant, aut proscriptis et jugulatis, aut in acie interemptis, unus Atticus salvus ex tot tantisque reipublicæ fluctibus emersit. Itaque de eo ita Cornelius Nepos in ejus vita (XXV, 10, 6): « Quod si gubernator præcipua laude fertur, qui navem ex hieme marique scopuloso servat; cur non singularis ejus existimetur prudentia, qui ex tot tamque gravibus procellis civilibus ad incolumitatem pervenit? » In Agesilao (XVII, 4, 2,) sic : « In hoc non minus ejus pietas suspicienda est, quam virtus bellica : qui, quum victori præesset exercitui, maximamque haberet fiduciam regni Persarum potiundi, tanta modestia dicto audiens fuit jussis absentium magistratuum, ut si privatus in comitio esset Spartæ. Cujus exemplum utinam imperatores nostri sequi voluissent! » Hic locus clamat, auctorem hujus libri carpere et notare Pompeii et Cæsaris, sed maxime Cæsaris, potentiam non ferendam, qui imperium et exercitum retinere ultra tempus lege concessum voluerit. Etiam ad hunc locum vide quæ annotavimus. In Eumene (XVIII, 1, 5,) sic : « Itaque eum habuit ad manum scribæ loco : quod multo apud Graios honorificentius est, quam apud Romanos. Nam apud nos revera, sicut sunt, mercenarii scribæ existimantur. » Etiam hic locus indicat, hunc librum esse scriptum Romanis potentia populi et auctoritate optimatum utentibus, non imperatoribus dominantibus. Quod planius fiet, si quis legat, quæ etiam ad hunc locum annotavimus. Ibidem (XVIII, 3, 4,) sic : « Macedones vero milites ea tunc erant fama, qua nunc Romani feruntur : etenim semper habiti sunt fortissimi, qui summam imperii poti-

rentur. » Hic quoque locus declarat, hunc librum esse scriptum, quo tempore populus Romanus imperii summam obtinebat, non quo imperatores omnia in suam potestatem redegerant. Nam, imperatoribus dominantibus, Germani et barbaræ nationes firmamentum et robur erant exercituum, non Romani aut omnino Latini. Ibid. (XVIII, 8, 2,) sic : « Namque illa phalanx Alexandri Magni, quæ Asiam peragrarat, deviceratque Persas, inveterata quum gloria, tum etiam licentia, non parere se ducibus, sed imperare postulabat : ut nunc veterani faciunt nostri. Itaque periculum est, ne faciant, quod illi fecerunt, sua intemperantia nimiaque licentia ut omnia perdant ; neque minus eos, cum quibus steterint, quam adversus quos fecerint. » Hic locus, si attente consideretur, unaque legantur, quæ ad eum annotavimus, omnium apertissime indicat atque arguit, hujus libri scriptorem consulum annuorum, non imperatorum perpetuorum, temporibus et floruisse et scripsisse. In Catone (XXIV, 2, 2,) sic : « Ibi quum diutius moraretur, P. Scipio Africanus, consul iterum, cujus in priore consulatu quæstor fuerat, voluit eum de provincia depellere, et ipse ei succedere. Neque hoc per senatum efficere potuit, quum quidem Scipio in civitate principatum obtineret : quod tum non potentia, sed jure, respublica administrabatur. » Quis non videt, his paucis verbis potentiam Pompeii, et maxime Cæsaris, vellicari ac notari ? His fere argumentis ac testimoniis in hanc opinionem adducor, ut eos magnopere falli existimem, qui hujus libri scriptorem ætate Theodosii vixisse pronuntiarunt, quamvis magni nominis sint, in quibus est Robortellus. Fuerit enim quantumvis doctus, multis in rebus fuerit oculatus et perspicax, solers et acutus : ignoscant mihi tamen Robortelli manes : in hac parum vidit, valdeque fuit pinguis ac tardus. Quod autem etiam versus ad hoc probandum afferunt, iisque valde

movebatur is, quem modo commemoravi, Robortellus; si quis eos attente leget, intelliget, non auctorem, et, ut ita dicam, parentem libri significari, sed scriptorem librarium, id est, eum, qui manu descripserit, quanquam diserte dicit esse descriptum a tribus, avo, matre et filio. Sed præstat versus adscribere, ut lector eruditus et ingeniosus continuo per se intelligat, unde nata sit vulgata opinio, Æmilium Probum esse hujus libri auctorem: *Vade liber,* etc. (p. xx). Quis non videt, hos versus non solum inelegantes, ineptos, et male natos, verum etiam ab aliquo nebulone indocto et barbaro, aut, ne quid gravius dicam, a scriptore librario vix semidocto, esse factos? quorum si velim singula verba justis ponderibus examinare et syllabas, pedesque dimetiri, et sententiam perpendere, et vitia omnia digito, aut etiam nutu indicare; probem quantumvis aut pervicaci, aut hebeti, dignos esse, qui levissimo alicui et vilissimo ludimagistro, versuum scribendorum prurigine perusto, et versibus inscitiam atque inscientiam suam omnibus declaranti, nihil præterea assequenti, seu potius coquo fuligine cooperto, et immunditie sordibusque popinæ squalido, tribuantur. Hactenus igitur de tempore, et ætate nostri scriptoris sit a nobis disputatum. Nunc de nomine, seu nominibus videamus. Ac primum ab *Æmilio* initium sumamus. *Æmilius* igitur, seu, ut alii scribunt, *Aimilius*, nomen est gentile, idque perantiquum, et valde nobile, notum denique omnibus, qui libros Latinos vel summis digitis attigerunt. Fuerunt enim *Æmilii Barbulæ*, *Æmilii Papi*, *Æmilii Pauli*, *Æmilii Lepidi*. *Probus* autem cognomen est, id est, familiæ nomen, antiquis ignotum, et posterioribus temporibus, quibus sub unius arbitrio et potestate res Romana, atque adeo orbis terrarum vertebatur, natum. Extat Ausonii epistola, ordine XVIII, ex editione Christophori Plantini, ad *Probum* quemdam præfectum prætorio,

cujus epistolæ initium est : « Oblata per antiquarios mora scio promissi gratiam exspectatione consumptam, Probe, vir optime, etc. » Sequitur deinceps ad eumdem dimetrum iambicum hoc principio : « Perge, o libelle, Sirmium, Et dic hero meo, et tuo, etc. » Ex quibus intelligere licet, hunc Probum magnum quemdam, et clarum, et summis honoribus ornatum virum fuisse, et, quod fortasse magis ad rem pertinet, disertum et eloquentem. Sic enim Ausonius in illo dimetro : « Hunc dico, qui lingua potens Minorem Atridam præterit Orando pauca, et musica, Qui grandines Ulyssei, et Mellifluentem Nestora, Concinnatorem et Tullium, etc. » Porro autem, præter M. Aurelium Valerium Probum imperatorem, qui imperavit annos quinque et menses quatuor, anno a Christo nato CCLXXIX, *Probos* aliquot reperio, lib. III Fastorum. In his *Sex. Anicium, Sex. fil., Petronium Probum* V. C. consulem anno a partu virginis CCCLXXIV, imperantibus Fl. Valente, et Fl. Valentiniano, altero in oriente, altero in occidente ; et anno CCCLXXXII, eum, quem supra commemoravi, *Sex. Anicium, Sex. fil., Probum*, præfectum prætorio, ad quem extat illa Ausonii epistola ; et anno CCCCIX, *Sex. Anicium, Sex. fil., Sex. nepotem, Petronium Probum*, consulem, imperatoribus Theodosio juniore, Arcadii filio, et Fl. Honorio Pio. Reperi et alium quemdam *Mæcium Probum*, præsidem provinciæ Hispaniæ, quem commemorat Ulpianus, lib. XLVIII digestorum, titulo de interdictis et relegatis, his verbis : « Sed imperator noster cum divo patre suo huic rei providerunt. Mæcio enim Probo, præsidi provinciæ Hispaniæ, rescripserunt, etiam ea provincia interdici, unde quis oriundus sit, ab eo, qui regit eam provinciam, ubi quis domicilium habeat, etc. » Prætermitto *Probianos*, et *Probinos*, ab his Probis leviter deflexos ac derivatos. Horum igitur *Proborum* omnium nullum hujus libri auctorem esse persua-

sum habeo. Si quis alius Probus, mihi ignotus, auctor fuisse dicatur; vereor, ne nunquam in natura rerum fuerit, sed inani cogitatione duntaxat depictus sit atque informatus. Jam vero *Cornelius Nepos* M. Tullii Ciceronis, et T. Pomponii Attici, Cn. Pompeii Magni, et C. Julii Cæsaris propemodum fuit æqualis, aut certe paulo natu minor; pervenitque ad Cæsaris Augusti, divi Julii filii, tempora, ut testatur Plinius, lib. IX, cap. 39, his verbis : « Nepos Cornelius, qui divi Augusti principatu obiit. » Ne quis autem statim nobis occurrat, atque ita dicat, Cur igitur nusquam eum commemorat M. Tullius? Commemorat vero in epistolis ad Atticum quodam loco, et, quod longe majoris ponderis est, libros duos epistolarum, et fortasse plures ad eum scripsit, ut ex Macrobio, lib. II Saturnal., cognoscere licet, cujus hæc verba sunt : « Testis idem Cicero, qui in lib. epistolarum ad Cornelium Nepotem secundo sic ait : Itaque nostri, quum omnia, quæ dixissemus, dicta essent, quæ facete, et breviter, et acute locuti essemus, ea proprio nomine appellari dicta voluerunt. » Profert et Priscianus, lib. VIII, illud ex epist. Ciceronis ad Nepotem : « Hoc restiterat etiam, ut a te fictis aggrederer donis. » *Aggrederer* passive dixit, inquit Priscianus. Et illud ejusdem ad eumdem : « Qui habet, ultro appetitur; qui est pauper, aspernatur. » Fuit autem Padi accola, ut idem Plin. testatur, lib. III, cap. 18. Ex quo Ausonius eum in Gallia facit esse natum, epistola ad Drepanium filium, quæ est ordine XXIV, his verbis, quæ eo libentius adscribam, quod versus non satis sunt emendati, etiam in editione Christophori Plantini, alioqui typographi diligentis; neque tamen spondeo me tibi multo emendatiores traditurum : « Cui dono lepidum novum libellum? Veronensis ait poeta quondam, Inventoque dedit statim Nepoti. At nos illepidum, rudem libellum, Burras, quisquilias, ineptiasque Credemus gre-

mio cui fovendum? Inveni, trepide silete versus (vel, ut mavult legi Cl. Puteanus, *trepide sileto nate*, ut per *natum* librum suum significet, eumque sic alloquatur, ut parens filium; quod si recipiamus, malim legi, *trepide silete nati*), Nec doctum minus, et magis benignum, Quam quem Gallia præbuit Catullo. Hoc nullus mihi carior meorum, Quem pluris faciunt novem sorores, Quam cunctos alios, Marone dempto. Pacatum haud dubie, poeta, dicis. Ipse est; intrepide volate versus. Hic vos diligere et volet tueri, Et nudos gremio fovere tuto. » (Hoc autem ordine hos proximos versus esse legendos, et pro *fovete*, *fovere*, reponendum, vidit Cl. Puteanus; idem tamen *nudum in gremio* legit, ut habet editio Lugdunensis et Antverp., ut congruat cum voce *nate*.) Neque vero quemquam movere debet, quod Catullus hunc eumdem Nepotem Italum fuisse significat, primis versibus : « Cui dono lepidum, novum libellum, Arida modo pumice expolitum? Corneli, tibi : namque tu solebas Meas esse aliquid putare nugas Jam tum, quum ausus es, unus Italorum, Omne ævum tribus explicare chartis. » Nam ora Gallica ex antiqua descriptione ab Ancona initium ducit, et usque ad Alpes porrigitur; et tamen nunc *Italia* dicitur, *Italiaque* olim dicebatur. Itaque et qui trans Padum usque ad Rubiconem, et qui cis Padum usque ad Alpes incolebant, *Galli* dicebantur. Illa enim erat *Gallia togata*, hæc *Transpadana* (eas appello ut homo Gallus, et in urbe Lutetia hæc scribens, aliter appellaturus, si Romæ scriberem). Et rursum iidem utrique Itali dicebantur, si quidem verum est, Italiam a natura Alpibus fuisse munitam, ut est, Alpesque et nunc esse, et olim fuisse communes Italiæ et Galliæ terminos. Restat nunc, ut sententiam meam aperiam, videaturne Æmilius Probus, an Cornelius Nepos harum vitarum scriptor. Difficile quidem et periculosum judicium est : verumtamen, quum et mihi

persuasum sit, has vitas, antequam imperatores perpetui dominatum Romæ obtinerent, esse scriptas, et *Probus* non sit illorum priscorum temporum cognomen, sed recentiorum, et longe posteriorum ; mihi videtur Cornelius Nepos potius, quam Æmilius Probus, verus hujus libri parens et auctor esse agnoscendus : ita tamen ut suum cuique judicium liberum relinquam, neque hoc mihi sumam, ut, qui aliter sentiant, tanquam desipientes, aut errantes, a me condemnentur. Scripsit autem Cornelius Nepos Chronica, ut testatur Ausonius epistola illa, quam supra commemoravi, cujusque initium indicavi : *Oblata per antiquarios mora*, etc. Quæ et a Tertulliano in Apologetico adversus gentes fortasse significantur his verbis : « Saturnum itaque, quantum litteræ docent, neque Theodorus Græcus, aut Thallus, neque Cassius Severus, aut Cornelius Nepos, neque ullus commentator hujusmodi antiquitatum, aliud, quam hominem, promulgarunt ; » eademque fortasse significat et Catullus in primo illo carmine, quod supra protulimus, versibus illis : « Jam tum, quum ausus es, unus Italorum, Omne ævum tribus explicare chartis. » Cornelium Nepotem, tanquam historicum, producit testem et Plutarchus quum alibi, tum in Marcello sub extremum ; et Aulus Gellius (Aulus Gellius, inquam, non *Agellius*, ut quidam nuper exorti homines, novitatis, quam veritatis cupidiores, novo et Romanis inaudito nomine appellare cœperunt), lib. XVII, c. 21 ; et Lactantius Firmianus, lib. I, c. XIII ; et Julius Solinus, c. II. Profert et Charisius, lib. I Instit. gramm., verba Cornelii Nepotis ex lib. XVI Illustrium Virorum. Citat eumdem testem in voce *subinde* ex lib. II. Profert et Priscianus, lib. VIII ; hæc ex Nepote, non commemorato aut indicato libro : « Ædis Martis est in circo Flaminio architectata ab Hermodoro Salaminio. » Præterea harum vitarum scriptor ait in Dione (X, 3, 2), se librum de historicis scripsisse,

qui hodie non extat. Scripsit Nepos et T. Pomponii Attici vitam, ex qua, quanta Nepoti cum Attico familiaritas intercesserit, cuivis intelligere licet. Fuisse autem *Nepotem* etiam M. Tullio admodum familiarem, declarant epistolarum libri ab hoc ad illum scriptarum, ut supra diximus. Postremo sententiam meam adjuvat doctorum quorumdam testimonium, qui scriptum reliquerunt, se in uno codice manuscr. ad calcem libri hæc verba adscripta reperisse : « Completum est opus Æmilii Probi, Cornelii Nepotis. » Quis non videt, hæc esse scripta a librario hæsitante, et dubitante, et incerto de hujus libri auctore, quum eum hinc *Cornelii Nepotis*, hinc *Æmilii Probi* nomina et cognomina perturbarent?

CASP. SCHOPPIUS,

LIB. II VERISIMIL. CAP. 10.

Corn. Nepos, qui male vulgo Æmilius Probus dicitur.

IDEM,

CONSULTATIONE II DE PRUDENTIÆ ET ELOQUENTIÆ PARANDÆ MODIS.

Novissimos aureæ ætatis facio Ciceronem, Cæsarem, Corn. Nepotem, etc. In Nepotis tamen vitas dubium non est nonnulla posterioribus sæculis irrepsisse ab ævi Augustei auro remotiora, Æmilii, credo, Probi opera, cujus nomen multis sæculis libellus Nepotis præscriptum habuit.

JO. SAVARO,

IN PRÆF. AD NOT. SUAS IN ÆMIL. PROBUM DE VITA EXCELL. IMPP.

Hunc librum *Corn. Nepoti* asserit ipsa præfatio : « Non

dubito fore plerosque, Attice, etc., » et ex vita Catonis, illa : « Hujus de vita et moribus plura in eo libro persecuti sumus, quem separatim de eo fecimus, rogatu T. Pomponii Attici, etc., » cujus quidem libri fragmentum, ex Cornelio Nepote, laudare videtur Gellius, lib. XI, cap. 8. Præterea *libros de Viris illustribus*, veterum scriptis celebres, qui Nepoti tribuuntur, ab hujus libri auctore confectos esse, satis apparet ex fine Hannibalis vitæ : « Sed nos tempus est, hujus libri facere finem, et Romanorum explicare imperatores, quo facilius, collatis utrorumque factis, qui viri præferendi sint, possit judicari. » Tanta etiam suavitas est sermonis Latini, ut appareat, in eo nativum quemdam leporem esse, non adscitum, et jam ævo Theodosii desitum, quo non parum inclinata erat Latiaris eloquentia. *Æmilium* autem *Probum*, cujus nomine circumfertur hic liber, Theodosio regnante vixisse, et hujusce libri exscriptorem potius esse, quam auctorem, patet ex his versibus : *Vade liber*, etc. (p. xx). Hic ergo suo auctori reddatur, quem sibi Corn. Nepos justo titulo vindicat, quemque coævo suo et familiari Pomponio Attico dedit, cujus etiam rogatu vitam M. Catonis separatim scripsit, et illi superstes, elegantissimam ejusdem vitæ consuetudinem elegantia pari prosecutus est. Præter *Chronica*, *libros Exemplorum*, *de Viris illustribus*, et *de vita Catonis*, librum se *de historicis Græcis* conscripsisse testatur in Dione : « Sed de hoc in eo meo libro plura sunt exposita, qui de historicis Græcis conscriptus est. » (Sic enim ex MSS. bona fide supplevi) atque alterum edidit *de Latinis historicis*, ex quo excerpta esse fragmenta Corneliæ, Gracchorum matris, Gifanii codice probatur. Quod ad Daretis Phrygii historiam, quam a Corn. Nepote Latine redditam, Volaterranus et alii tradiderunt, elegantia styli potius ducti, quam certa ratione, dispar stylus est, et dissimilis genius, et, si quid in me judicii, Corn. Nepos

illo interprete, ut annis, sic nitore sermonis, longe superior, quod, collatis utriusque scriptis, facile potest judicari. De hoc auctore ita mihi visum est, salvo tuo, erudite lector, judicio.

ANDR. SCHOTTUS,

IN EP. AD LECT. NOTIS IN FRAGM. NEPOTIS SUBJECTA.

Quod auctoribus non paucis accidisse memini, ut multa ingenii monumenta, vel ipsis ablata alteri falso attribuerentur, vel aliena ipsis subjicerentur, quo in vulgus tituli lenocinio magis probarentur, et tanquam a matribus suppositi filii pro veris obtruderentur, idem *Nepoti* nostro usu venisse, didici. Librum enim *de Vita et Moribus excellentium Græciæ imperatorum* ad T. Pomponium Atticum sequioris ætatis auctori Æmilio Probo attribuunt: a quo stylus, dicendique elegans character, Attici ætas, multaque abjudicant. Scriptorem contra *de Viris illustribus urbis Romæ,* qui a Proca ad Cn. Pompeium usque, septingentorum annorum memoriam, resque gestas virorum domi militiæque illustrium breviter colligavit, Plinio minori (cui Aldus Manutius adscripserat) ablatum, Nepoti Cornelio multorum ingratiis inscripserunt, et ex Cæcilia gente in Corneliam, obtorto collo, Itali quidam censores, Hermolaus Barbarus, Janus Parrhasius, Catellianus Cotta, et Dominicus Machaneus, aliique traduxerunt. Sed neutrius mihi videri, admodum adolescens docui singulari comm. in eum auctorem, Duaci et Lutetiæ edito; et ex veterum libr. fide rationumque momentis *Sex. Aurelio Victori* jure postliminii reddidimus: cujus et historiam Augustam ante me natum nusquam, quod equidem sciam, typis vulgatam, Antverpiæ primi edidimus. Quare, ut illa Æmilio adscripta Nepotis esse γνήσια pronuntio, ita Viros illustres eidem abjudico. Sed sunt et alia

spuria, et Cornelio indigna. *Daretis* enim *Phrygii* circumfertur *de bello Trojano*, cui interfuisse dicitur, historia, quam Raph. Volaterranus sex carminum libris (qui et cum Dicty Cretensi vulgo leguntur) convertisse Nepotem tradidit; quibus et prosa oratione *narratio excidii Trojæ* præmittitur, quam et ipse in veteribus libris etiam soli *Cornelio* cuidam inscriptam vidi. Stylus sane non est aureæ illius ætatis, nedum Cornelii, cujus eloquentiam Tullius, Romanorum disertissimus, laudarit, eoque nomine carissimum habuerit. Fuisse quidem Homero antiquiorem scriptorem *Daretem*, Æliani auctoritate, et D. Isidori non infitior; sed hicne liber ille sit, qui ad Æliani usque ætatem duravit, vehementer dubito. Sic vero ille, libr. XI variæ Histor. Τὸν Φρύγα δὲ Δάρητα, οὗ Φρυγίαν Ἰλιάδα ἔτι καὶ νῦν ἀποσωζομένην οἶδα, πρὸ Ὁμήρου καὶ τοῦτον γενέσθαι λέγουσι. Sallustio id opus nothum et illegitimum falsarius ille, quisquis is est, lege Cornelia, si deprehendatur, puniendus, inscripsit. Quem quidem Crispum, Rom. historiæ principem, initio statim rustice et inepte appellat: « Cui, inquit, nihil adjiciendum, aut diminuendum, rei formidandæ (fort. formandæ) causa putavi, alioquin meum esse posset dubitari. » Verum enimvero germanum me reperisse parentem gaudeo; natalibus itaque restituo, auctoritatem secutus veluti familiarum censoris, Guilielmi Camdeni, hominis Britanni, qui sic Daretis illius ac poematis in Angliæ historia meminit de Isca loquens: « Hoc sæculo (anno MCCXXIV) floruit, qui hinc oriundus et cognominatus, Josephus Iscanus, splendidissimo ingenio poeta; cujus scripta sic probabantur, ut ad veterum scriptorum laudem pervenerint. Ejus etenim de bello Trojano poema Germani ter sub Cornelii Nepotis nomine divulgarunt. » Jam vero *Alexandri* illam *ad Aristotelem* præceptorem de rebus Indicis *epistolam*, quæ Q. Curtio Rufo fere subjicitur, ubi et quercus edunt oracula, multaque

ridicula leguntur, quis, nisi crasso et pingui judicio prææditus, ab elegantissimo Nepote tam incondite conversam credat? Quin et in ipsis auctoribus, vereor, ne dubia quædam, nec a Nepote profecta, occurrant : ut quæ in *Ciceronis epistolis ad Atticum* non de Cornelio nostro, sed fortasse de *Metello Nepote* aliove legi docuimus; et illam mihi ἐπιγραφὴν suspectam videri apud Suetonium, *Quid differat litteratus ab erudito*; et illa *Jornandis Gothici* de Britannia suspicor *Taciti* potius esse, quam *Nepotis*, ex iis libris, qui et ipsi magnam partem damno publico interciderunt. Ach. tamen Statius, comment. in Catullum, Nepoti dedit; quin et *Corn. Labeonis* quædam apud Macrobium, lib. I Saturn., eidem adscripsit. Sed ταῦτα θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. Nos de iis aliquando in libris ψευδεπιγραφίας plura.

IDEM,

LIB. III OBSERVATT. HUMANARUM, CAP. 3.

Qui Æmilio Probo vulgo tribuitur de rebus et vita excellentium impp. Græciæ elegans libellus, is meo quidem sensu germanus *Corn. Nepotis* ad Atticum, cui inscribitur, partus est.

CASP. BARTHIUS,

IN COMMENTATIONE DE LAT. LINGUA, ET LATINIS SCRIPTORIBUS.

Vitas illustrium Græciæ principum, quas Æmilio Probo alii, alii Corn. Nepoti adscribunt, libens huic ætati (*secundæ sc. qua Cicero, Cæsar, Livius, etc. vixere*) tribuam : sunt enim satis nitide et Latine conscriptæ. Sed de iis longa disputatio est. Vita Pomp. Attici, a Corn. Nepote vere exarata, omnibus ad illum Ciceronis epistolis adjecta est.

IDEM,

LIB. XXIV ADVERSARIORUM, CAP. 18.

Æmilium Probum ævo Theodosiano correptorem Corn. Nepotis fuisse, peculiari a nobis tractatione nuper vindicatum est. *Et lib.* xxv, *cap.* 15 : His diebus demonstravimus, Æmilium Probum ævo Theodosii Cornelii Nepotis libros in Epitomen redegisse.

IDEM,

LIB. XLII, CAP. 29.

Unica, sed eleganter et proprie scripta, vita vera Corn. Nepotis ad nos venit, adeo quidem utrumque, ut Attici rebus interesse nobis videamur, quoties eam legimus; et sane ejus comparatione judicare poterant eruditi viri de alteris illis. *Eod. cap. sub finem* : Non magnopere titulis gavisum ipsum Atticum, ex descriptione sequenti constat; quam ego tam luculentam, tamque candidam et emendate scriptam puto, ut non solum Æmilii Probi vitæ, quas Epitomen Nepotis esse alibi probabimus, ad eam sordeant, sed, uno solo Suetonio excepto, nihil toto Latio inveniam exactius, et suo quodam genio absolutius.

IDEM,

LIB. LII, CAP. 14.

Datamen, omnium barbarorum post Hannibalem et Hamilcarem fortissimum, nisi libro peculiari celebrasset Æmilius Probus, pleraque omnia ejus facinora ignoraremus. Initio ejus vitæ apud Probum legitur : *De quo hoc plura*, etc. Ceterum et in hac et in aliis omnibus vitis duo diversi scriptores maxime apparent, quod non pote-

rit non videre, qui phrasin exactius considerabit. Itaque nos Epitomen Nepotis clare agnoscimus.

FRANC. NICOL. TITZIUS,

INTRODUCT. DE CORN. NEPOT. VITA ET SCRIPTIS.

Codices editionesque ad hunc diem omnes seriem vitarum exhibuerunt eam, ut 1 esset vita Miltiadis; 2 Themistoclis; 3 Aristidis; 4 Pausaniæ; 5 Cimonis; 6 Lysandri; 7 Alcibiadis; 8 Thrasybuli; 9 Cononis; 10 Dionis; 11 Iphicratis; 12 Chabriæ; 13 Timothei; 14 Datamis; 15 Epaminondæ; 16 Pelopidæ; 17 Agesilai; 18 Eumenis; 19 Phocionis; 20 Timoleontis. Tum sequebatur brevis illa de Regibus expositio, cui editores numerum 21 imposuerunt, quia ex quibusdam in ea occurrentibus verbis, cap. 1 init. et cap. 3 fin., conjectarunt, hanc partem esse synopsin alicujus libri, quem Nepos de Regibus aut separatim, aut in Viris illustribus fecerit. Deinceps dederunt, præposito numero 22, vitam Hamilcaris, et tandem, 23 loco, Hannibalis, quo librum finiverunt.

Jam vero hic primo intuitu nonne unicuique mirum videri debebat, quid sibi vita Datamis, « fortissimi omnium barbarorum, exceptis Hamilcare et Hannibale, » ut verbis ipsius Nepotis utar, pæne in medio libri, inter vitas ducum Græcorum, vellet? Quid, quod Nepos postea, a vita Timoleontis transgressurus ad duces barbarorum, initio succinctæ illius de Regibus commemorationis, peractam eo usque libri partem respiciens ait : « Hi fere fuerunt Græciæ gentis duces, qui memoria digni videbantur. » Ergone Datamem, quod vitam ejus in medio horum cernimus, in Græciæ gentis ducibus habuit? Quis hoc credat, quum ipse eum, ut vidimus, *barbarum* dixerit?

Sed aiunt editores : Evenit hoc chronologia, in vitis istis ordinandis servata, ut Datames eum locum obtineret. Audio. At nunc quæro : Unde nobis ista ad chronologiæ leges facta vitarum ordinatio? Estne ab auctore ipso instituta? Quid, si hoc negare ausim? Quid, si hanc negationem argumentis, ex ipsius operis conformatione petitis, adstruam atque sustineam? Age, hoc experiamur!

Cum accurato et sobrio scriptore res nobis est. Non solet talis in adornatione partium unius atque ejusdem historici operis a genio totius deflectere, et secum pugnare. Quo vitio hic liber ex recepta vitarum ordinatione sine dubio laborat, ut mirum sit, neminem editorum hoc adhuc satis animadvertisse. Consideremus, si placet, illam operis particulam, quæ inscribi solet *de Regibus*. Quem ordinem, quæso, in recensendis regibus auctor hic instituit? Nonne videmus illum certum quemdam *gentium* ordinem sequi, atque ita singularum gentium eximios reges perpetua serie prosequi, nulla ex aliis permixtione admissa? Sic igitur gentium prima illi memoratur *Persarum ;* ex hac reges una serie producit, Cyrum, Darium Hystaspis filium, Xerxem, Artaxerxem cui erat cognomentum Macrochir, et Artaxerxem cognomine Mnemona. Tum sequitur gens *Macedonum;* ex eaque continuo Philippus rex, Amyntæ filius, et Alexander Magnus. Deinde succedit gens *Epirotarum,* et ex ea rex Pyrrhus. Postea gens *Sicula,* ex qua nobis producit Dionysium priorem. Tum denique attingit separatim *novos illos reges* factos ex amicis et præfectis Alexandri Magni, Antigonum, Demetrium, Lysimachum, Seleucum, Ptolemæum. At nunc paululum oculos convertamus ad seriem imperatorum Græcorum, quos hucusque se ait pertractasse auctor. Ibi, quum prorsus nihil difficultatis reperiatur, quo minus simili ratione auctor singularum Græciæ civitatum, inter se separatarum, duces excellentes perpetuo ordine

producere potuerit; imo a quovis cognoscatur, hac methodo instituta minus operosum conquisitionis atque expositionis laborem in hoc opere debuisse reddi auctori; deprehendimus, post tres Atheniensium duces interpositum Lacedæmonium unum, deinde sequi denuo Atheniensem unum, et iterum Lacedæmonium; tum tres continuo Athenienses, quos a post insequentibus tribus abrumpit Siculus seu Syracusanus Dion; postremum denique Atheniensem Phocionem avulsum a præcedentibus cernimus, non modo Thebānis duobus cum postremo Lacedæmonio, sed Cardiano etiam Eumene, et barbaro quoque, si diis placet, Datame, tanquam retinaculis, interjectis. Tandem claudit agmen Corinthius Timoleon. Et istam disturbationem atque interturbationem Græciæ civitatum mihi excuset chronologiæ ratio? Nullo modo. Quid, quod ne chronologia quidem, quam editores prætexunt, hic exacte satis constat? Alioquin enim Pelopidas præcedere, sequi Epaminondas debuisset, quod tamen clarissima auctoris verba non admittunt, qui in Pelopida ad Epaminondam respiciens ait: *sicut supra docuimus*.

Vel his, quæ hactenus prolata sunt, credo suspicionem justam oriri jam debere in omnibus, ordinem illum vitarum non esse profectum a Nepote, sed ejus ordinationi aliena manu vim esse adhibitam, turbationemque totius operis factam. Id revera ita esse, hinc asseverare jam nihil profecto dubito. Si quæras, quando tanta mutatio operi nostro acciderit? dicam, haud dubie id evenisse ævo illo infelici, et bonis adeo auctoribus improspero, quod communiter *medium* appellare historici solent: quo, qui litteris ita mediocriter tincti essent, iique sane quam pauci, nil præter Chronica saperent. Si roges, quomodo acciderit? respondeam, partim chronologiæ, cui illis temporibus addicti omnes essent, qui legerent libros, quique scriberent, immoderato amore, quo se, quisquis ille erat, cui Nepotis

hic liber obvenerat, laudabilem etiam atque eruditam operam in se suscepturum putabat, si vitas ad chronologiæ legem apposite magis disponeret; partim inscientia artificii, quo auctor in suo opere condendo usus erat, quodque (felicissimo eventu) nulla quacumque immutatione inducta aboleri prorsus poterat. Non enim Nepos in his vitis, arida quadam posteriorum Chronistarum diligentia, id egerat, ut cujusvis imperatoris facta et mores a prima juventute ad vitæ exitum anxia cura ad annos digereret; sed illud potius curæ habebat, deligere ex cujusvis imperatorum vita, quæ ad propositum suum pertinentia maxime arbitraretur; segregare vero atque data opera transire cuncta, quæ ad rem minus necessaria viderentur. In tali labore non poterat auctori non præberi quandoque, tum in ordiendis, tum in finiendis nonnullis vitis, tum vero in partibus operis majoribus inter se connectendis, opportunitas, qua arrepta formam operis adornationemque, ut eam initio mente concepisset, indiciis quibusdam aperiret, consecutionemque certarum partium, industria quadam sic compositarum proderet. Quibus ille ordinis permutator nihil adversis, disjecit incogitanter membra corporis ita aptissime ficti, ut post quamcunque aliam factam compositionem non posset non monstruosi quid exire. Ut verbo dicam, ista metamorphosi, quam liber hic Nepotis perpessus est, accepimus *tantumdem* quidem, quam olim erat, non *idem*.

Igitur probabilissimum jam habeo, auctorem nostrum in vitis imperatorum exponendis civitatum quemdam ordinem servasse. Et primi quidem ponebantur illi Atheniensium duces perpetua serie: Miltiades, Themistocles, Aristides, Cimon, Alcibiades, Thrasybulus, Conon, Iphicrates, Chabrias, Timotheus, Phocion. His alios totidem ex ceteris civitatibus externis conquirebat, excitabatque ex Lacedæmoniis Pausaniam, Lysandrum, Agesilaum; ex Thebanis

Epaminondam et Pelopidam ; ex Syracusanis, qui erant a Corinthiis orti, Dionem ; ex ipsis Corinthiis, qui maximas res Syracusis gessit, Timoleontem ; ex semibarbaris (nam Chersonesus Thracia Græciæ ferme annumerabatur) Cardianum Eumenem : ac postquam hic admonuerat Regum, quorum commemoratione tanquam limite utebatur, ex barbaris jam arcessivit Carthaginienses Hamilcarem et Hannibalem, ac tum denique extremo loco Datamem Carem adjecit. Singularem ergo quemdam, ut hinc patet, delectum Nepos habuit. Non enim omnes volebat explicare imperatores, sed, ut ipse ait, *excellentes.*

ROLLIN,

HIST. ANCIENNE, LIV. XXVII, CH. 2.

« Son style (de Corn. Népos) est pur, net, élégant. La simplicité, qui en fait un des principaux caractères, est mêlée d'une grande délicatesse, et relevée de temps en temps par des pensées nobles et solides. Mais ce qui me paroît de plus estimable dans cet auteur, est un goût marqué pour les grands principes d'honneur, de probité, de vertu, de désintéressement, d'amour du bien public, qu'il semble avoir dessein d'insinuer dans tous ses écrits. »

MABLY,

DE LA MANIÈRE D'ÉCRIRE L'HISTOIRE, SECOND ENTRETIEN.

« On loue le style de Cornélius Népos ; on trouve même en lui quelque légère étincelle de ce génie politique qui étoit encore commun à Rome, dans un moment surtout où l'on voyoit s'écrouler une république qu'on regrettoit si on n'étoit pas à portée de s'élever sur ses ruines. Cependant

l'ouvrage de Cornélius Népos ne peut plaire qu'à des enfants. Pourquoi cet historien n'entre-t-il dans aucun des détails nécessaires pour faire connoître ses héros? Vous croyez être court, lui dirois-je; mais vous n'êtes que stérile, en supprimant des choses essentielles qu'un lecteur curieux et intelligent attend de vous...... Hâtez-vous lentement, on veut connoître les replis du cœur humain. »

LA HARPE,

COURS DE LITTÉRATURE, PART. I, LIV. III, CH. I.

« Parmi les biographes latins, on distingue Cornélius Népos et Suétone. Le premier écrit avec autant d'élégance que de précision. Les *Vies des hommes illustres* qu'il nous a laissées sont, à proprement parler, des sommaires de leurs actions principales, semés de réflexions judicieuses. Mais, en rapportant les événements, il a négligé les détails qui peignent les hommes, et ces traits caractéristiques dont la réunion forme leur physionomie. Rome n'a point eu de Plutarque. »

CORNELII NEPOTIS

PRÆFATIO[1],

AD TITUM POMPONIUM ATTICUM.

Non dubito fore[2] plerosque, Attice[3], qui hoc genus scripturæ[4], leve, et non satis dignum summorum virorum personis judicent, quum relatum legent, quis musicam docuerit Epaminondam[5]; aut in ejus virtutibus[6] comme-

1. *Præfatio.* Ne patriis moribus alienos metiamur mores, breviter eleganterque, Græcorum et Romanorum exemplo, in hac præfatione docet Cornelius Nepos.

2. *Non dubito fore.* Ita passim noster; sæpius hoc sensu : *Non dubito, quin plerique futuri sint, qui* etc. Etenim apud Ciceronem, *non dubito*, cum infinitivo, ut plurimum significat *audeo*, *non vereor.* Nec tamen similia optimos apud auctores exempla desunt. Vide Livium, XXVI, 15 et alibi; Curtium, passim; Ciceronem ipsum, ad Attic. VII, 1. Uterque igitur dicendi modus valuit, etsi alter magis. Plerumque tamen ita cum futuro infinitivi ponitur, rarius cum præterito invenias; quale exemplum occurrit in Hannibale, XI.

3. *Attice.* Cujus vita in fine libri scribetur. Dicatur hoc opus T. Pomponio Attico, C. Nepotis familiari. Ad eumdem sexdecim epistolarum libros conscripsit Cicero.

4. *Hoc genus scripturæ.* Hoc operis genus. — *Personis* Scil. conditione, loco, dignitate summorum virorum; hic pro ipsis summis viris, quorum vitas descripturus est. — *Relatum.* Perscriptum, utpote memoria dignum.

5. *Quis musicam docuerit Epaminondam.* Vide in Epaminonda, II, et Cic. Tusc. quæst. I, 2 : « Græci summam eruditionem sitam censebant in nervorum vocumque cantibus. Igitur et Epaminondas, princeps, meo judicio, Græciæ, fidibus præclare cecinisse dicitur. » Longe alia mens erat Romanis : etenim Cato, secundum Macrob. Saturn. II, 10, cantare non serii esse hominis pronuntiabat.

6. *In ejus virtutibus.* Inter ejus

vero prodire, et populo esse spectaculo[13], nemini in eisdem gentibus fuit turpitudini. Quæ omnia apud[14] nos partim infamia, partim humilia, atque ab honestate remota ponuntur. Contra ea[15] pleraque nostris moribus sunt decora, quæ apud illos turpia putantur. Quem enim Romanorum pudet uxorem ducere in convivium[16]? aut cujus materfamilias non primum locum tenet ædium, atque in celebritate versatur? quod multo fit aliter in Græcia : nam neque in convivium adhibetur[17], nisi propinquorum; neque sedet, nisi in interiore parte ædium, quæ gynæconitis appellatur, quo nemo accedit, nisi propinqua cognatione conjunctus. Sed plura persequi tum magnitudo[18] voluminis prohibet, tum festinatio, ut ea explicem, quæ exorsus sum. Quare ad propositum veniemus, et in hoc exponemus libro vitas excellentium imperatorum.

Olympia, ceterisque locis, vide indicem rerum et verborum.

13. *In scenam vero prodire, et populo esse spectac.*, etc. Ita apud nos egregius censor castigatorque morum, *La Bruyère, Caract.* ch. 12, *des jugements.* — *La condition des comédiens était infâme chez les Romains et honorable chez les Grecs. Qu'est-elle chez nous? On pense d'eux comme les Romains, on vit avec eux comme les Grecs.*

14. *Nos.* Scilicet Romanos. — *Ponuntur.* Habentur. Translatione a calculatoribus ducta.

15. *Contra ea.* Pro *contra* passim usurpat noster. Ita apud Sallustium, in Marii oratione: « *Contra ea mihi videtur.* » — *Illos*, scilicet Græcos.

16. *In convivium.* Testatur Cic. in Verr. I, 26. Innuptas tantum virgines Romani, ob liberiores sermonum jocos, a conviviis arcebant. Tzschucke. — *Primum locum tenet ædium.* Atrium, ἐν προθύρῳ. — *Celebritate.* Hominum frequentia.

17. *Adhibetur.* Vocatur. Ita ap. Justinum legas, VII, 3, « *adhibitis* in convivium suis ac filii uxoribus. » — *Sedet.* Recte, pro habitat. Conclusæ enim et velut affixæ thalamis suis apud Græcos agebant feminæ, texentes lanam, neque inde prodire et cum viris versari fas erat. — *Gynæconitis.* Γυναικωνῖτις, mulierum conclave; contra ἀνδρωνῖτις locus erat viris addictus. Aliquid hujus moris retinuisse Angli hodierni videntur.

18. *Magnitudo.* Modus, et mensura parva. — *Quæ exorsus sum.* Quæ scribenda suscepi. — *Quare ad propositum*, etc. Ultima hæc in quibusdam MSS. desiderantur.

(Page 5.)



Ex Museo Gallico.



Ex Museo Vaticano.

C. B. Laguiche del.t 1820.

P. Audouin sculp.t

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

(Page 5.)



Ex Museo Gallico.



Ex Museo Vaticano.

C. B. Laguiche del.t 1820.

P. Audouin sculp.t


[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]



I.

MILTIADES.

ARGUMENTUM.

Cap. I; Dux colonorum Miltiades in Chersonesum mittitur. Irridetur a Lemniis. — II; Chersoneso potitur; Lemnum capit, et Cycladas. — III; Pontis in Istro custos a Dario, qui Scythas bello petebat, constituitur. Dat consilium excutiendæ dominationis Persarum. Ab Histiæo impeditur. — IV; Dario bellum in Græcos movente, auctor suis est, ut hosti obviam eant. — V; Ante sociorum adventum regem vincit. — VI; Præmium victoriæ. — VII; Pari oppugnationem omittit. Damnatur, et in vinculis moritur. — VIII; Vera ejus damnationis causa.

Miltiades[1], Cimonis filius, Atheniensis, quum et antiquitate generis, et gloria majorum, et sua modestia unus omnium maxime floreret; eaque esset ætate, ut non jam solum de eo bene sperare, sed etiam confidere[2] cives possent sui, talem futurum, qualem cognitum judicarunt; accidit, ut Athenienses Chersonesum colonos vellent mit-

Cap. I. 1. *Miltiades.* De alio Miltiade, Cypseli filio, multa narrat Herod. VI, 34, quæ noster alios secutus auctores ad Cimonis filium refert. — *Cimonis.* Duo fuerunt Cimones; alter quidem Tisagoræ filius ac Miltiadis pater, alter vero Miltiadis filius, de quo infra. — *Antiquitate.* Etenim ab Æaco, Codro, Ajace etiam, genus Miltiadis ducunt; hinc additur *gloria majorum.* — *Floreret,* etc. Hæc phrasis, contra scriptoris usum, si Attici vitam exceperis, Tullianum sermonem omnino repræsentat.

2. *Confidere.* Plusquam *sperare.* — *Qualem cognitum judicarunt.* Qualem postea agnoverunt. — *Colonos.* Novos incolas. *Colonus* interdum est qui *agrum colit, agricola;* alias, ut hic, designat eum qui e regione quapiam ad aliam incolendam transmigrat. — *Vellent.* Rogati a Chersonesi incolis, uti refert Herodot.

tere. Cujus generis[3] quum magnus numerus esset, et multi ejus demigrationis peterent societatem; ex his delecti Delphos deliberatum missi sunt, qui consulerent Apollinem, quo potissimum duce uterentur: nam tum[4] Thraces eas regiones tenebant, cum quibus armis erat dimicandum. His consulentibus, nominatim[5] Pythia præcepit, ut Miltiadem sibi imperatorem sumerent: id si fecissent, incepta prospera futura[6]. Hoc oraculi responso, Miltiades, cum delecta manu classe Chersonesum profectus, quum accessisset Lemnum, et incolas ejus insulæ sub potestatem redigere vellet Atheniensium, idque Lemnii sua[7] sponte facerent, postulasset; illi irridentes responderunt, tum id se facturos, quum ille, domo navibus proficiscens, vento aquilone venisset Lemnum: hic enim ventus, a septem-

VI, 34, de alio Miltiade, Cypseli filio.

3. *Cujus generis.* Supple hominum, vel colonorum. Herodotus autem, ibid., ipsos incolas, Doloncos, qui tunc Chersonesum incolebant, Delphos deliberatum misisse narrat. — *Deliberatum missi sunt.* Idem est, ac missi sunt qui consulerent, ut constat e Themistocle, II, « miserunt Delphos consultum, quidnam facerent de rebus suis. Deliberantibus Pythia respondit, etc. » Verba igitur sequentia, *qui consulerent Apollinem*, glossam redolere nemo ibit inficias.

4. *Nam tum Thraces.* Dolonci, Herodoto teste, qui tunc gravi bello ab Apsinthiis urgebantur, reges suos Delphos oraculum Apollinis sciscitatum miserunt.

5. *Nominatim.* Aperte, et indicato nomine, quum alias per flexuosas ambages respondere oraculum soleret. « Flexa, non falsa autumari dictio Delphis solet. » Pacuvius Peribæa. — *Pythia.* Pythonissa etiam et Phœbas dicebatur. Virgo sacerdos Apollinis, qui *Pythius*, a serpente Pythone interempto, vocabatur. Pythia autem insidens tripodi Apollinis, gravem spiritum e specu subeuntem excipiebat; sicque furore exagitata vaticinabatur. « Nam terræ vis Pythiam Delphis incitabat, naturæ sybillam. » Cicer. de Divinat. I, 36. Demosth. Pythiam auro Philippi corruptam φιλιππίζειν dicebat. Ceterum de oraculis vide Origenem, III contra Celsum; et *Fontenelle, Hist. des Oracles.*

6. *Futura.* Subaudi, dixit. Vide apud Sall. Jug. XIV « *Si ea fecissent*, etc.

7. *Sua sponte.* Ne qua vi opus esset. — *Vento aquilone.* Sic infra, II, vento borea. — *Septemtrionibus.* A septemtrionali mundi parte. Sen. Quæst. nat. V, 16: « a septemtrionali latere summus est Aquilo, medius

trionibus oriens, adversum tenet Athenis proficiscentibus. Miltiades, morandi tempus non habens, cursum direxit, quo tendebat, pervenitque Chersonesum.

II. Ibi brevi tempore Barbarorum[1] copiis disjectis, tota regione, quam petierat, potitus, loca castellis[2] idonea communivit; multitudinem, quam secum duxerat, in agris collocavit, crebrisque excursionibus locupletavit. Neque minus in ea re prudentia, quam felicitate, adjutus est: nam quum virtute[3] militum devicisset hostium exercitus, summa æquitate res constituit, atque ipse ibidem manere decrevit. Erat enim inter eos dignitate regia[4], quamvis carebat nomine: neque id magis imperio, quam justitia, consecutus. Neque eo secius Atheniensibus, a quibus erat profectus, officia præstabat. Quibus rebus fiebat, ut non

Septemtrio, imus Thrascias. » — *Adversum tenet*. Ex adverso flat, adversatur. Metaphora e re militari deprompta, qua directa acies contra alteram adversum tenere, hoc est, opposita esse, recte dicitur. — *Cursum*. Navigationem.

Cap. II. 1. *Barbarorum*. Thracum. Populi enim externi a Græcis *Barbari* vocabantur. Idem ap. Romanos, Ægyptios ac Scythas. — *Disjectis*. Dissipatis. Ita apud Cæsarem, I, 25, de bello Gall. « Phalange *disjecta*, gladiis districtis in eos impetum fecerunt. »

2. *Loca castellis idonea*. Herod. VI, 36, docet isthmum Chersonesi Miltiadem præsepisse muro, et ita Apsinthios cohibuisse. Ista autem omnia de alio, ut supra diximus, Miltiade narrat Herod. — *Castellum* autem munimentum castro minus est; oppidum enim vallo, fossa, et turribus quum cingitur *castrum*, dum vicus *castellum* appellatur. « Erat mons saxeus mediocri *castello* satis patens. » Sallust. Jug. XCII. — *Collocavit multitudinem*. Quæ agros assignatos coleret.

3. *Virtute*. Fortitudine. Ut passim in optimis auctoribus ac præcipue in Sallustio : « Ni *virtus* fidesque vestra, etc. Nonne emori per *virtutem* præstat, etc. » Catil. XX. — *Devicisset*. Penitus prostravisset.

4. *Dignitate regia*. Expulsis e Chersoneso Thracibus, rebusque suis ibi confirmatis, Miltiadem usurpasse tyrannidem testantur Plutarchus, de sera numinis vindicta, et Herodotus, VI, 39. Non igitur diuturna ejus dominatio : primum enim a Scythis, deinde a Phœnicibus pulsus, Athenas confugit. — *Quamvis carebat nomine*. Id est, titulo regis. *Quamvis* cum indicativo minus usitatum, magnis tamen exemplis, Tit. Liv. II, 40, etc. — *Consecutus*. Non qua imperator, sed qua justus, id obtinuit. — *Officia*.

minus eorum voluntate perpetuo imperium obtineret, qui miserant, quam illorum[5], cum quibus erat profectus. Chersoneso tali modo constituta, Lemnum revertitur, et ex pacto postulat, ut sibi urbem[6] tradant : illi enim dixerant, quum, vento borea domo[7] profectus eo pervenisset, sese dedituros : se autem domum Chersonesi habere. Cares[8], qui tum Lemnum incolebant, etsi præter opinionem res ceciderat, tamen, non dicto, sed secunda fortuna adversariorum capti, resistere ausi non sunt, atque ex insula demigrarunt. Pari felicitate ceteras insulas, quæ Cyclades nominantur, sub Atheniensium redegit potestatem.

III. Eisdem temporibus, Persarum rex Darius[1], ex Asia in Europam exercitu trajecto[2], Scythis bellum inferre

Qualia absens præstare poterat, veluti frumentum mittere, etc.

5. *Qui miserant, quam illorum*, etc. Id est Atheniensium ac colonorum voluntate.

6. *Urbem*. Quidam *urbem* pro insula capiunt, quod tantum, si esset *civitatem*, intelligi posset. *Myrinam* autem hic intelligendam esse docet Charax apud Stephanum, urbem primariam, qua tradita, tota insula penes Miltiadem erat.

7. *Domo*. Ex ea urbe, ubi *domicilium* haberet. Buchn.

8. *Cares*. Pelasgos Lemnum hac tempestate incoluisse narrat Herodotus, VI, 140. — *Præter opinionem*. Aliter ac speraverant; præter exspectationem. Sic Sallustius in Jugurt. LVII : « quod Metellus amplius *opinione* morabatur. » Atque idem : « Contra *opinionem* Jugurthæ ad Thalam perveniunt. » — *Ceciderat*. Evenerat. Metaphora e talorum jactu ducta, ubi fors, non consilium certum dominatur. Tzs. — *Dicto*. Conventione. Tum quia pactio seria non fuisset : quippe qui *irridentes* respondissent; tum quod de Miltiadis domo illa quam tunc habebat, non quam armis postea quæsierat, spopondissent. Rav. — *Sed secunda fortuna*, etc. Zenobius paullo aliter, Cent. 3, num. 37. Gebhard. — *Capti*. Impulsi.

Cap. III. 1. *Darius*. Hystaspis filius, quem Esdras et Philo Assuerum vocant; quique sui equi hinnitu, occisis Magis regni Persarum usurpatoribus, rex electus est : unde postea in sigillo sculptum equum habuisse fertur. Adversus Jancyrum, vel, ut alii volunt, Identhyrum, Scytharum regem in Europa, bellum movit, quod suam filiam sibi uxorem denegasset, teste Justino, II, 5; vel secundum Herod. IV, 1, quod Scythæ in Mediam irrupissent.

2. *Exercitu trajecto*. Per Thracicum Bosphorum, quem ponte junxit. Septingentis hominum millibus constabat hic exercitus. Just. II, 5; Herod. IV, 87; Diodor. II, 5, octingentis. — *Scythis*. Non Asiaticis,

decrevit. Pontem fecit in Istro flumine, qua copias traduceret : ejus pontis, dum ipse abesset, custodes[3] reliquit principes[4], quos secum ex Ionia et Æolide duxerat; quibus singulis ipsarum urbium perpetua dederat imperia. Sic enim putavit, facillime se græca lingua loquentes, qui Asiam[5] incolerent, sub sua retenturum potestate, si amicis suis oppida tuenda tradidisset, quibus, se oppresso, nulla spes salutis relinqueretur. In hoc fuit tum numero Miltiades, cui illa custodia crederetur. Hic, quum crebri afferrent nuntii, male rem gerere[6] Darium, premique ab Scythis; Miltiades hortatus est pontis custodes, ne a fortuna datam occasionem liberandæ græciæ dimitterent : nam, si cum his copiis, quas secum transportaverat, interiisset Darius, non solum Europam fore tutam, sed etiam eos, qui Asiam incolerent Græci genere, liberos a Persarum futuros dominatione et periculo. Id et facile effici posse : ponte enim rescisso, regem vel hostium ferro, vel inopia, paucis diebus interiturum. Ad hoc consilium quum plerique[7] accederent, Histiæus Milesius, ne res conficeretur,

sed Europæis, qui Tanaïm inter et Iaxartem amnes siti erant.

3. *Custodes*. Etenim non tantum ad transitum, sed et ad recursum hunc pontem fecerat.

4. *Principes*. Primarios cives, quos hisce urbibus præfecerat.

5. *Asiam*. Minorem scilicet. — *Se oppresso*. Si ipsemet Darius opprimeretur. — *Cui*. Refer ad eorum *numerum*, quibus scilicet cura pontis tuendi committeretur.

6. *Male rem gerere*. Uti adversa fortuna. Ita *male pugnare*, pro cladem accipere, adhibere solet Sallust., vid. Jug. LIV, CII, CXIV et passim. — *Hortatus est*. Hoc ipsos Scythas fecisse, Miltiademque suasisse et approbasse commemorat Herod. IV, 137. — *Græciæ*. Asiaticæ scil. — *Transportaverat*. Nempe ultra Istri pontem. — *Græci genere*. Qui genus quidem e Græcia ducerent, domo tamen et patria barbari. — *Dominatione et periculo*. Tyrannide periculum Græcis faciente. Tanta enim Persarum crudelitas in devictas gentes, ut ipsas variis suppliciorum generibus excruciarent, nec quietem ullam ipsis concederent. Vide Herod. de Zopyro, III, 159. Hinc Nepos addidit *et periculo*. — *Inopia interiturum*. Commeatibus interclusis. Supple *dixit*, ut supra hisce vocibus, *nam si*, etc.

7. *Plerique*. Nomina eorum recenset Herodotus, IV, 138. — *Accederent*. Mos fuit apud Romanos,

obstitit, dicens, non idem ipsis, qui summas imperii tenerent expedire, et multitudini; quod Darii regno ipsorum niteretur dominatio : quo exstincto, ipsos potestate expulsos civibus suis pœnas daturos. Itaque adeo se abhorrere a ceterorum consilio, ut nihil putet ipsis utilius, quam confirmari regnum Persarum. Hujus quum sententiam plurimi essent secuti, Miltiades, non dubitans, tam multis consciis, ad regis aures consilia sua perventura, Chersonesum reliquit, ac rursus Athenas demigravit. Cujus ratio etsi non valuit [8], tamen magnopere est laudanda, quum amicior omnium libertati, quam suæ fuerit dominationi.

IV. Darius autem, quum ex Europa in Asiam [1] rediisset; hortantibus amicis, ut Græciam redigeret in suam potestatem, classem quingentarum navium comparavit, eique Datim præfecit et Artaphernem; hisque ducenta peditum,

ut, quum nimis longum esset singulorum senatorum sententias audire, duabus tribusve cognitis reliqui a subselliis discedentes in illorum, quorum sententiæ assentiebantur, subsellia transirent. Hinc Sallustius, Cat. L : « Silanus pedibus in sententiam Neronis iturum se dixerat. » LV: « Sil. in Catonis sententiam discessit. » —*Histiæus.* Mileti, urbis Ioniæ, præfectus, uti constat ex Herod. V, 39, e quo h. locus *Lambino* expressus videtur.—*Summas imperii.* Usitatius, *summam imperii* capere, tenere.

8. *Cujus ratio etsi n. v.* Quamvis ratio illa vel hoc consilium non vicerit.—*Amicior omnium libertati, q. s. f. d. Dominationi* apte libertati opponitur. Ita ap. Sall. Jug. X : « quis *amicior* quam frater fratri? » cum dativo.

Cap. IV. 1. *Rediisset.* Hellesponto diversa via turpiter trajecto. Herod. IV, 143. — *Amicis.* Consiliariis, adjutoribus rerum gerendarum, inter quos Pisistratidæ, ac præcipue Hippias, qui in exilium ejectus, sese Dario ducem obtulit adversus suam patriam. Vid. Herod. VI, 94 et 102; Thucydidem, VI, 60; Just. II, 9 : « Nefarius Hippias, Pisistrati filius, qui in Marathonia pugna cecidit, arma contra patriam ferens. » Cic. ad Att. IX, 10. — *Quingentarum.* Trecentas fuisse Plato ait in Menexeno; Herodot. VI, 95, mille triremes numerat, absque navibus *Hippagogis*, in quas equos imposuerunt. — *Datim præfecit et Artaphernem.* Hi ambo Persæ et Darii Satrapæ; Artaphernes quidem Darii frater : uterque post Marathoniam cladem in Græcia infeliciter periit, a Spartanis in puteum conjectus, et superstructa pyra vivus suffocatus. Courtin. — *Ducenta peditum*, etc. Pausanias et Valerius Max. l. infra c. trecenta; Lysias, in epitaph., quingenta mill. numerant.

decem millia equitum dedit: causam interserens[2], se hostem esse Atheniensibus, quod eorum auxilio Iones Sardeis expugnassent, suaque præsidia interfecissent. Illi præfecti regii, classe ad Eubœam appulsa, celeriter[3] Eretriam ceperunt, omnesque ejus gentis cives abreptos in Asiam ad regem miserunt. Inde ad Atticam accesserunt, ac suas copias in campum Marathona deduxerunt[4]. Is abest ab oppido circiter millia passuum decem. Hoc tumultu[5] Athenienses tam propinquo, tamque magno permoti, auxilium nusquam, nisi a Lacedæmoniis, petiverunt; Philippidemque, cursorem ejus generis, qui Hemerodromi[6] vocantur,

2. *Interserens.* Id est, prætexens. Sic in Themist. VII, *interponens.* De belli Persici causa dissentiunt auctores, ut fere de omnibus, quæ in Miltiadis vita leguntur. — *Iones.* Aristagora, Mileti tyranno, auctore. Herod. V, 99. — *Præsidia.* Milites in hac urbe præsidium agitantes.

3. *Celeriter.* Septimo die, Euphorbi et Philagri proditione. Herod. VI, 101. Imo triduo, ut Plato in Menexeno, ac De legibus refert. — *Abreptos,* etc. Ex Darii mandato, qui Dati satrapæ mortem minatus fuerat, nisi ad eum Eretrienses Atheniensesque captivos perduceret. Teste Platone, in Menexeno.

4. *Marathona deduxerunt.* Duxit Hippias, de quo supra. — *Oppido,* id est Athenis. — *Millia passuum decem.* Pro stadiis, quæ sic ad Romanorum rationem revocavit Nepos. Stadium vero, ait Plin. II, 23, « centum viginti quinque nostros efficit gressus, hoc est, pedes sexcentos viginti quinque. »

Le mille romain (mille passus *et au pluriel* millia passuum, *ou simplement* millia) *est ainsi nommé parce qu'il se formait de mille pas romains. Le pas romain était composé de 5 pieds romains, et le pied romain revient à 10 pouces 10 lignes $\frac{1}{3}$ environ du pied de Paris, c'est-à-dire, à 0,294,246 de mètre; par conséquent le pas romain revient à 4 pieds 6 pouces 4 lignes et un peu moins de $\frac{1}{12}$ de ligne, ou à 1,471 mètres, et le mille romain à 754 toises 5 pieds 1 pouce 3 lignes, ou à 1,471,232 mètres. Cette évaluation est fondée sur des mesures prises entre des pierres milliaires antiques, trouvées en 1777 sur la voie Appienne, dans les marais Pontins.* (Barbié du Bocage.)

5. *Tumultu.* Recte bellum tam propinquum tamque subitum tumultus dicitur. — *Nisi a Lacedæmoniis.* Tunc Atheniensium sociis, qui tamen non nisi post Marathoniam pugnam venerunt, nescio qua religione detenti, quam ex Lycurgi legibus propter crescentem aut evanescentem lunam habebant; quod Strabo refert ex Herodot. VI, 106; unde apud Justinum, II, 9, « quos ubi viderunt quatridui teneri religione, exspectato auxilio, etc. »

6. *Hemerodromi.* E græco ἡμέρας δρόμος. « Ingens die uno cursu eme-

Lacedæmonem miserunt, ut nuntiaret, quam celeri opus esset auxilio. Domi autem creant decem prætores[7], qui exercitui præessent; in eis Miltiadem : inter quos magna fuit contentio, utrum mœnibus se defenderent, an obviam irent hostibus, acieque decernerent. Unus Miltiades maxime nitebatur[8], ut primo quoque tempore castra fierent : id si factum esset, et civibus animum accessurum, quum viderent de eorum virtute non desperari; et hostes eadem re fore tardiores, si animadverterent, auderi adversus se tam exiguis copiis dimicare.

V. Hoc in tempore nulla civitas Atheniensibus auxilio fuit, præter Platæensium[1] : ea mille misit militum. Itaque horum adventu decem millia[2] armatorum completa sunt; quæ manus mirabili flagrabat pugnandi cupiditate : quo factum est, ut plus quam collegæ Miltiades valuerit. Ejus enim auctoritate impulsi Athenienses copias ex urbe eduxerunt, locoque idoneo castra fecerunt; deinde postero die

tientes spatium, » ut explicat Liv. XXXI, 24.

7. *Prætores.* Græc. στρατηγοί. — *Contentio*, etc. Ut fit ubi plures imperant. Notum proverbium : Πολλοὶ στρατηγοὶ Καρίαν ἀπώλεσαν. — *Acieque decernerent.* Prælio dimicarent, et in campo congrederentur.

8. *Nitebatur.* Apte, propter magnam contentionem. — *Ut primo quoque tempore castra fierent.* Ut quam celerrime possent, mœnibus relictis, castra in campis haberent Athenienses. — *Animum.* Fiduciam.

Cap. V. 1. *Præter Platæensium.* Vid. Herod. VI, 108; Isocrat. orat. 9; et Plut. in Aristid. — *Mille misit milites.* Ita in Datame noster, ac sæpius loquitur Livius. Consulendus præsertim de hac constructione Gronovius, de Pecun. vet. I, 10. Herodotus l. c. duo millia numerat.

2. *Decem millia.* Plutarchus quoque Atheniensium novem millia in *Parall.* numerat. Servos autem, hunc numerum ut compleret, certe omnium primus ad pileum, ut postea in rebus angustis consuevit, vocaverat Miltiades. Pausan. in Att. Justinus autem decem millia militum, præter auxiliares mille Platæenses, Atheniensibus attribuit. — *Manus.* Apte, exercitus loco; siquidem hic copiæ exiguæ cum immenso Darii exercitu conferuntur. — *Flagrabat pugnandi cupiditate.* De Atheniensium alacritate narrat Isocrates in Paneg. XXIV, « eos periclitaturos procurrisse, ὥσπερ ἐν ἀλλοτρίαις ψυχαῖς μέλλοντας κινδυνεύσειν. » Justin. quoque, II, 9, ait : « Quum M. passus inter duas acies essent, citato cursu ante jactum sagittarum ad hostem venisse. » Adde Lysiam in Epitaph.

sub montis radicibus[3], acie e regione instructa, nova arte, vi summa prælium commiserunt: namque arbores multis locis erant stratæ, hoc consilio, ut et montium tegerentur altitudine, et arborum tractu equitatus hostium impediretur, ne multitudine clauderentur. Datis, etsi non[4] æquum locum videbat suis, tamen, fretus numero copiarum suarum, confligere cupiebat; eoque magis, quod, priusquam Lacedæmonii subsidio venirent, dimicare utile arbitrabatur. Itaque in aciem peditum centum, equitum decem millia produxit, præliumque commisit: in quo tanto plus virtute[5] valuerunt Athenienses, ut decemplicem numerum hostium profligarent; adeoque perterruerunt, ut Persæ non castra, sed naves peterent. Qua[6] pugna nihil adhuc est nobilius; nulla enim unquam tam exigua manus tantas opes prostravit.

3. *Montis radicibus*. Imo monte, qui mons Panis dictus est, uti apparet ex Pausania, I, 32, extr. — *E regione*. I. e. ex adverso hostium. Quomodo instructa fuerit acies, narrat Herod. VI, 111. — *Arte*. Strategemate. — *Stratæ*. Plurimi legunt *raræ*. *Stratæ* vero cum Tzsch. Harles., etc., nec sine MSS. retinui, eo quod rectius explicentur verba *nova arte*. Arbores enim fecerat *raras* natura vel alia prior causa; *stratas ars* disjecerat. — *Et arborum*, etc. Sensus est: ne circumvenirentur a multitudine, quum longa arborum serie implicaretur hostium equitatus.

4. *Non æquum* Incommodum, iniquum. Ita apud Sallust. XCII, « *Propter iniquitatem loci.* » — *Priusquam Lacedæmonii*. Hi vero, ut jam dictum est, quatridui religione tenebantur, quod intra id tempus plena nondum luna esset, quam ante nefas ipsis educere exercitum. Herod. VI, 106; Pausan. I, 28; Lucian. Astrolog. 25, etc.

5. *Tanto plus virtute*, etc. « *Tanta virtute*, inquit Justinus, II, 9, decertatum est, ut hinc viros, inde pecudes putares, » quia more animalium multi cadebant. *Decemplicem*, id est decies majorem. — *Sed naves peterent*. Neglectis castris, quorum tuendorum spes ex animis exciderat. Ita Justinus, II, 9: « Victi Persæ in naves confugerant, ex quibus multæ suppressæ, multæ captæ sunt. » Sunium tamen prætervecti, Athenas expugnare tentabant; celeri autem Atheniensium accursu fuerunt impediti. Herod. VI, 116.

6. *Qua pugna*, etc. Bellum inter Scythicum, quod cap. 3 describitur, et pugnam Marathoniam de qua hic agitur, annos octodecim effluxisse animadvertit Schlegel. 8. — *Nihil adhuc*. Id est, hactenus. — *Est nobilius*. Adeo nobile fuit hoc

VI. Cujus victoriæ, non alienum[1] videtur, quale præmium Miltiadi sit tributum, docere: quo facilius intelligi possit, eamdem omnium civitatum esse naturam. Ut enim populi nostri[2] honores quondam fuerunt rari et tenues, ob eamque causam gloriosi, nunc autem effusi atque obsoleti; sic olim apud Athenienses fuisse reperimus. Namque huic[3] Miltiadi, qui Athenas, totamque Græciam liberarat, talis honor tributus est, in porticu, quæ Pœcile vocatur, quum pugna depingeretur Marathonia, ut in decem præ-

prælium, ut etiam per eos, qui in illo interierunt, jurare solemne fieret. Vide Demosthen. de Coron. cap. 60. — *Tantas opes prostravit.* Gr. δύναμιν πολεμικήν. Ita in Thrasybulo, Conone, Dione et Annibale loquitur. De cæsorum numero inter scriptores non convenit. Epigramma vero illud, quod Marathoniæ pugnæ in porticu Pœcile inscriptum fuit, fide magis dignum:

Ἑλλήνων προμαχοντες Ἀθηναῖοι Μαραθῶνι
Ἔκτειναν Μήδων εἴκοσι μυριάδας.

En illa tropæa quæ Themistoclem resipiscentem excitabant!

Cap. VI. 1. *Non alienum.* Non intempestivum, ut loquitur Sallustius: « Res ipsa hortari videtur. » Catil. VI. — *Naturam.* Consuetudinem, ingenium, mores et indolem.

2. *Populi nostri.* Romani scilicet, cujus mores sua ætate corruptos perstringit noster. — *Honores..... rari*, quia neque ambitioni, neque gratiæ, sed uni virtuti dabantur. *Tenues*, nempe obsidionalis corona tantummodo graminea erat (Gell. V, 6) tanto autem honore habita, ut omnia ipsi decora cesserint. Sic et apud Græcos Olympionicarum præmium corona erat oleagina, Diodorus Siculus, IV, 14. « Dona enim amplissima imperatorum et fortium civium tum erant, quantum quis uno die circumaravisset; et quartarii farris aut heminæ, conferente populo. » Plin. XVIII, 3. — *Effusi atque obsoleti.* Id est, promiscue vulgati et viles. Ita Curt. IX, 1: « Jam vilia et obsoleta esse spolia de Persis. » Attamen ad antiquum morem ducum militumque præmia Augustus revocavit, ut Suetonius, II, 25, narrat: « Dona militaria aliquanto facilius, phaleras et torques, et quidquid auro argentoque constaret, quam vallares ac murales coronas, quæ honore præcellerent, dabat: has quam parcissime et sine ambitione, ac sæpe etiam caligatis tribuit.

3. *Huic M.* Celeberrimo illi Miltiadi — *Pœcile.* Pœcile porticus erat Athenis, variis picturarum generibus adornata, quarum auctor Polygnotus Thasius. Diog. Laert. VII, in Zenone. In hac porticu pugna Marathonia depicta est. Pœcile autem, gr. Ποικίλη, oritur e ποικίλος, (diversis coloribus distinctus). Ante Πεισιανάκτειος dicta. Vid. Diog. La. ibid. — *Depingeretur.* A Panæno, Phidiæ fratre, pictum id prælium

torum numero prima ejus imago poneretur, isque hortaretur milites, præliumque committeret. Idem ille populus, posteaquam majus imperium est nactus, et largitione magistratuum corruptus est, trecentas[4] statuas Demetrio Phalereo decrevit.

VII. Post hoc prælium[1], classem septuaginta navium Athenienses eidem Miltiadi dederunt, ut insulas, quæ barbaros adjuverant, bello persequeretur : quo imperio[2] plerasque ad officium redire coegit, nonnullas vi expugnavit.

ait Plinius major, Nat. historiæ, XXXV, 8, ubi et quos duces in eo pinxerit narrat. Ælianus a Micone, aut Polygnoto Thasio pictum vult, Hist. animal. VII, 28. — *Poneretur.* *Ponere* proprie dicitur de pictoribus. Propertius, II, 2, 53:

Si quis vult fama tabulas anteire vetustas,
Hic dominam exemplo ponat in arte meam.

— *Hortaretur*, etc. Id est depingeretur habitu ducis milites adhortantis et prælium committentis. Alterum Miltiadis præmium tropæa fuerunt ex hostium manubiis, quibus se a somno quotidie excitari querebatur Themistocles. Vide Tullium, IV Tusc., et Plut. Them.

4. *Trecentas.* Numero noster pleno utitur. Alii enim, 350.; alii, 360. positas fuisse produnt. Sed, ut apprime infra animadvertit noster, « parva munera diutina, locupletia non propria esse consuevere. *Les trois cents statues de Démétrius de Phalère furent toutes renversées de son vivant même; et le tableau où le courage de Miltiade était représenté subsista plusieurs siècles après lui.* Roll. H. Anc. l. VI, ch. 1. — *Phalereo.* Ita a Phalereo portu, Piræi propinquo, dictus est Demetrius. Hunc Macedoniæ rex Cassander, populi auctoritate eversa, Athenis præfecerat. Decem ibi annis postquam imperasset, a Demetrio Poliorceta, Antigoni filio, quum ille priscam Atheniensibus libertatem restituisset, in exilium ejectus est; simulque omnes statuæ, dum viveret, fuerunt eversæ. In solitudine autem quum se relictum videret, aspidis morsu necem sibi conscivit. Adde *Fontenelle, dialog. d'Érost. et de Démétrius de Phalère.*

Cap. VII. 1. *Post hoc prælium.* Herodotus, VI, 132, paulo aliter. Narrat enim « Miltiadem ab Atheniensibus naves septuaginta et exercitum, et pecunias petiisse, tacentem adversus quos bellum gesturus esset. Hoc tantum eis pollicitum, se eos locupletaturum, si se sequerentur; ei enim regioni se bellum illaturum, unde magnam vim auri facile essent laturi, etc. » Lambinus. Videntur hæc Petavio, pars I. Ration. temp. 3, 2, proximo anno ab victoria Marathonia evenisse. — *Insulas q. b. a.* Nimirum Cycladas.

2. *Quo imperio.* Supple dum functus est. — *Officium.* I. e. ad obedientiam, a qua desciverant, barbaros quum adjuvissent. Ita in Cimone, Conone, Datame et Eumene loquitur noster. « Postquam majorem

Ex his Parum insulam, opibus elatam, quum oratione reconciliare[3] non posset; copias e navibus eduxit, urbem operibus clausit, omnique commeatu privavit : deinde, vineis ac testudinibus[4] constitutis, propius muros accessit. Quum jam in eo esset[5], ut oppido potiretur ; procul in continenti lucus, qui ex insula conspiciebatur, nescio quo casu, nocturno tempore incensus est. Cujus flamma ut ab oppidanis et oppugnatoribus est visa, utrisque venit in

legionum partem in *officio* vident.» Tacit. Annal. I, 48.

3. *Reconciliare*, etc. Divitiis Parum et potentia superbientem quum verbis, et admonitionibus, ad officium revocare non posset. Hanc rem longe aliter narrat Herod. VI; quod longum sit referre : quare petat lector a fonte. Quæ autem hac de re scripsit, ex Ephoro sumpsisse videtur Nepos. — *Operibus clausit.* Munitionibus, i. e. fossa, vallo, et aggere circumdedit. — *Urbem commeatu privavit.* Nempe mari prohibitam atque interclusam.

4. *Vineis ac testudinibus.* Vinea, instrumentum bellicum, lignis levioribus compactum, latum pedibus octo, altum septem, longum sexdecim, tectum duplici ligno, cratibusque contextum. Latera quoque vimine sepiuntur, ne saxorum ac telorum impetu perfringantur : extrinsecus, ne crementur, crudis ac recentibus coriis integuntur. Quum plures fuerint, junguntur ordine; sub quibus oppugnantes tutius ad muros subruendos penetrant — *Testudo.* Machina bellica. Erat autem materia tabulatis contexta, et coriis cilicinis aut centonibus, et aliis, quæ difficulter comburi possunt, contexta. Hæc intrinsecus habebat trabem, quæ unco præfigebatur ferreo, et falx vocabatur, ab eo quod incurvata esset, et de muro extraheret lapides. Retro enim ducebatur trabs funiculis suspensa, ut reducta impetuosius feriret : ideoque et testudo dicta a similitudine reptilis, quod caput nunc exerat, nunc reducat. Testudo interdum dicebatur quam faciebat exercitus se tegumentis scutorum undique operiens, ut testudo suo obducta est putamine, eaque specie referebat tectum ædificiorum. Sic autem se operiebant crate perpetua clypeorum adversus sagittas Parthorum et adversus omnia missilia superne cadentia, quum urbem oppugnarent. E Veget. IV, 15; Lips. Poliorc. I, 7, etc.

5. *Quum jam in eo esset*, etc. Id est, quum jam parum abesset ut, etc. ita in Pausania, V: *quum jam in eo esset ut comprehenderetur.* Liv. II, 17 : *jam in eo esset ut muros evaderet miles.* » Sic Græci ἐν τούτοις et ἐνταῦθα εἶναι dicunt. — *In continenti.* Supple *terra.* Ephorus vero : ὕλης τινὸς ἐξ αὐτομάτου περὶ τὴν Μύκονον ἐξαφθείσης, quod quidem probabilius dicitur, quam de continenti, cui obstabant plures insulæ. — *Nescio quo casu.* Ne quis spontaneam combustionem

opinionem[6], signum a classiariis regiis datum : quo factum est, ut et Parii a deditione deterrerentur[7], et Miltiades, timens ne classis regia adventaret, incensis operibus, quæ statuerat, cum totidem navibus atque erat profectus, Athenas magna cum offensione civium suorum rediret. Accusatus ergo proditionis[8], quod, quum Parum expugnare posset, a rege corruptus, infectis rebus, a pugna discessisset. Eo tempore æger erat vulneribus, quæ in oppugnando oppido acceperat. Itaque, quoniam ipse pro se dicere non posset, verba pro eo fecit frater ejus Tisagoras[9]. Causa cognita[10], capitis absolutus, pecunia multatus est : eaque lis quinquaginta talentis[11] æstimata est, quantus in classem sumptus factus erat. Hanc pecuniam quod solvere in præsentia non poterat, in vincula[12] publica conjectus est, ibique diem obiit supremum.

existimet; quippe, teste celeberrimo *Gay-Lussac*, harum combustionum certa adhuc exempla desiderantur.

6. *Venit in opinionem*. Sic in Attico, IX : « nemini enim in *opinionem* venit. » Satis insolenter pro in mentem. — *Classiariis regiis*. Militibus classis Darii.

7. *Deterrerentur*. A voluntate deditionis deducerentur, sibi a Persis metuentes. — *Incensis operibus*. Munitionibus : vallum enim ex sudibus et turribus constabat; ne quis cum Magio vineas, testudines, et machinas bellicas intelligi putet. Bosius.

8. *Proditionis*. Teste autem Justino, II, 15; ac Seneca, Controv. IX, 1, peculatus. — *Rege*. Persarum enim reges non solum a suis, sed etiam a græcis romanisque scriptoribus, nunc μεγάλοι βασιλεῖς, magni reges, nunc absolute *reges* dicebantur. — *Infectis rebus*. Ita apud Sallustium, Jug. CIV, et passim : « Marius postquam, infecto quo intenderat negotio, Cirtam redit. »

9. *Tisagoras*. Qui quidem vocatur ab Herod. l. c. Stesagoras, ac multo ante, quam hoc Miltiadi acciderit, obierat.

10. *Causa cognita*. Causa examinata. — *Capitis absolutus*. Amicis causam ejus agentibus, et beneficia quibus patriam sibi obstrinxerat commemorantibus, Herod. VI; nam alias mors proditionis pœna.

11. *Quinquaginta talentis*. Nostri æris 285,537 fr. Vide *Letronne*, *Considérations générales sur les monnaies grecques et romaines*, pag. 93. — *Æstimata*. Hic impensas in navium fabricatione spectat.

12. *In vincula publica*. *Vincula* respondere Romanorum *nervo*, quo pedes vinciuntur eorum, qui propter æs nexi erant, putat Ravius. Harl. — *Diem obiit supremum*. Ita

VIII. Hic etsi crimine Pario[1] est accusatus, tamen alia fuit causa damnationis. Namque Athenienses, propter Pisistrati tyrannidem[2], quæ paucis annis ante fuerat, omnium suorum civium potentiam extimescebant. Miltiades, multum in imperiis magistratibusque[3] versatus, non videbatur posse esse privatus : præsertim quum consuetudine ad imperii cupiditatem trahi videretur. Nam Chersonesi omnes illos, quos habitarat, annos perpetuam obtinuerat dominationem[4], tyrannusque fuerat appellatus, sed justus. Non erat enim vi consecutus, sed suorum voluntate ; eamque potestatem bonitate retinuerat. Omnes autem et habentur et dicuntur tyranni, qui potestate sunt perpetua in ea civitate, quæ libertate usa est. Sed in Miltiade erat quum summa humanitas, tum mira comitas; ut nemo tam humilis esset, cui non ad eum aditus pateret : magna auctoritas apud omnes civitates, nobile nomen, laus rei militaris[5] maxima. Hæc populus

narrat A. Gell. XVII, 21. Val. Max. V, 3, ext. 3. Imo in Barathrum fuisset dejectus, nisi obstitisset Prytanis, nempe præses concionis, Plat. in Gorgia. De concione et Prytanibus vide Periz. ad Ælian. lib. V, et IX. Miltiadem ex putrefacto femore obiisse narrat Herod. VI, 136.

Cap. VIII. 1. *Crimine Pario.* Ob Pari obsidionem relictam.— *Damnationis.* Multæ scilicet impositæ et carceris.

2. *Pisistrati tyrannidem.* Quomodo eam occuparit et gesserit videre est ex Solonis epistola ad Epimenidem, apud Diog. Laert. lib. I; Herodoto, I, 59; Plutarch. in Solone; Diodoro Siculo, XIII, 95; Val. Max. I, 3, et VIII, 9 ; Ælian. VIII, 16; Just. II, 8. Ex recentioribus nemo quidem accuratior Joh. Meursio, qui integro libro omnia complexus est. Primus omnium Athenis bibliothecam publicavit Pisistratus, anno Romæ conditæ 228. Servio Tullio regnante e vita cessit. — *Quæ paucis annis ante fuerat.* Anno scilicet, ut ex Thucyd. colligitur, vicesimo ante pugnam Marathoniam.— *Potentiam extimescebant.* Videtur expressisse Thucyd., qui de Alcibiade eadem refert, l. V. Rav.

3. *In imperiis magistratibusque.* Recte interpretatus est Heusinger: *imperia* peregre, militaria; *magistratus*, domi, civiles erant.

4. *Dominationem.* Imperium. — *Tyrannus.* Nempe, ut Aristoteles loquitur, τύραννος κατὰ νόμον, *tyrannus legitimus.* Ernst.

5. *Laus rei militaris.* Fama rebus bello gestis parta.

respiciens[6], maluit eum innoxium plecti, quam se diutius esse in timore. *

6. *Respiciens.* Anxius considerans. —*Maluit eum innoxium plecti, quam se diutius esse in timore.* « *Ainsi il* (*le peuple Athénien*) *aima mieux punir un innocent, que d'avoir toujours devant les yeux un tel sujet de crainte. C'est ce même principe qui établit l'ostracisme à Athènes : mais il est difficile d'excuser pleinement une si étrange politique, à qui tout mérite devient suspect, et qui convertit la vertu même en crime.* » *Roll. H. Anc.* l. VI, ch. 6.

* Miltiadis res habentur apud Plutarchum in vita Cimonis; apud Herod., præsertim lib. VI; Pausan. in Attic.; Ælian. XII, 35; Platon. in Gorgia; Cicer. passim; Val. Max. V, 3, ext. 3 et VIII, 14, ext. 1; Justin. II, 9, et 15.; Gell. XVII, 21, et alios. BOECL. Quibus addas Suidam, verbo Μιλτιάδης. ERNST. Effigiem ejus habes ex Herme veteri inter imagines illustrium F. Ursini num. 92. Ejusdem Hermes alius repertus olim Romæ in monte Cœlio his versibus græcis et latinis inscriptus :

QUI. PERSAS. BELLO. VICIT.
MARATHONIS. IN. ARVIS.
CIVIBUS. INGRATIS. ET PATRIA INTERIIT.
ΠΑΝΤΕC. ΜΙΛΤΙΑΔΗ. ΤΑΔΑΡΗΙΑ
ΕΡΓΑ. ΙCΑCΙΝ.
ΠΕΡCΑΙ. ΚΑΙ. ΜΑΡΑΘΩΝ. CΗC.
ΑΡΕΤΗC ΤΕΜΕΝΟC.

Exhibent Gruterus, Inscription. p. 438, 6; et Jo. Faber, in Commentar. ad imagines Ursini, p. 58. Spectatur et in numismate pereleganti (nescio quam vetusto) quod penes me est, effigies Miltiadis cum titulo ΜΙΛΤΙΑΔΟΥ ΑΘΗΝΑΙΟΥ. In aversa parte imago libertatis sinistra manu pileum tenentis; super puero lauream attollente, cum hac inscriptione : ΕΛΛΗΝΩΝ ΕΛΕΥΘΕΡΕΙΑ. BOSIUS. Adde imprimis apud nos *Rollin, Hist. Anc.*, liv. VI, ch. I; *et Barthélemy, Voyag. d'Anacharsis, introduction, 2e section, siècle de Thémistocle et d'Aristide.*



II.

THEMISTOCLES.

ARGUMENTUM.

Cap. I; Themistocles adolescens liberius vivit. Exhæredatus reipublicæ se dedit. — II; Clarus Corcyræo et Persico bello. Oraculum de muris ligneis interpretatur. — III; Secundum prælium ad Artemisium. — IV; Dolo Xerxem vincit juxta Salamina. — V; Callido nuntio Græciam liberat. — VI; Piræi portum et muros Athenarum extruit. Lacedæmonii repugnant. — VII; Lacedæmonios arte elusos acriter reprehendit. — VIII; Ostracismo in exilium ejectus, varia fuga agitatur. — IX; Themistoclis ad Artaxerxem litteræ. — X; Multis muneribus a rege ornatur. Magnesiæ moritur. Ejus sepultura.

Themistocles, Neoclis filius, Atheniensis. Hujus vitia ineuntis adolescentiæ[1] magnis sunt emendata virtutibus: adeo ut anteferatur huic nemo, pauci pares putentur. Sed ab initio est ordiendum. Pater ejus Neocles generosus[2] fuit. Is uxorem Halicarnassiam[3] civem duxit, ex qua natus est

Cap. I. *Vitia ineuntis adolescentiæ*, etc. Ita apud Valer. Max. VI, 9, exter. 2 : « Piget Themistoclis adolescentiam attingere, sive patrem aspiciam abdicationis inurentem notam, sive matrem suspendio finire vitam propter filii turpitudinem coactam, quum omnium postea Graii sanguinis virorum clarissimus extiterit. » Ista autem omnia apud Plut. in Them. pro falsis ducuntur.

2. *Generosus*. Nobili genere ortus. Aliter Plut. in Themist.

3. *Halicarnassiam*. Ex Halicarnasso, Cariæ capite. Hinc a Plut. νόθον πρὸς μητρὸς vocatur. Γνήσιοι

Themistocles. Qui quum minus esset probatus[4] parentibus, quod et liberius vivebat, et rem familiarem negligebat, a patre exhæredatus est. Quæ contumelia[5] non fregit eum, sed erexit. Nam quum judicasset, sine summa industria[6] non posse eam extingui; totum se dedit reipublicæ, diligentius amicis famæque serviens. Multum in judiciis privatis versabatur[7], sæpe in concionem populi prodibat; nulla res major sine eo gerebatur; celeriterque, quæ opus erant, reperiebat. Neque minus in rebus gerendis promptus[8], quam excogitandis, erat : quod et de instantibus, ut ait Thucy-

enim, *legitimi*, cives habebantur, qui utrumque parentem Atheniensem habebant; νόθοι autem, *spurii*, quorum pater sive mater peregrina, ut docet Aristoteles, lib. VI, Polit. 4. Themistoclis matrem alii Threiciam meretriculam, Abrotonum nomine, fuisse asserunt; alii Cariam, Euterpenque dictam scribunt. Plut. Themist. Vide Athenæum, XIII, 15.

4. *Minus esset probatus parentibus.* Qui nempe hujus vitia ægre ferebant. Hæc verba illustravit Harles. in obs. Misc. A. 1744, p. 526, et sequentibus. Quum autem Plutarchus, Ælianus, ac Valer. Max. patris unius mentionem faciunt, *parentibus* immerito Schottus vituperat : quippe minus probare filium uterque parens; exhæredare autem pater unus poterat. — *Liberius vivebat.* Dissolute nimis se ferebat. — *Exhæredatus est. Abdicationis* verbo in hac re usi sunt Seneca, controvers. I, 7, et Valer. Maxim. Vide supra. Plutarchus quoque ἀποκήρυξιν vocat. Inter causas abdicationis fuisse vitam liberiorem et prodigalitatem cognoscimus e Seneca, controv. I, 8, et 9; Quintiliano, declam. 279 et 290. De Atheniensium abdicatione plura apud Petit. II, 4.

5. *Quæ contumelia*, etc. Paterna enim familia excidebat abdicatus juvenis, publiceque per præconem pronunciabatur patrem negare hunc suum filium esse amplius. Vide *Petit.* Unde apud Senecam, Controvers. I, 8, Themistocles dicitur, *abdicationem*, tanquam turpem notam, *virtute delevisse.* — *Non fregit eum, sed erexit.* Themistocli, nedum frangeret, fuit incitamento. Similiter Curtius, VII, 2, de cohorte seorsim a cæteris ignominiæ causa jussa tendere : « Incitabat virtutem ignominiæ delendæ cupido. »

6. *Summa industria.* Summo studio in omnibus officiis implendis. — *Amicis famæque serviens.* Amicorum famæque parandæ studiosus.

7. *Multum in judiciis privatis versabatur.* Privatis litibus sese immiscebat, eas compositurus. Vide Plutarchum in Themist. — *Quæ opus erant.* Scilicet consilia.

8. *Neque minus in rebus gerendis promptus*, etc. Ita loquitur Herodianus, II, 9 : νοῆσαί τε ὀξὺς, καὶ τὸ νοηθὲν ἐπιτελέσαι ταχύς. — *Quod et*

dides, verissime judicabat, et de futuris callidissime conjiciebat. Quo factum est, ut brevi tempore illustraretur.

II. Primus autem gradus fuit capessendæ [1] reipublicæ bello Corcyræo: ad quod gerendum prætor a populo factus, non solum præsenti bello, sed etiam reliquo tempore, ferociorem reddidit civitatem. Nam quum pecunia publica, quæ ex metallis [2] redibat, largitione magistratuum quotannis interiret; ille persuasit populo, ut ea pecunia classis centum navium ædificaretur. Qua celeriter effecta, primum Corcyræos fregit; deinde, maritimos prædones consectando, mare tutum reddidit. In quo quum divitiis ornavit, tum etiam peritissimos belli navalis fecit Athenienses. Id quantæ saluti fuerit [3] universæ Græciæ, bello cognitum est Persico, quum Xerxes et mari et terra bellum uni-

de instantibus, etc. Id est, præsentibus, τῶν μὲν παρόντων, ut ait Thucydides, I, 138; quem locum, contractis tantum verbis, noster expressit. — *Thucydides*. Atheniensis, historiæ scriptor peritissimus de bello Peloponnesio.

Cap. II. 1. *Primus autem gradus fuit capessendæ reipublicæ*, etc. i. e. primus gradus, cujus ope ad rempublicam administrandam accessit, fuit in bello Corcyræo. Contra Herodotus, VII, 144, et Thucydides pro *Corcyræo*, Ægineticum scribunt. Corcyræi autem, teste Plutarcho, in Themistocle, cum Corinthiis habuerunt controversiam, quam Themistocles, arbiter adhibitus, Corcyræorum commodo diremisse dicitur. Quare vel locus forsan jam a nostro est corruptus, vel in nomine erravit, aut alios auctores est secutus. — *Ferociorem*. Bellicosiorem.

2. *Metallis*. Id est, ex argenti fodinis, quæ erant in Laurio monte. Centum talentorum fuisse hunc reditum ait Polyænus, I, 30, 5. — *Interiret*. De pecunia dicitur, quæ pravo usu sensim extinguitur. Haud dissimili metaphora *opes senescere* dixit noster in Alcibiade, V. *Omnibus modis pecuniam trahunt, vexant*, ait Sallust. Cat. XX. Dividebatur autem hæc pecunia, si Herodoto fides, viritim denis in singulos puberes drachmis. — *Centum*. Ita Polyænus, l. c. et Plutarch. in Them. IV. Ducentas vero naves numerat Herodotus, VII, 144. Quo autem artificio id persuaserit Themistocles refert Polyænus, l. c.

3. *Quantæ saluti fuerit*. Quam utile et salutare fuerit. —*Bello Persico*. Intelligitur bellum Persicum secundum. Primi enim in Miltiade facta est mentio. — *Xerxes*. Darii Nothi, patris sui cladem Marathoniam vindicaturus. Herodot. VII, 5. — *Mari terraque*. Non tam apte *mari terraque* ad immensas

versæ inferret Europæ cum tantis copiis, quantas neque antea, neque postea habuit quisquam. Hujus enim classis mille et ducentarum navium longarum[4] fuit, quam duo millia onerariarum sequebantur : terrestres autem exercitus septingentorum millium peditum, equitum quadringentorum millium fuerunt. Cujus de adventu quum fama in Græciam esset perlata, et maxime Athenienses peti dicerentur, propter pugnam Marathoniam; miserunt Delphos consultum, quidnam facerent de rebus suis. Deliberantibus[5] Pythia respondit, ut mœnibus ligneis se munirent. Id responsum quo valeret[6], quum intelligeret nemo ; Themistocles persuasit, consilium esse Apollinis, ut in naves se suaque conferrent; eum enim a Deo significari murum ligneum. Tali consilio probato, addunt ad superiores[7] totidem naves triremes; suaque omnia, quæ moveri poterant,

regis copias quadrasse existimamus. « Gravem illum et mari et terræ Xerxem, nec hominibus tantum terribilem, sed Neptuno quoque compedes, et cœlo tenebras minitantem. » Valer. Max. III, 2, ext. 3. — *Inferret Europæ*. Scilicet Græciæ Europeæ. Præcipue suasu Mardonii, etsi dissuaderet Artabanus patruus, nec non precibus Pisistratidarum et Alevadarum, Thessaliæ regum, adductus. Vid. Herod. VII; Diod. XI. Herod. triennium integrum, Justinus quinquennium, Julianus, Orat. 1, decem annos hujusce belli apparatu fuisse consumptos memorat. De hujus invasionis tempore non satis convenit inter scriptores; ostendit autem Petavius, de Doctr. temp. XIII, 23, eam accidisse Olymp. 74 anno quarto exeunte, hoc est periodi Julianeæ 4234, urbis Romæ 274, imminente vere. — *Tantis copiis*. De navium hominumque numero scriptores non conveniunt: milites, seu potius homines 5,283,220 narrat Herodot. Adde *Rollin*, *Hist. Anc.*, l. VI, c. 2.

4. *Navium longarum*. Longæ milites, onerariæ commeatum vehebant.

5. *Deliberantibus*. Oraculum consulentibus. Vide in Miltiad. I. — *Pythia*. Vid. in Miltiad., loco citato. Nomen ei Aristonice fuit, teste Herodoto qui, VII, 141, oraculi responsum integrum refert.

6. *Quo valeret....* Id est quid significaret, quo spectaret. — *Nemo*. Narrat tamen Herodotus, VII, quosdam etiam de navibus intellexisse; quod postea confirmavit Themist.

7. *Ad superiores*. Nempe *centum*, ineunte hoc capite. — *Triremes*. Sic dictæ juxta numerum transtrorum et remorum supra se invicem locatorum, serie quantumvis non directa. — *Omnia, quæ moveri poterant*. Liberos scilicet, conjuges, servos

partim Salamina, partim Trœzena asportant; arcem sacerdotibus paucisque majoribus natu, ac sacra procuranda tradunt; reliquum oppidum relinquunt.

III. Hujus consilium plerisque civitatibus displicebat[1], et in terra dimicari magis placebat. Itaque missi sunt delecti[2] cum Leonida, Lacedæmoniorum rege, qui Thermopylas occuparent, longiusque barbaros progredi non paterentur. Hi vim hostium non sustinuerunt[3], eoque loco omnes interierunt. At classis communis Græciæ trecen-

et supellectile. Ita rursus in Dione, IV. — *Ac sacra procuranda.* Servanda sacra Minervæ Poliadis; v. Strab. IX. *Sacerdotibus* quidem tradunt, quod sacra non viderentur prætermittenda; *senioribus* vero, sive quod nollent mutare sententiam de arce lignis vallisque munienda, vid. Herod. VIII, et Pausan. in Att.; seu quoniam senes in patria occumbere maluerunt, ut Romani apud Livium, V, 41. Herodotus pauperes quoque relictos fuisse scribit. Reliqui senes in insulam deportati, teste Aristide, in oratione ὑπὲρ τῶν τεττάρων. — *Reliquum oppidum relinquunt. Reliquum relinquunt,* deformis sane loquendi modus. Cicero, lib. III, de Officiis, c. 2, narrat Cyrsilum quemdam suasisse, ut in urbe manerent Xerxemque reciperent, sed eum ab Atheniensibus fuisse lapidibus obrutum.

Cap. III. 1. *Displicebat.* Nempe, ut censebant, arces atque urbes, hoste adventante, muniendæ potius quam deserendæ. — *Dimicari.* Pro dimicare, ita sæpissime noster.

2. *Missi sunt delecti.* In numero tam delectorum et occisorum quàm Persarum, quibuscum pugnarunt, mire discrepant. Hinc sane noster tantummodo *delectos* missos fuisse ait. Vide Herodot. VII; Ælian. III; Paus. III; Just. II, 11. — *Leonida Lacedæmoniorum rege,* etc. De quo vid. Pausan. III, 4 et 14. *Rege.* Quamvis enim imperium penes populum apud Lacedæmonios esset, regem tamen habebant, cujus potentiam coërcebant Ephori.

3. *Hi vim hostium non sustinuerunt.* Ista quidem romani scriptoris verba prælio omnium sane præclarissimo minime respondent. Æquior Justinus, II, 11: « Ad postremum non victi, sed vincendo fatigati, inter ingentes stratorum hostium catervas occiderunt. » Hujusce autem pugnæ gloriam multo eloquentius *Montaigne* celebravit: *Il y a des pertes triumphantes à l'envi des victoires. Ny ces quatre victoires sœurs, les plus belles que le soleil aye oncques veu de ses yeulx, de Salamine, de Platée, de Mycale, de Sicile, n'oserent oncques opposer toute leur gloire ensemble à la gloire de la desconfiture du roy Léonidas et des siens au pas des Thermopyles.* (*Essais*, liv. I, ch. 30.) — *Eoque loco omnes interierunt.* Horum ducisque interitum narrant Herod. VII, 224; Justin. II, 2; Diod. XI, 4. Vide apud nos egregiam *Bar-*

tarum navium, in qua ducentæ erant Atheniensium[4], primum apud Artemisium, inter Eubœam continentemque terram, cum classiariis regiis conflixit; angustias enim Themistocles quærebat, ne multitudine circumiretur. Hinc etsi pari prælio[5] discesserant, tamen eodem loco non sunt ausi manere: quod erat periculum, ne, si pars navium adversariorum Eubœam superasset, ancipiti premerentur periculo. Quo factum est, ut ab Artemisio discederent, et exadversum[6] Athenas, apud Salamina, classem suam constituerent.

IV. At Xerxes, Thermopylis expugnatis, protinus accessit Astu[1], idque, nullis defendentibus, interfectis sacer-

thélemy narrationem, *Voyage d'Anacharsis*, nec non tabulam pictoris nostri nunc præclarissimi. Quibus interemptis, publica monumenta erecta sunt, inscriptaque tropæis épigrammata. V. Strab. IX; Herod. VII. Adde Cic. Tuscul. I, 42: « Pari animo Lacedæmonii in Thermopylis occiderunt, in quos Simonides:
Dic, hospes, Spartæ nos te hic vidisse jacentes,
Dum sanctis patriæ legibus obsequimur. »

4. *Ducentæ erant Atheniensium.* Herodotus, princip. lib. VIII, solum Atticas et Platæensium CXXVII; in universum vero CCLXXI memorat. Diodorus Siculus Atheniensium CXL, universim CCLXXX. Isocrates in Areopagitico Atheniensium tantummodo LX fuisse scribit. Plutarchus, in Themistocle, ducentas fuisse affirmat. — *Apud Artemisium*, etc. Vid. Herod. VIII; Diodor. XI; Plutarch. in Themistocle. Sexto Thargelionis (secundi Atheniensium mensis vernalis) die pugnam hanc commissam ait Ælianus, II, 25; sed ex Herodoto apparet, media æstate, ineunte Olympiade LXXV, contigisse. — *Cum classiariis regiis.* Quorum classis tum dissipata; quæ jam paullo ante tridui tempestate CCCC, ut Herodotus, VII, 190, sed ut Diod. XI, 12 plus quam trecentas triremes amiserat.

5. *Pari prælio.* Alias, æquo Marte, pari Marte, æquis manibus, æqua manu. — *Superasset.* Præternavigasset. — *Ancipiti premerentur periculo.* Ne hostis a fronte et a tergo simul urgeret.

6. *Exadversum.* Insolenter pro e regione, in conspectu Athenarum: ita *exadversus Thrasybulum*, VIII, 2. Plin. lib. V, cap. 31, cum genitivo *exadverso* adhibet: « Posita est inter Samum et Lesbon, exadverso maxime Erythrarum. »

Cap. IV. 1. *Astu.* Athenas, quæ apud Atticos ἄστυ per excellentiam dicebantur, quemadmodum Romani Romam *urbem* vocabant. Hanc tantum urbis partem in qua arx erat, ἄστυ vocat Strabo, IX. Astu nomen suum debet Theseo, ut Meursius, in Theseo, e Plutarcho docet. — *Nullis defendentibus.* Astu

dotibus, quos in arce invenerat, incendio delevit. Cujus fama perterriti classiarii[2] quum manere non auderent, et plurimi hortarentur, ut domos suas discederent, mœnibusque se defenderent; Themistocles unus restitit, et, universos esse pares, aiebat, dispersos testabatur perituros[3]. Idque Eurybiadi, regi Lacedæmoniorum[4], qui tum summæ imperii præerat, fore affirmabat. Quem quum minus, quam vellet, moveret[5], noctu de servis suis, quem habuit fidelissimum, ad regem misit, ut ei nuntiaret suis verbis, « adversarios ejus in fuga esse : qui si discessis-

defenderunt, sed frustra, teste Ctesia apud Photium, p. 118; Herodoto, VIII, 52. — *In arce*. Eam quomodo occuparit refert Herodotus, VIII, 53. — *Incendio delevit*. Ita in Iphicrate, II : « Non prius Thebani Sparta abscessissent, quam captam *incendio delessent*. ». Arcem cum urbe combustam narrat Herodotus; urbem solam, Gellius, VI, 17.

2. *Classiarii*. Græcorum classis milites. *Non auderent*. Isocrates contra, nimio laudandi studio abreptus, Athenienses non metuisse scribit, imo laudat quod socios cohortationibus retinuerint. Paneg. XXVII. Themistoclis orat. vide apud Herod. VIII, 60.

3. *Universos esse pares aiebat, dispersos testabatur perituros*. « Insuperabiles sunt universas aggredientibus; easdem lacerabit et carpet, qui per partes attentaverit. » Frontin. I, 10 : Sic et Cicero ad Atticum : « Nos, disjecta manu, pares adversariis esse non possumus. » Sallustius, in Jug. X : « Equidem ego vobis regnum trado firmum, si boni eritis; sin mali, imbecillum : nam concordia parvæ res crescunt, discordia maxumæ dilabuntur. » Eamdem sententiam strictius expressit *Lafontaine*, Fables IV, 18 :

Toute puissance est faible, à moins que d'être unie.

4. *Eurybiadi, regi Lacedæmoniorum*. Is Leonidæ ad Thermopylas interempto successerat. Hunc regio genere fuisse negat Herodotus, VIII, 42, Plutarchusque in Themist. eum μαλακὸν περὶ τὸν κίνδυνον fuisse memorat : ad quem oratio Themistoclis extat apud Herodotum, ut diximus. — *Summæ imperii*. Omnis ei belli gerendi administratio, Atheniensibus et Themistocle consentientibus, fuerat commissa.

5. *Quem quum minus, quam vellet, moveret*. Eurybiadi quum, prout cupiebat, non persuaderet. — *De servis suis, quem habuit*, etc. Notanda inversionis elegantia, pro fidelissimum servorum suorum ad regem misit. Nomen huic servo, liberorum Themistoclis pædagogo, Sicinnus erat. Herod. VIII, 75. Hunc saltationis genus invenisse, quod Σίκιννις dicebatur, ait Clemens Alex. Pædagog. I, 7. Hoc autem de Themistoclis strategemate vid. Front. II, 2; Polyæn. 1, 30; Justin. II, 12. — *Suis verbis*. Themistoclis nomine.

sent, majore cum labore[6], et longinquiore tempore bellum confecturum, quum singulos consectari cogeretur: quos si statim aggrederetur, brevi universos oppressurum. » Hoc eo valebat, ut ingratiis[7] ad depugnandum omnes cogerentur. Hac re audita, Barbarus[8], nihil doli subesse credens, postridie alienissimo sibi loco, contra opportunissimo hostibus, adeo angusto mari conflixit, ut ejus multitudo navium explicari non potuerit. Victus ergo[9] est magis consilio Themistoclis, quam armis Græciæ.

V. Hic etsi male rem gesserat[1], tamen tantas habebat

6. *Majore cum labore*, etc. Hæc pene eadem Frontin. II, 2: « Difficilioremque rem Xerxi futuram, si singulas civitates obsidione aggrederetur. » Alexander apud eumdem, XI, 13. « Magno se æstu liberatum ait, quod liceat cum omnibus Darii copiis confligere; veritum se longam belli moram, si Persæ exercitum divisissent. » Similiter Justinus ait: « majore labore ei singulas consectandas. »

7. *Hoc eo valebat, ut ingratiis*, etc. Id eo tendebat, ut inviti omnes ad pugnam adigerentur. *Ingratiis* usurpaverunt Plautus, Terentius; *ingratis* vero Lucretius, III, 1083, et pass. Quidam tribunt et Cicer. pro Quint. cap. 14; sed alii aliter.

8. *Barbarus*. Xerxes scilicet, e græcorum more. — *Alienissimo*. Incommodo, iniquissimo. Ita Cæsar de bell. Gall. I, 15: *Alieno loco prælium committunt*. — *Angusto mari*. Scilicet in freto, inter Salamina et Heracleum, sive fanum Herculis, in Attica situm, supra quod Xerxes, classem et aciem speculaturus, in edito consederat. Diod. Sic. XI; Plut. in Themist. — Quod tamen de pugna tantum incipiente intelligendum; quippe multum quoque aperto mari pugnatum est. Diod. Addit Plutarch. Themistoclem non solum loci, sed etiam temporis commoditatem captasse, quo ventus, e mari increbrescens, fluctus per fretum impelleret, magno Barbarorum navium, utpote quæ altiores et graviores, incommodo. Rem prorsus Nepoti omissam, quæ tamen non minimum ad victoriam contulit momentum. Addit et Front. II, 2, 14: « Effecit, ut exercitus Barbarorum primum inquietaretur, dum tota nocte in statione custodia est; deinde, ut sui mane integris viribus cum dictis Barbaris vigilia marcentibus confligerent. »

9. *Victus ergo est*. Vide infra Chronologiam. Ipso hujusce pugnæ die natus fertur Euripid. Plutarch. Sympos. VIII; Diog. Laërt. II, 45. — *Consilio*. Solertia, ut ait Frontinus. Omittuntur a Nepote quæ de Mardonio et Alexandro, Amyntæ filio, Macedonum rege, ad Athenienses misso, referuntur ab Herod. VIII, 136. Plut. autem in Arist. rem aliter narrat.

Cap. V. 1. *Hic etsi male rem gesserat*. Quantum damni Xerxis cladi

reliquias copiarum, ut etiam cum his opprimere posset hostes. Interim ab eodem gradu depulsus est[2]. Nam Themistocles, verens, ne bellare perseveraret, certiorem eum fecit[3], « id agi, ut pons, quem ille in Hellesponto fecerat, dissolveretur, ac reditu in Asiam excluderetur; » idque ei persuasit. Itaque, qua sex mensibus iter fecerat, eadem[4] minus diebus triginta in Asiam reversus est, seque a Themistocle non superatum, sed conservatum judicavit. Sic unius viri prudentia Græcia liberata est, Europæque succubuit Asia[5]. Hæc altera victoria, quæ cum Marathonio possit comparari tropæo[6]. Nam pari modo apud Salamina parvo numero navium maxima post hominum memoriam classis est devicta.

addiderit Scyllis Scioneus, vide Hard. ad Plinium, XXXV, 11. Sed confer de eo Herodotum, VIII, 8, ejusque interpretes.

2. *Gradu depulsus est.* Metaphora a gladiatoribus deprompta, pro ab occasione rei bene gerendæ dejectus est. Hac opportunitate fuit orbatus, perinde ac si quis in pugna de loco dejiceretur.

3. *Certiorem eum fecit.* Per eumdem Sicinnum, quo antea fuerat usus. Ita Herod., Just., Diod. Plutarchus vero scribit, missum Arnacen quemdam, e regiis eunuchis, inter captivos inventum. Polyænus unum ex eunuchis Arsacen narrat. Rem quoque narrat Frontinus, II, 6, 8. — *Id agi, ut pons,* etc. Eo consilia tendere, ut pons rescinderetur. Atque id revera agebatur, suadente in speciem Themistocle, renitente sive Euryb., sive Arist.

4. *Eadem.* Supple via. *Minus diebus triginta.* Minus quam diebus, etc. Herodotus ait Xerxem nullam copiarum partem ducentem intra quinque et quadraginta dies ad trajectum pervenisse. — *Seque a Themistocle non superatum,* etc. Ita Themistocles quum proditor videretur, nec tamen esset, eadem opera et servavit quos prodidisse credebatur, et conciliavit sibi quem deceperat. Quod non calliditatis tantum, sed etiam haud vulgaris felicitatis est. Fischer.

5. *Europæque succubuit Asia.* Asiatici, sive Persæ, ab Europæis, id est Græcis, fuerunt devicti. Non amplius hæc verba notant.

6. *Tropæo.* Poetica fere locutione, judice Heinrichio. Quum præcedat *victoria*, ad quam vocem simpliciter accommodari potuisset *Marathonia*, apparet variandi studium. Tzs. Alludere videtur noster ad Themist. adhuc juvenem, quem vel in somnis tropæum Miltiadis excitaret. Cur in insula Psyttalia tropæum fuerit erectum, docet Plut. in Aristide. — *Maxima classis.* Plusquam mille navibus constabat, quarum Diodorus, XI, 19,

VI. Magnus hoc bello Themistocles fuit, nec minor in pace. Quum enim Phalereo portu, neque magno neque bono, Athenienses uterentur; hujus consilio triplex[1] Piræi portus constitutus est; isque mœnibus circumdatus, ut ipsam urbem dignitate æquipararet, utilitate superaret. Idemque muros[2] Atheniensium restituit præcipuo periculo suo. Namque Lacedæmonii, causam idoneam nacti[3], propter barbarorum excursiones, qua negarent, oportere extra Peloponnesum ullam urbem haberi, ne essent loca munita, quæ hostes possiderent, Athenienses ædificantes prohibere sunt conati. Hoc longe alio spectabat atque[4] videri volebant. Athenienses enim duabus victoriis, Marathonia et Salaminia, tantam gloriam apud omnes gentes erant consecuti, ut intelligerent Lacedæmonii, de principatu sibi

supra CC periisse ait, præter eas quæ cum viris captæ sunt. Ctesias autem D scribit amissas. — *Post hominum memoriam*. Ex quo homines memorantur esse. Ita loquitur in Aristide, I. Et Cicero : *hoc post hominum memoriam contigit nemini*. In Cat. I, 7.

Cap. VI. 1. *Triplex*. Tres portus a natura facti, nimirum Piræus ipse, Phalerus et Munychia, Themistoclis opera, uno muro conclusi sunt. Vide Thucyd. I, 93; Pausan. I, 1, 2. Piræum autem triplicem dictum arbitratur Vossius, quod tres diversæ stationes in eo essent. — *Dignitate*. Splendore, propter operis magnificentiam. Tanta enim latitudo muri erat, ut duo plaustra lapides comportantia e regione præterirent : neque cæmento intus lutoque expletus, sed constructis coagmentatisque saxis firmatus, ferro plumboque foris continebatur. Vid. Thucyd. l. c. — *Utilitate*. Utilitas porro ex ipsa urbis conditione æstimari debet. Quippe mari potissimum hostica vis timebatur, ita ut, portu occupato, parum aut nihil esset in oppido præsidii.

2. *Muros*, etc. Muros a Persis dirutos restituit. *Præcipuo periculo suo*. Quod postea explicatur; gallice *à ses risques et périls*.

3. *Lacedæmonii, causam idoneam nacti*, etc. De hoc prætextu silent auctores; invidiam vero Lacedæmoniorum obtendunt. Vide Just. II, 15; Polyæn. I, 30, 4. — *Ullam urbem*. Supple muro circumdatam. Justin. I, 15 : « Mittunt ergo legatos, qui moneant, ne munimenta hostibus et receptacula futuri belli extruant. »

4. *Hoc longe alio spectabat atque*, etc. Hac in re longe aliud intendebant, quam quod ostentabant. — *Atque*. Usitatius est hoc sensu, *ac*, ubi consona subsequitur. — *De principatu*. Quem hactenus ob-

cum his certamen fore: quare eos quam infirmissimos esse volebant. Postquam autem audierunt, muros instrui; legatos Athenas miserunt, qui id fieri vetarent. His præsentibus desierunt[5], ac se de ea re legatos ad eos missuros dixerunt. Hanc legationem suscepit Themistocles, et solus primo profectus est: reliqui legati ut tum exirent, quum satis altitudo[6] muri extructa videretur, præcepit; interim omnes servi[7] atque liberi opus facerent; neque ulli loco parcerent, sive sacer esset, sive profanus, sive privatus, sive publicus; et undique, quod idoneum ad muniendum putarent, congererent. Quo factum est, ut Atheniensium muri ex sacellis sepulcrisque[8] constarent.

VII. Themistocles autem, ut Lacedæmonem venit, adire ad magistratus[1] noluit, et dedit operam, ut quam longissime tempus duceret, causam interponens, se collegas

tinuerant Lacedæmonii, murorum oppugnandorum imperiti, et a Lycurgo πυργομαχεῖν *prohibiti*. Vide Herodot. IX, 70.

5. *Desierunt*. Supple, opus facere. Consilio Themistoclis, ne scilicet a Lacedæmoniis et reliquis Peloponnesiis ab opere incepto impedirentur. Diodor. XI. Paulo aliter narrat Thucydides; sed, apud Plut. in Themistocle, neque de legatis retentis, ut refert Thucydides, neque de opere intermisso, ulla mentio. Thucydidis narrationi congruunt Justinus et Frontinus.

6. *Quum satis altitudo*, etc. Quum satis alte murus extructus videretur. Eamdem, majori autem felicitate, formam adhibuit Phædr. I, 8, de grue: *Gulæ* (Lupi) *credens colli longitudinem*.

7. *Servi*. Quippe tumultuarium opus erat. Vid. Thucyd. I, 93. — *Sive sacer*. Quanquam fuerit præceptum vetus, non esse movenda, seu violanda, neque altaria neque sepulcra aut heroum sacella. Vide Zenob. I, 54.

8. *Ex sacellis sepulcrisque*. Hæc tantum sacra enumerat, eo quod maxime mentes agitarent.

Cap. VII. 1. *Adire ad magistratus*. Ephoros adire. Præpositionum duplicatione gaudet imprimis noster, ut et optimæ notæ scriptores. Vide hic paulo inferius in Dione, VIII; Hannibale, II; et pass. — *Ut quam longissime tempus duceret*, etc. Ita apud Justinum, II, 15: « Et nunc in itinere, infirmitate simulata, nunc tarditatem collegarum accusans, sine quibus agi jure nihil possit, diem de die proferendo, spatium consummando operi quærebat. » — *Causam interponens*; supra in Miltiade, IV, *causam interserens*, i. e. causatus, hoc prætextu usus.

expectare. Quum Lacedæmonii quererentur, opus nihilominus fieri, eumque in ea re conari fallere; interim reliqui legati sunt consecuti. A quibus quum audisset, non multum superesse munitionis[2], ad ephoros Lacedæmoniorum accessit, penes quos summum imperium erat: atque apud eos contendit, falsa his esse delata; quare æquum esse, illos viros bonos nobilesque mittere, quibus fides haberetur, qui rem explorarent; interea se obsidem retinerent. Gestus est ei mos[3], tresque legati, functi summis honoribus, Athenas missi sunt. Cum his collegas suos Themistocles jussit proficisci; eisque prædixit[4], ut ne prius Lacedæmoniorum legatos dimitterent, quam ipse esset remissus. Hos postquam Athenas pervenisse ratus est, ad magistratum senatumque[5] Lacedæmoniorum adiit, et apud eos liberrime professus est: « Athenienses suo consilio, quod communi jure gentium facere possent, Deos publicos, suosque patrios ac penates, quo facilius ab hoste possent defendere, muris sepsisse; neque eo, quod inutile esset Græciæ, fecisse; nam

2. *Non multum superesse munitionis*. Prope esse, ut munitio absolveretur. — *Ephoros*. Supremi magistratus erant Lacedæmoniorum, numero quinque. Hi autem a Theopompo oppositi regibus fuerunt, ut apud Romanos consulibus tribuni. Ut enim a consulibus ad tribunos provocare licebat, sic a regibus Lacedæmoniorum, ad ephoros. Tanta insuper erat eorum potestas, ut reges ipsos in vincula publica conjicere valerent. Vide infra in Pausania. Triginta annis post latas Lycurgi leges fuerunt constituti. De his Arist. II, Pol. c. 7, etc. — *Contendit*. Acriter affirmat; apte quidem, ut Lacedæmoniorum dicta refelleret.

3. *Gestus est ei mos*. Id est, ad ejus sententiam accesserunt ephori.

4. *Prædixit*. Præcepit. Frontin., *suis clam scripsit*; Justin. II, 15: « Per servum magistratibus scribit Atheniensium. »

5. *Ad magistratum senatumque*. Ad ephoros senatoresque, οἱ γέροντες, quorum honos perpetuus; illorum autem annuus. Ita apud Lacedæmonios triplex administrandæ reipublicæ constitutio: nam duo reges cum octo et viginti senatoribus et populo divisum habebant imperium. — *Deos publicos*. Publicos, i. e. toti Græciæ communes. — *Patrios*. Quos unaquæque civitas protectores habet; hic Atticorum dii. — *Penates*. Ita dicti a vocabulo *penitus*, quia in intima ædium parte colebantur: hinc penetrales vo-

illorum urbem ut propugnaculum oppositam esse barbaris, apud quam jam bis classes regias fecisse naufragium. Lacedæmonios autem male et injuste facere[6], qui id potius intuerentur, quod ipsorum dominationi, quam quod universæ Græciæ utile esset. Quare, si suos legatos recipere vellent, quos Athenas miserant, se remitterent, aliter illos nunquam in patriam recepturi. »

VIII. Tamen non effugit civium suorum invidiam[1]; namque ob eumdem timorem, quo damnatus erat Miltiades, testarum suffragiis[2] e civitate ejectus, Argos habitatum concessit. Hic quum propter multas ejus virtutes[3] magna

cantur a poetis. Pro tota domo vox ea fere sumitur. — *Classes regias fecisse naufragium.* Cladem intelligit Marathoniam et Salaminiam. *Fecisse naufragium.* I. e. disjectas fuisse; Græcis haud inusitatum, μεγάλα ποιεῖν ναυάγια.

6. *Male et injuste facere.* Sallust. Jug. XXII : « Populum romanum neque recte, neque pro bono facturum, si ab jure gentium sese prohibuerit. »

Cap. VIII. 1. *Non effugit civium suorum invidiam.* Patet, ex epistolis, quæ sub Themistoclis nomine circumferuntur: prima ad Æschylum, secunda ad Alcetam, quartadecima ad Pausaniam, et nona ad Habronychum. Per hanc vocem *invidiam*, cui nulla hic nostro in sermone respondet, neque *zelotypiæ*, neque odii, quidam vero suspicionis atque inde timoris sensus, nimia civis unius conflatus potestate, intelligitur. — *Namque ob eumdem timorem*, etc. Vide in Miltiade, VIII. *Namque* ita fere solet, pro *nam*, sequente vocali.

2. *Testarum suffragiis.* Ὀςρακισμῷ. Recte autem in Themistocle observat Plutarchus « non pœnam fuisse decennale illud exilium, sed mitigationem allevationemque invidiæ, ut dignitatem eorum et auctoritatem deprimerent, qui uni omnium excellerent maxime et antestarent. » Neque enim aut excidebant bonis suis, aut incurrebant infamiam : in eo omnis coercitio constabat, ut abessent ab urbe ad definitum tempus, ne potentia et gratia, qua pollerent, ad invadendam tyrannidem invitarentur, et populus libertate privaretur; quod in Pisistrato evenisse noverant. Nam, post exactum ejus filium Hippiam, qui in Marathonia pugna ceciderat, contra patriam militans, institutus ostracismus est, et lata lex, ut nemo unus excellat, aut si extiterit aliquis, alio loco et apud alios sit. Similia his Plut. scribit, Aristide, ubi etiam docet quomodo ipsa illa res institueretur. Buch. Vid. in Aristide, I. — *Argos.* Ubi commorabantur, qui testarum suffragiis e civitate ejecti erant. Lambin.

3. *Ejus virtutes. Suas* dicendum

cum dignitate viveret, Lacedæmonii legatos Athenas miserunt[4], qui eum absentem accusarent, quod societatem cum rege Persarum ad Græciam opprimendam fecisset. Hoc crimine absens proditionis[5] est damnatus. Id ut audivit, quod non satis tutum se Argis videbat, Corcyram[6] demigravit. Ibi quum ejus principes civitatis animadvertisset timere, ne propter se bellum his Lacedæmonii et Athenienses indicerent; ad Admetum, Molossorum regem[7], cum quo ei hospitium fuerat, confugit. Huc quum venisset, et in præsentia[8] rex abesset; quo majore religione se receptum tueretur, filiam ejus parvulam arripuit, et cum ea se in

erat. Fortasse explicandi causa aliena manu pronomen ascriptum est. Heusing. Attamen apud auctores non desunt similia, unde nulla exstat ambiguitas.

4. *Lacedæmonii legatos Athenas miserunt.* Causam, cur Lacedæmonii accusarent Themistoclem, Diodorus, XI, 54, hanc fuisse ait, quod ipsi ob Pausaniæ proditionem male audirent; Atheniensium vero existimatio inclaresceret, propterea quod nullus dum ipsorum civis proditionis convictus esset: itaque eos parem nomini Atheniensi ignominiæ notam inurere properasse. Bos.

5. *Hoc crimine absens proditionis*, etc. *Crimine.* Id est criminatione. Proditionis nempe cum Pausania initæ accusabatur, quod familiarius eo uteretur, ac quotidie litteras et nuntios ad eum missitaret. Thucyd. I, 135; Diod. Sic. XI, 54; Plut. in vita Themist. 23. Qui tamen eum hujusce proditionis immunem censent. Adde Plut. lib. de utilit. ex inim. capienda; itemque Pseudo-Themistoclem, epist. XIV.

6. *Corcyram.* Vide supr. II. Totam narrationem de Corcyræis habes, epist. 12 et 19 earum, quæ Themistocli tribuuntur. Memorat Plutarchus Themistoclem Corcyram demigrasse, fiducia veteris beneficii. Vide supra cap. II, not. 1.

7. *Admetum, Molossorum regem*, etc. Thucydides autem, I, 136, et historicorum plerique, itemque Cicero in Bruto, inimicum ei fuisse Admetum aiunt; et hospitii, cujus in nostro, nulla usquam mentio est.

8. *In præsentia.* Tum, ea tempestate. *Rex abesset.* Sic quoque Thucyd. l. c. et falsæ Themist. epist. 20. Diodorus tamen regem adfuisse comiterque Themistoclem excepisse contendit. *Filiam ejus parvulam arripuit.* Nonne rectius legendum *filium?* Thucydides enim, I, 136, ac Plutarchus, ibid., filium, non filiam narrant. Sic Thucydid. ad verbum expressus: « Coactus est divertere ad Admetum, Molossorum regem, qui non ei erat amicus; atque rex forte domi non erat. Hic vero ab illius uxore, ad quam supplex accesserat, edoctus, monetur, ut, sumpto suo ipsorum filio, ad

sacrarium, quod summa colebatur cærimonia, conjecit. Inde non prius egressus est, quam rex eum, data dextra, in fidem reciperet: quam præstitit. Nam quum ab Atheniensibus et Lacedæmoniis exposceretur publice, supplicem non prodidit; monuitque, ut consuleret sibi: difficile enim esse, in tam propinquo loco tuto eum versari. Itaque Pydnam eum deduci jussit, et quod satis esset præsidii[9] dedit. Hac re audita, hic in navem omnibus ignotus nautis ascendit. Quæ quum tempestate maxima Naxum ferretur, ubi tum Atheniensium erat exercitus[10]; sensit Themistocles, si eo pervenisset, sibi esse pereundum. Hac necessitate coactus, domino navis, quis sit, aperit, multa pollicens, si se conservasset. At ille, clarissimi viri captus misericordia, diem noctemque procul ab insula in salo navem tenuit in anchoris[11], neque quemquam ex ea exire passus est. Inde Ephesum[12] pervenit, ibique Themistoclem exponit: cui ille pro meritis gratiam postea retulit.

IX. Scio plerosque[1] ita scripsisse, Themistoclem, Xerxe regnante, in Asiam transiisse. Sed ego potissimum Thucydidi credo, quod ætate proximus erat his, qui illorum

Lares sederet.» — *In sacrarium.* Ubi erat ἑστία Plut. ibid. Morem hunc omnium Græcorum fuisse apparet, ut e foco, veluti *asylo*, extrahere nefas ducerent; ut nec ab ara, nec a principis statua rapere licebat. — *Data dextra.* Fidei pignus apud omnes gentes. Virtuti et fidei veteres dextram, misericordiæ genua, pudori mentum, sagacitati nasum, judicio aurem, fastui supercilium assignabant. — *Publice.* Missis legatis. Diod. Sic. XI, 56.

9. *Præsidii.* Armatorum, pecuniæque præsidium dedit. Diodor. ibid., ἐφόδιον τῆς φυγῆς.

10. *Ubi tum Atheniensium erat exercitus.* Naxum oppugnantium, ut aiunt Thucyd. I, 137; Plutarchus, et Polyænus.

11. *In salo navem tenuit in anchoris.* Anchoris jactis, donec tempestas defervesceret, navem in mari turbido tenuit.

12. *Ephesum.* Diod. multo aliter, XI, 56. — *Gratiam postea retulit.* Nempe ingenti pecunia eum donavit, ut Thucyd. et Plut. referunt.

Cap. IX. 1. *Plerosque.* Ephorum scilicet, Dinonem, Clitarchum, Heraclidem, aliosque complures Plutarcho laudatos. Adde Diodorum Siculum, l. c., Themistoclisque ep. 19. — *Ætate proximus erat.* Omnium

temporum historiam reliquerunt, et ejusdem civitatis fuit. Is autem ait, ad Artaxerxem[2] eum venisse, atque his verbis epistolam misisse: « Themistocles veni ad te, qui plurima mala omnium Grajorum in domum tuam intuli, quum mihi necesse fuit adversus patrem tuum bellare, patriamque meam defendere. Idem multo plura bona feci, postquam in tuto ipse, et ille in periculo esse cœpit. Nam quum in Asiam reverti vellet[3], prælio apud Salamina facto; litteris eum certiorem feci, id agi, ut pons, quem in Hellesponto fecerat, dissolveretur, atque ab hostibus circumiretur: quo nuntio ille periculo est liberatus. Nunc autem ad te confugi, exagitatus[4] a cuncta Græcia, tuam petens amicitiam: quam si ero adeptus, non minus me bonum amicum[5] ha-

auctorum, qui illorum temporum historiam reliquerunt, Thucydides proximus erat: nempe quadriennis ante Themistoclis exilium natus.

2. *Artaxerxem.* Artaxerxes, Longimanus, qui Xerxi patri successerat. Porro inter nomen Xerxis et Artaxerxis hoc interest discriminis, quod alterum ab altero derivetur, cum additamento illo honorifico *Art*, quod quidem apud Persas, Hesychio interprete, significat *magnum;* ita ut Artaxerxes sit quasi *magnus domitor*. Adde nostrum *De regibus*, I. — *Epistolam.* Sequitur Thucydid. I, 137. Hæc autem regi ipsum increpanti respondisse ait, epist. 19, Pseudo-Themistocles. — *Themistocles veni ad te*, etc. Ita ad principem, pro rege tum Britanniæ regna administrantem, Napoleo :

14 Juillet 1815.

Altesse Royale,

En butte aux factions qui divisent ma patrie et aux hostilités des puissances de l'Europe, j'ai dû terminer ma carrière politique, et viens, comme Themistocle, m'asseoir sur les foyers du peuple britannique; je me place sous la protection de ses lois, et en réclame la sauve-garde de V. A. R. comme du plus puissant, du plus constant et du plus généreux de mes ennemis.

Napoléon.

3. *Vellet.* Xerxes enim, ante nuntium a Themistocle missum, jam de reditu suo cogitaverat, uti apparet apud Herodot. ex serie narrationis. Quædam editiones *nollet* habent inconsulte.

4. *Exagitatus.* Translatio a venatoribus, qui exactam cubilibus suis feram nullibi patiuntur consistere, donec in potestatem veniat. Ovidius, Art. amat. III, 662:

Et lepus hic aliis exagitatus erit. Gebhard.

5. *Non minus me bonum amicum*, etc. Non his verbis Thucydides, quem ad verbum exprimere non sane dedecebit: « Themistocles ad te venio, qui ex omnibus Græcis

bebis, quam fortem inimicum ille expertus est. Ea autem rogo, ut de his rebus, de quibus tecum colloqui volo, annum mihi temporis des, eoque transacto, me ad te venire patiaris. »

X. Hujus rex animi magnitudinem admirans, cupiensque talem virum sibi conciliari, veniam dedit[1]. Ille omne illud tempus litteris sermonique Persarum[2] dedit : quibus adeo eruditus est, ut multo commodius dicatur apud regem verba fecisse, quam hi poterant, qui in Perside erant nati. Hic quum multa regi esset pollicitus, gratissimumque illud, si suis uti consiliis vellet, illum Græciam bello oppressurum[3]; magnis muneribus ab Artaxerxe donatus, in Asiam rediit, domiciliumque Magnesiæ sibi constituit. Namque hanc urbem ei rex donarat, his usus verbis, quæ ei panem

unus tuam familiam plurimis affeci malis, quamdiu necessitate patrem tuum, qui mihi bellum inferebat, propulsavi; sed longe pluribus beneficiis, postquam mihi quidem res in tuto essent, illi vero periculosa reversio. Et mihi beneficium debetur. (Scripserat hic Themistocles, quomodo et ante monuisset de receptu ex Salamine, et de pontibus non solutis, quos ruptum iri propter ipsum tunc falso simularat.) Et nunc ego, qui magnis possum beneficiis te afficere, adsum, quem Græci persequuntur propter meam in te benevolentiam. Anno autem supersedens, ipse coram adventus mei causam tibi declarare volo. »

Cap. X. 1. *Veniam dedit.* Annuit postulanti veniendi potestatem.

2. *Litteris sermonique Persarum.* Vide Thucyd. 1, 138. Singularem enim ejus memoriam prædicat Cicero, de Finib. II, 32; nec non Valer. Max. VIII, 7, ext. 15. — *Apud regem verba fecisse.* Jam antea, ut tradit Plutarchus, ib. XXIX, per litteras aut interpretem egerat: sed cum rege Persarum colloqui, nedum in conspectum ejus venire, cuiquam, nisi qui Persarum more veneratus fuisset, licebat. Quem honorem primus e Græcis huic regi detulit Themist. Ita, olim victor, victi hostis genua complecti, ut ait Valer. Max. V. 3, ext. 3, coactus est. Artaxerxem venerari recusat Conon, c. III; et quæ volebat, huic scripta tradit.

3. *Illum Græciam bello oppressurum. Illum*, scilicet Artaxerxem. Id regi eum promisisse cæteri quoque scriptores tradunt; imo, ut volunt falsæ epist. XI et XX, fatetur ipse, quanquam, extr. epist. 19, se hoc unquam admissurum neget. — *Magnis muneribus.* De his Plutarch. in Themist.; Diod. Sic. XI, 57. — *In Asiam rediit.* Scilicet minorem, quæ hodie *Anatolia* dicitur.

præberet[4] (ex qua regione quinquaginta ei talenta quotannis redibant); Lampsacum, unde vinum sumeret; Myuntem, ex qua opsonium haberet. Hujus ad nostram memoriam monumenta manserunt duo : sepulcrum prope oppidum[5], in quo est sepultus; statuæ in foro Magnesiæ. De cujus morte multimodis apud plerosque scriptum est; sed nos eumdem potissimum Thucydidem auctorem probamus : qui illum ait[6] Magnesiæ morbo mortuum; neque negat, fuisse famam, venenum sua sponte sumpsisse, quum se, quæ regi de Græcia opprimenda pollicitus esset, præstare posse desperaret[7]. Idem, ossa ejus clam in Attica[8] ab

4. *Quæ ei panem præberet.* Sic Thucydid. I, 138; Diod. Sic. XI, 57; Plutarchus ibid. qui ex Neanthe et Phania addit, Percotam et Palæscepsin in stragula et vestitum : quos sequitur Athenæus, l. I. Hunc morem Persarum in donando commemorat et M. Tullius, in Verrem, III, 33 : « Solere aiunt barbaros reges Persarum ac Syrorum plures uxores habere; his autem uxoribus civitates attribuere hoc modo : hæc civitas mulieri redimiculum præbeat; hæc in collum, hæc in crines. » Lambin. De hoc Persarum more vide interpr. ad Thucyd. I, cap. 138, aliosque complures. — *Quinquaginta ei talenta q. redibant.* Ita apud Thucyd. I, 138. De hoc reditu tacent Diodor. Sic. II, 57; et Plutarch. in Themist.

5. *Oppidum.* Athenas, ut supra Miltiad. IV. Themistoclis sepulcrum viderat Pausanias, uti affirmat Att. I. init., quod erat juxta Piræum : nam ossa ejus Magnesiæ sublata eo deportarunt propinqui. Vixit autem Pausanias sub Marco imp. — *In quo.* Referri debet ad sepulcrum. Tzs. — *Statuæ in foro Magnesiæ.* Athenis etiam quædam positæ. Pausanias, I, 8. Themistoclis quoque posteros summo honore habuerunt Magnesii. Vide Plut. in fine vitæ.

6. *Ait.* Vide Thuc. I, 138, quem Cornel. ad verbum expressit.

7. *Desperaret.* « Themistocles, quem virtus sua victorem, injuria patriæ imperatorem Persarum fecerat, ut se ab ea oppugnanda abstineret, instituto sacrificio, exceptum patera tauri sanguinem hausit; et ante ipsam aram, quasi quædam pietatis clara victima, concidit. » Val. Max. V, 6, ext. 3. Venenum pro certo sumpsisse affirmat Suidas : Thucydides, Herodotus, aliique complures de taurino sanguine nihil prodiderunt.

8. *Ossa ejus clam in Attica.* Pausanias, l. c., aliique publico decreto factum fuisse prodiderunt, jussu oraculi, quod non prius fore pestilentiæ finem responderat, quam Themistoclis ossibus Magnesia in patriam

amicis esse sepulta, quoniam legibus non concederetur, quod proditionis esset damnatus, memoriæ prodidit. *

reductis. — *Legibus non concederetur.* Ea de re vide Xenoph., l. I de rebus Græciæ, c. ultimo, et Plutarchum in Phocione, de quo infra.

* De Themistoclis rebus vid. Plutarchum in vita; Herod. VIII; Diod. Sicul. XI; Thucydid. I; Suidas, voc. Θεμιστοκλῆς; Ælian., passim; Justin. II; Val. Maxim. et Frontin.; Cicer. Pausan. passim; Polyæn. I, etc. Boecl. Multa quoque de eo suppeditabunt epistolæ una et viginti, quæ sub ejus nomine circumferuntur, primo a Jo. Math. Caryophilo, græce; post, cum translatione lat., ab Elia Ehingero publicatæ, de quibus viri docti dubitant, genuinæ sint, an a Græculo quodam confectæ. — Effigiem e gemma annulari habes inter imagines Ursini, num. 141. Paulo diversam exhibet nummus meus, his cum litteris : ΘΕΜΙΣΤΟΚΛΗΣ ΑΘΗΝΑΙΟΣ. In postica parte, victoria proræ navis insistens, dextra palmam, sinistra lauream tenens, cum litteris : ΚΑΤΑ ΠΕΡΣΩΝ. Encomium ejus reliquit nobis Aristides Rhetor. Bosius. In primis apud nos *Rollin, Histoire Ancienne*, livre VI, chapitre 1 et 2; livre VII, ch. 1, et alibi : *Barthélemy, Voyage d'Anacharsis, Introduction*; 2[e] section, et chapitre 38, etc.



III
ARISTIDES.

ARGUMENTUM.

Cap. I; Æmulus Themistoclis, exilio propter virtutem multatur Aristides. — II; Ante tempus revocatur; prætor contra Mardonium factus, maris imperium Atheniensibus conciliat. — III; Ærario præest; pauper moritur.

Aristides, Lysimachi filius, Atheniensis, æqualis[1] fere fuit Themistocli : itaque cum eo de principatu contendit[2]; namque obtrectarunt inter se[3]. In his autem cognitum est, quanto antistaret[4] eloquentia innocentiæ : quanquam enim adeo excellebat Aristides abstinentia[5],

Cap. I. 1. *Æqualis*. Scil. ætate. G. Σύγχρονος, ὁμῆλιξ, quum tutoribus non solum, sed et magistro eodem, ut narrat Ælianus, XIII, 44, usi fuerint, et simul educati.

2. *De principatu contendit*. De loco principe in civitate; uter alteri in administranda republica cederet aut præferretur, hi summi viri decertarunt.

3. *Obtrectarunt inter se*. Inter se dissenserunt, ob invidiam mutuam, qua alter alterum deprimere nititur. Incitabant præterea diversi mores : Aristides enim placidum; ferventem contra et ambitiosum animum gerebat Themistocles. Sed Xerxe in Græciam irrumpente, hanc simultatem omnino, patriæ studiosi, deposuerunt. Vid. Plut. in Themist. et Aristid.

4. *Antistaret*, vel *antestaret*. Rarum admodum verbum, quo tamen usus Cic. de Inv. II, 2; sic vero compositum in oratione vix reperias.

5. *Abstinentia*. Integritate; et imprimis invicto adversus pecuniam animo.

ut unus post hominum memoriam, quod quidem nos audierimus, cognomine Justus sit appellatus[6]; tamen, a Themistocle[7] collabefactus, testula illa, exsilio decem annorum multatus est. Qui quidem quum intelligeret, reprimi concitatam[8] multitudinem non posse, cedensque animadverteret quemdam scribentem, ut patria pelleretur; quæsisse ab eo dicitur, quare id faceret, aut quid Aristides commisisset, cur tanta pœna dignus duceretur? Cui ille respondit, se ignorare[9] Aristidem; sed sibi non placere, quod tam cupide elaborasset, ut præter ceteros Justus appellaretur. Hic decem annorum legitimam[10] pœnam non pertulit : nam postquam Xerxes in Græciam[11] descendit,

6. *Justus sit appellatus.* Vid. Ciceronem pro Sextio, c. 67, et Tusc. V, 36 : « Aristid. nonne ob eam causam expulsus est patria, quod præter modum justus esset? Adde Plut. in ejus vita; Herod. VIII, 79; Diod. XI, 47; Æschin. adversus Ctesiph. Val. Max. V, 3, ext. 3 : « Aristides etiam, quo totius Græciæ justitia censetur, continentiæ quoque eximium specimen, patria excedere jussus est. » « Felices, addit, Athenas, quæ post illius exilium invenire aliquem aut virum bonum, aut amantem sui civem potuerunt! cum quo tunc ipsa sanctitas migravit. »

7. *A Themistocle, etc.*; qui in vulgus sparserat, Aristidem, sublatis judiciis, quod omnia judicaret et disceptaret, dominatum in cives voluntarium clam sibi parasse. Plut. *Collabefactus.* Imminutus ac debilitatus. — *Testula illa.* Lege scil. Ostracismi, ut paulo supra in Themistocle, VIII.

8. *Concitatam.* Themistoclis criminationibus. Abiit precatus deos, ne se ipsum unquam patria desideraret : Camillus contra precatus ab diis immortalibus, si innoxio sibi ea injuria fieret, primo quoque tempore desiderium sui civitati ingratæ facerent. T. Liv. V, 32. — *Cedens.* Præbens se necessitati. — *Scribentem.* In testula quivis nomen ejus, quem exulare vellet, inscribebat. Plutarchus, in Arist. vita et in apophthegm., Suidasque, rusticum fuisse aiunt; ac testulam Aristidi, ut uni de plebe, tradidisse, et rogasse ut Aristidis nomen inscriberet; idque hunc fecisse.

9. *Ignorare.* Ad homines quoque refertur. At de Aristidis nomine, quod omnes sane noscebant cives, minus bene : rectius de facie intelligitur. Vim verbi expressit Curtius, III, 31, de Sysigambi : *Ignorationem nunquam antea visi regis excusans.*

10. *Legitimam.* Lege ostracismi definitam.

11. *Postquam Xerxes in Græciam descendit.* Usu græco, de expeditione ex Asia, oriente, in Europam, occidentem, facta. Hinc intelligitur ὁ ἄνω βασιλεύς; et Xenophon-

sexto[12] fere anno, quam erat expulsus, populiscito in patriam restitutus est. Interfuit[13] autem pugnæ navali apud Salamina, quæ facta est prius, quam pœna liberaretur.

II. Idem prætor[1] fuit Atheniensium apud Platæas in prælio, quo Mardonius fusus, barbarorumque exercitus interfectus est. Neque aliud est ullum[2] hujus in re militari illustre factum, quam hujus imperii memoria; justitiæ vero et æquitatis[3] et innocentiæ, multa. In primis, quod ejus æquitate factum est, quum in communi classe[4] esset Græciæ simul cum Pausania, quo duce Mardonius erat

tis ἀνάβασις Κύρου. Tzs. Regem ad Aristidem exulem misisse legatos, et tria Daricorum millia obtulisse scribit Suidas, apud quem vide quæ responderit.

12. *Sexto*. Imo tertio, juxta Plut. — *Restitutus est*. Metuente populo, ne Aristides, quod Plutarchus observat, in Xerxis partes transiret: ita maximum hunc virum modulo suo metiebantur. *Restitutus* autem verbum in hac re solenne, et ex Cicerone natum, pro *revocatus*, de exule rebus omnino suis reddito. Id Themistoclis opera factum tradit quoque Plut. Aristidem vero exulem Lacedæmona fugisse, unus Ov. de Ponto, I, 4, 71; cæteri Æginа commoratum fuisse narrant.

13. *Interfuit*. Inter quam, assumptis multis gravioris armaturæ militibus, genere Atheniensibus, Perses, qui Psyttaliam insulam, ut adnatantes suos e naufragio servarent, hostes necarent, occupaverant, omnes exceptis quibusdam illustribus interemit: ut referunt Herodotus, VIII, 95; Plut. IX. Bosius.

Cap. II. 1. *Prætor*. Ἀριστείδης μὲν ἐν Μαραθῶνι, καὶ πάλιν ἐν Πλαταιαῖς δέκατος ἦν στρατηγός. Plut. in Catone majore, additque in Aristide: Μέγιστον μὲν εἶχεν ἀξίωμα Μιλτιάδης, δόξῃ δὲ καὶ δυνάμει δεύτερος ἦν Ἀριστείδης. Hæc omisit et Nepos. — *Quo Mardonius*. Vide infra in Pausania, I. Hunc post cladem Salaminiam in Græcia reliquerat Xerxes. Plut. in Arist.

2. *Neque aliud est ullum*. Fuit tamen prætor cum ceteris, bello Marathonio, atque in eo strenue se gessit. Vide supra. Sed quia consilio et auspiciis Miltiadis, in quem totum exercitus imperium transtulerat, pugnatum est, non huic, sed Miltiadi victoriæ laus tributa fuit.

3. *Justitiæ vero et æquitatis*. Exempla commemorat Plutarch. Aristid., et Tullius, de Officiis, III, 11 et 23. Ad illum quoque Athenienses traduxerunt versum Æschyli de Amphiarao, Sept. ad Th. 598:
Οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει.
Quod de Catone Sallust. *Cat.* LIV: «Esse, quam videri bonus malebat.» — *Innocentiæ* avaritiæ opponitur, ut in sequentibus patet.

4. *Quum in communi classe*, etc. Ab Atheniensibus dux ad bellum, collega Cimone, missus. Plutarch.

fugatus, ut summa imperii maritimi a Lacedæmoniis transferretur ad Athenienses[5]: namque, ante id tempus, et mari et terra duces erant Lacedæmonii; tum autem et intemperantia[6] Pausaniæ, et justitia factum est Aristidis, ut omnes fere civitates Græciæ ad Atheniensium societatem se applicarent, et adversus barbaros hos duces deligerent sibi, quo facilius repellerent, si forte bellum renovare[7] conarentur.

III. Ad classes ædificandas, exercitusque comparandos, quantum pecuniæ quæque civitas daret, Aristides delectus est qui constitueret[1]. Ejus arbitrio quadringena et sexagena talenta[2] quotannis Delum sunt collata. Id enim commune ærarium esse voluerunt[3]. Quæ omnis pecunia postero tempore[4] Athenas translata est. Hic qua fuerit abstinentia,

5. *Ut summa imperii maritimi a Lacedæmoniis transferretur ad Athenienses.* Id jam antea, incensa Lacedæmoniorum classe, quæ tota ad Gytheum subducta erat, Themistocles fuerat machinatus. Aristides autem, quum Themistoclem consilium utile quidem, minime vero justum animo volvere, civibus suis aperuisset, eum protinus incœpto desistere jusserat populus. Ita, quod Themistocles per proditionem fuerat molitus, id æquitate et justitia suis paravit Aristides.

6. *Intemperantia.* Impotentia, sævitia, superbia: βαρύτητι. Vide Plut. — *Ut omnes fere civitates*, etc. Plutarchus, in Cimone, VI, Chios, Samios, Lesbios, eorumque socios recenset. *Se applicarent* validius quam accederent, aut se converterent.

7. *Bellum renovare.* De novo et integro inferre. Sall. Jug. LI, *renovare prælium.*

Cap. III. 1. *Quantum pecuniæ quæque civitas daret, Aristides delectus est qui constitueret.* Elegantiori verborum compositione, pro *Aristides delectus est, qui constitueret quantum* etc. Ab universa vero Græcia delectus est. Vide Plutarch. in Aristide.

2. *Quadringena et sexagena talenta.* Talentum autem atticum nostri æris summam efficit 5,710 fr. Vide *Letronne, Considérations sur les monnaies grecques et romaines.*

3. *Id enim commune ærarium esse voluerunt.* Propter templi sanctitatem. Sic Romani pecuniam publicam in templo Saturni et Pacis solebant deponere. Vide Servium ad Virgil. Georg. II, 502.

4. *Quæ omnis pecunia postero tempore.* Quum tertium Messenii bellum repararent, Lacedæmonii in auxilium « etiam Athenienses adhibuere; quorum quum fidem suspectam haberent, supervacaneos simulantes, a bello eosdem dimiserunt. Hanc rem Athenienses graviter ferentes, pecuniam, quæ erat in stipendium Persici belli ab

nullum est certius indicium, quam quod, quum tantis rebus præfuisset, in tanta paupertate[5] decessit, ut, qui efferretur, vix reliquerit. Quo factum est, ut filiæ ejus publice[6] alerentur, et de communi ærario dotibus datis collocarentur. Decessit[7] autem fere post annum quartum, quam Themistocles Athenis erat expulsus. *

universa Græcia collata, a Delo Athenas transferunt, ne, deficientibus a fide societatis Lacedæmoniis, prædæ ac rapinæ esset. » Justin. III, 6.

5. *In tanta paupertate.* Vid. Plut.; Frontin. IV, 3, 5, ubi similia exempla habet. In dubium vocavit Aristidis paupertatem Demetrius Phalereus, cui respondet Plut. — *Efferretur.* Scilicet e domo ad rogum. Verbum in hac re solemne Gr. ἐκφέρειν, ἐκκομίζειν.

6. *Publice.* Sumptu publico, scilicet e Prytaneo, uti bene de rep. meritis eorumque posteris victus communis dabatur. Vide Plut. in vita XXVII, et Meursium, Attic. I, 8. — *Collocarentur.* Nuptum darentur. Cicero, lib. II de Officiis: « Quum consuleretur, utrum bono viro pauperi, an minus probato diviti filiam *collocaret.* » Idem, de Inventione: « P. Scipio Corneliam T. Graccho *collocavit.* » Unde collocatio, et apud nos *établissement*, eodem sensu; de re ipsa vide Plut.

7. *Decessit.* De mortis genere, quod sciam, apud auctores nihil extat, nisi quod, restitutus in pristinum statum, quæstura functus honeste decesserit. Quamobrem non satis possum mirari, quod de ejus morte a Sen., Cons. ad Helviam, cap. 13, scriptum est: *Ducebatur Athenis ad supplicium Aristides*, etc. Sed quia id plerique omnes Phocioni adscribunt, μνημονικὸν ἁμάρτημα in Senec. esse arbitror. LONGOL.

* De Aristide videndi omnino Plutarch. in vita; Herodot. in Urania; Diodor. Sic. XI; Polyænus, I; Frontin. IV, 3, 5; Valer. Max. V, 3, extr. 3; Justin. II, 15, Cicero, passim; Seneca, de Benef. IV, 27, et Consol. ad Helviam (ubi tamen erravit); Æschin. contra Ctesiphontem, et Suidas. BOECL. Faciem ejus exhibet nummus, in cujus uno latere caput illius, et ΑΡΙΣΤΙΔΗΣ Ο ΔΙΚΑΙΟΣ; in altero mulier sedens, dextra baculum tenens; infra: ΒΟΥΛΗΣ ΓΝΩΜΗ; circum: ΟΥ ΔΟΚΕΙΝ ΑΛΛ ΕΙΝΑΙ. BOSIUS. Adde in primis apud nos *Rollin, Histoire ancienne*, liv. VI ch. 1 et 2, ac *Barthélemy*, *Voyag. d'Anacharsis*, etc.



IV.

PAUSANIAS.

ARGUMENTUM.

Cap. I. Pausanias, Mardonii victor, fit insolens. — II; Byzantium expugnat, Xerxi favet, Græciæ futurus proditor. — III; Peregre absentis mores et carcer. Helotes sollicitat. — IV; Litterarum commercium cum hoste; perturbatus se ipse indicat. — V; In æde Minervæ obstruitur, et mox interit.

Pausanias[1], Lacedæmonius, magnus homo, sed varius in omni genere vitæ fuit: nam, ut virtutibus eluxit, sic vitiis est obrutus[2]. Hujus illustrissimum est[3] prælium

Cap. I. 1. *Pausanias.* Cleombroti filius, paterque alterius Cleombroti, Lacedæmoniorum ducis, qui, temere cum Epaminonda pugnans, vulnere occubuit. Vide Suidam, Thucyd. Plut. Hegesilaum Pausaniæ patrem immerito facit Chrysermus, in Stob. serm. 38. — *Magnus homo.* Ita nonnunquam loquuntur latini pro *magnus vir.* « Quæ res minus verendos *magnos homines* ipsa satietate facit. » Liv. XXXV, 10. — *Varius.* Commutabilis et multiplex, non æquabili vitæ morumque temperamento. *Antonius varius ingenio*, Flor. IV, 3; *Animus audax, subdolus, varius*, Sall. Cat. V.

2. *Obrutus.* Obscuratus, nempe obscurantur obruta. Stat. Ach. I, 293:

Quantum virides Venus addita nymphas
Obruit.

3. *Illustrissimum est prælium*, etc. Quod prælium prolixe describunt Herodotus, IX, 27, usque ad 70; Plutarchus in Aristide; Diodor. Sic. XI, 31. Breviter narrant fragment. Ctesiæ apud Photium; Strabo, IX; Pausanias, Lacon. et Bœoticis; Just. II, 14, etc. Contigit autem anno secundo Olymp. LXXV, archonte Xanthippo sive Xanthippide, die tertio Boedromionis, hoc est, 25 septembris. Vide Plut. in Camillo et Aristide. Ælianus autem, II, 25,

apud Platæas. Namque illo duce Mardonius[4], satrapes regius, natione Medus, regis gener, in primis omnium Persarum et manu fortis et consilii plenus, cum ducentis millibus[5] peditum, quos viritim legerat, et viginti millibus equitum, haud ita magna manu Græcia fugatus est; eoque ipse dux cecidit prælio. Qua victoria elatus, plurima miscere cœpit[6], et majora concupiscere. Sed primum in

hoc prælium mense Thargelionis, id est aprilis, commissum narrat.

4. *Mardonius*, etc. Gobriæ filius. Vide Herodot. VI, 43; Pausan. IX, 1. — *Satrapes*. Persica vox : sic provinciarum dicebantur apud Persas *præfecti*, σατράπαι. Sic et apud Indos Μαμάτραι. — *Regis gener*. Artazastram, Darii filiam, Xerxis sororem, duxerat. Herod. VI, 43. Si igitur *regis* ad Darium referas, *generum* proprie et vere dixit; sin ad Xerxem, quod non absurdum, latius intellexit, uti in Græcis γαμβρὸς, κηδεστὴς, quo nomine et ἀνεψιὸς Xerxis vocatur a Diodoro, XI, 1. Nempe *gener* a latinis passim etiam is dicitur, qui sororis maritus. Tzs. — *In primis omnium Persarum et manu fortis*. h. e. inter omnes Perses præcipue fortis. Ita in Themist. IX : « Themistocles veni ad te, qui plurima mala omnium Graiorum in domum tuam intuli. » — *Et consilii plenus*. In eo tamen plus audaciæ, quam prudentiæ fuisse, testatur Herod. in Calliope.

5. *Cum ducentis millibus*. Herod. IX, 31, et Plutarchus, Aristide, CCC Persarum millia numerant; quibus Herodotus L millia auxiliariorum Græcorum addit. Diod. Sicul. XI, ait exercitum Mardonii universum, sociis adnumeratis, constitisse quasi D millibus. Ctesias XII tantummodo myriadas cum Mardonio adversus Platæenses missas scribit. Bos. — *Quos viritim legerat*. De more Romanorum, quo vir virum legebat, plura Victorius Varr. lectt. XVI, 19, et alii indicabunt. Hic tantum de militum præstantissimorum delectu agitur. — *Haud ita magna manu*. Centum millibus hominum, Diodor. l. c., Justinus, II, 14. CX millia refert Herodotus. Multo pauciores Ctesias habet : ait enim, « Mardonio occurrisse Pausaniam CCC spartanos et M accolas, ex aliisque urbibus sex millia secum ducentem. » Bos. — *Eoque ipse dux cecidit prælio*. Lapide ictus ab Arimnesto quodam Spartano, ut ait Plut. in Arist. Ctesias tamen, Mardonium vulneratum aufugisse, et postea demum, quum ad Apollinis ædem diripiendam missus esset, grandine oppressum periisse narrat. Justinus quoque, II, 14 : « Victus Mardonius, veluti ex naufragio, cum paucis profugit. »

6. *Elatus, plurima miscere cœpit*. In superbiam concitatus, multa turbare aggressus est. *Miscere* autem verbum de seditionibus apte usurpatum. Cicero in Cat. IV, 3 : « Ego magnum in republica furorem, et nova quædam misceri, et concitari

eo est reprehensus, quod ex præda tripodem [7] aureum Delphis posuisset, epigrammate scripto, in quo erat hæc sententia, SUO DUCTU BARBAROS APUD PLATÆAS ESSE DELETOS, EJUSQUE VICTORIÆ ERGO APOLLINI DONUM DEDISSE. Hos versus Lacedæmonii exculpserunt [8], neque aliud scripserunt, quam nomina earum civitatum, quarum auxilio Persæ erant victi.

II. Post id prælium [1] eumdem Pausaniam cum classe communi Cyprum atque Hellespontum miserunt, ut ex his regionibus barbarorum præsidia depelleret. Pari felicitate in ea re usus, elatius se gerere cœpit, majoresque appetere res. Nam quum, Byzantio expugnato, cepisset complures Persarum nobiles, atque in his nonnullos regis propinquos; hos clam Xerxi remisit, simulans, ex vinculis publicis effugisse; et cum his Gongylum Eretriensem [2], qui

mala jam pridem videbam.» «Fortuna sævire ac *miscere* omnia cœpit.» Sall. Catilin. X, et passim.

7. *Tripodem aureum Delphis posuisset.* Mos victoribus erat, ut ex hostium præda tripodem Apollini plerumque consecrarent, idque præsertim inter Græcos vigebat. Thucyd. I, 8. — *Posuisset.* Pro *dicasset.* Gr. ἀνατίθημι, hincque ἀναθήματα. Tripodes autem erant mensæ, quibus superpositæ Phœbades vaticinabantur. Alii sedilia quædam perforata malunt, sic dicta, quod tribus pedibus niterentur. — *Epigrammate scripto.* Quod scripserat Simonides his verbis (Thuc. I, 132; Pausan. III, 8):

Ἑλλήνων ἀρχηγὸς, ἐπεὶ στρατὸν ὤλεσε Μήδων,
Παυσανίας Φοίβῳ μνῆμ' ἀνέθηκε τόδε.

8. *Exsculpserunt.* Insculptos deleverunt. Thucyd. c. l. ἐξεκόλαψαν, i. e. ἐξορύσαντες ἀπήλειψαν, ut interpretatur scholiastes. Aliud epigramma, eraso Pausaniæ epigrammati forte substitutum, profert Diodorus Sic. XI, 33. Adde Wesselingii notam.

CAP. II. 1. *Post id prælium.* Non statim, sed paulo post, ut ex auctorum narrationibus constat, duobus tribusve annis interjectis. Anno quarto Olympiadis LXXV, si sequimur Diodorum, l. c. Meminere præterea hujusce expeditionis Thucydides, Plutarchus in Aristide, Justinus, II, 15.—*Cum classe communi.* Quæ constabat L triremibus e Peloponneso ductis et XXX Atticis, quibus Aristides præerat. Vid. Diod. et Thucyd., quem hic potissimum ducem sequitur noster. — *Barbarorum.* Persarum scilicet, de more.

2. *Eretriensem.* Civem ex Eretria, Eubœæ civitate, cui Byzantii captivorumque curam mandaverat.

litteras regi redderet, in quibus hæc fuisse scripta Thucydides memoriæ prodidit : « Pausanias, dux Spartæ, quos Byzantii ceperat, postquam propinquos tuos cognovit, tibi muneri misit; seque tecum affinitate conjungi cupit. Quare, si tibi videtur, des ei filiam tuam nuptum. Id si feceris, et Spartam, et ceteram Græciam sub tuam potestatem, se adjuvante, redactúrum pollicetur. His de rebus si quid geri volueris, certum[3] hominem ad eum mittas face, cum quo colloquatur. » Rex, tot hominum salute tam sibi necessariorum[4] magnopere gavisus, confestim cum epistola Artabazum ad Pausaniam mittit : in qua eum collaudat, ac petit, ne cui rei parcat ad ea perficienda, quæ pollicetur : si fecerit, nullius rei a se repulsam laturum. Hujus Pausanias voluntate cognita, alacrior ad rem gerendam factus, in suspicionem cecidit[5] Lacedæmoniorum. In quo facto domum revocatus, accusatus capitis, absolvitur; multatur tamen pecunia. Quam ob causam ad classem remissus non[6] est.

III. At ille, post non multo, sua sponte[1] ad exercitum

3. *Certum.* Cui fides haberi possit, ἄνδρα πιστόν. Thucyd. l. c. — *Face.* Pro fac. Archaismo comicis frequentato, quem hic libri MS. tuentur. Ovidius pariter, de Ponto, II, 2, ad Messalinum :

Verba face, ut vita, quam dedit ipse, fruar.

4. *Tam sibi necessariorum.* Tam et amicitia et consanguinitate conjunctorum. Ita apud Sall. Jugurth. LXV : « Impellit ut Romam ad suos *necessarios* aspere in Metellum de bello scribant. » Ibid. CIII : « Tum Bocchus ex omni copia *necessariorum* quinque delegit, quorum et fides cognita et ingenia validissuma erant. » — *Artabazum.* Pharnacis filium, summumque Xerxis præfectum. De quo Herodot. IX; Thucyd. I. Hunc Diodorus, XI, στρατηγὸν vocat.

5. *In suspicionem cecidit.* Accusatum esse a Peloponnesiis, scribit Diodor.; sed de multa nec ipse, nec Thucyd. quidquam tradit. Thucyd. tantum ait, eum privatis quibusdam criminibus condemnatum, a maximis absolutum. Bos. Hæc, et quæ subsequuntur, rejicienda, si Thucydid. I, 130 sqq., consulere et audire velis.

6. *Remissus non est.* Imperio suo excidit, ne vindictæ cupiditate, traductis in suas partes copiis imperio ejus assuetis, aliquid moliretur.

Cap. III. 1. *Sua sponte.* Privato consilio, arrogata sibi veteris militiæ præfectura.

rediit, et ibi non callida, sed dementi ratione, cogitata patefecit. Non enim mores patrios[2] solum, sed etiam cultum, vestitumque mutavit. Apparatu regio utebatur, veste Medica[3]: satellites Medi et Ægyptii sequebantur: epulabatur more Persarum luxuriosius, quam, qui aderant, perpeti possent: aditum petentibus conveniendi non dabat: superbe respondebat, et crudeliter imperabat. Spartam redire nolebat: Colonas, qui locus in agro Troadis est, se contulerat; ibi consilia, quum patriæ, tum sibi inimica, capiebat. Id postquam Lacedæmonii resciverunt, legatos[4] ad eum cum scytala miserunt: in qua more illorum erat scri-

2. *Non enim mores patrios*, etc. Vide Pseudo-Themistocl. epist. II, et XIV, in quibus Pausaniæ hoc ipsum exprobratur. *Cultum* latius patet quam *vestitum*, ut sq. probant.

3. *Veste Medica*. Pro Persica, sicuti Medi pro Persis ponuntur, quia jam unius imperio parebant. Athen. XII, 9 : Παυσανίας, καταθέμενος τὸν πάτριον τρίβωνα, τὴν Περσικὴν ἐνεδύσατο στολήν. Medica veste, qui Persarum gratiam captaret, uti voluit Pausanias, abjecto simul amictu patrio, veluti obsoletiore, quam qui fastigio, quod affectabat, convenire videretur. — *Satellites Medi et Ægyptii*, etc. Quales Persarum reges habent, qui *Doryphori* et *Melophori* dicuntur, quod aurea mala hastis præfixa ferunt, vel a colore vestis melino. — *Sequebantur*. Thucydid. I, 130, addit, διὰ τῆς Θρᾳκῆς πορευόμενον. — *Epulabatur more Persarum*. Veteres Persas victu rigido et parco usos fuisse constat e Xenophonte Cyrop. VIII. Hæc autem temperantia, statim ut Medi Persarum imperio additi sunt, cœpit hebescere; moxque omnino luxui victorum victores indulserunt. Quantopere autem gulæ paruerint Persæ, inde patet, quod peregrini, in eorum luxum prolapsi, vitam cum morte mutarent, ut de Tacho, Ægyptiorum rege, narrat Ælianus, V. H, l. V. cap. 1. Quare mirari non debemus, si quidam Pausaniæ comites hanc luxuriam tam impatienter ferrent. Satis nota ode Horatii, I, 38 :

Persicos odi, puer, apparatus.

Persæ enim odores unguentaque profuse solebant adhibere: contra Lacedæmoniorum victus parcus admodum et tenuis. — *Superbe respondebat*. De arrogantia ista et crudelitate Pausaniæ vid. Thucyd. I, 130; Plutarchum, in Aristide et Cimone; Didor. Sic. XI, 44; et Aristidem rhetorem, Orat. de laudibus M. Aurelii.

4. *Legatos*. Thucydides, κήρυκα, id est, nuntium. Lamb. — *Scytala*. Litteræ clandestinæ, quibus ad imperatores suos Lacedæmonii utebantur. Scytalæ formam Aulus Gellius, Noct. Attic. lib. XVII, cap. 9, ita describit : « Surculi duo erant teretes, oblonguli, pari crassamento ejusdemque longitudinis, derasi at-

ptum, nisi domum reverteretur, se capitis eum damnaturos. Hoc nuntio commotus, sperans, se etiam tum pecunia et potentia[5] instans periculum posse depellere, domum rediit. Huc ut venit, ab ephoris in vincula publica conjectus est. Licet enim legibus eorum cuivis ephoro hoc facere regi[6]. Hinc tamen se expedivit[7]: neque eo magis carebat suspicione; nam opinio manebat, eum cum rege habere societatem. Est genus quoddam hominum, quod Helotes[8] vocatur, quorum magna multitudo agros Lacedæmoniorum colit, servorumque munere fungitur. Hos quoque

que ornati consimiliter: unus imperatori in bellum proficiscenti dabatur; alterum domi magistratus cum jure atque cum signo habebant. Quando usus venerat litterarum secretiorum; circum eum surculum lorum modicæ tenuitatis, longum autem quantum rei satis erat, complicabant, volumine rotundo et simplici; ita ut oræ adjunctæ undique et cohærentes lori, quod plicabatur, coirent. Litteras deinde in eo loro per transversas juncturarum oras, versibus a summo ad imum proficiscentibus, inscribebant. Id lorum, litteris ita perscriptis, revolutum ex surculo imperatori commenti illius conscio mittebant: resolutio autem lori litteras truncas atque mutilas reddebat, membraque earum et apices in partes diversissimas spargebat. Propterea, si id lorum in manus hostium inciderat, nihil quicquam conjectari ex eo scripto quibat: sed ubi ille, ad quem erat missum, acceperat; surculo compari, quem habebat, capto, ad finem, perinde ut debere fieri sciebat, circumplicabat: atque ita litteræ per ambitum eumdem surculi coalescentes rursum coibant, integramque et incorruptam epistolam et facilem legi præstabant. Hoc genus epistolæ Lacedæmonii σκυτάλην appellant. »

5. *Pecunia et potentia*. *Pecunia*, qua corrumperet; *potentia*, qua judices accusatoresve deterreret.

6. *Regi*. Qua dignitate pollebat Pausanias, non ipse quidem rex, sed Plistarchi, Leonidæ, qui ad Thermopylas occubuerat, filii, ac patruelis sui tutor. Vide Thucyd. I, 131. Bosius. De Ephoris supra diximus in Themistocl. VII.

7. *Se expedivit*. Apte de vinculis. Ita loquitur Cicero, in Verrem, IV, 42, et sæpius. — *Rege*. Scilicet Persarum.

8. *Helotes*. Servi publici erant ap. Lacedæmonios, agris arandis et colendis præpositi, quorum tamen tantum jus erat, ut civitatem Spartanam assequi possent. Urbem Laconicam, quæ dicitur *Helos*, incolebant. De quibus vide Thucydid. I, 6; Platonem, VI de legibus; Aristot. Politic. II, 7. Horum fides admodum lubrica, impulsuque ad mutationem facilis. Courtin.

sollicitare[9] spe libertatis existimabatur. Sed, quod harum rerum nullum erat apertum crimen, quo argui posset, non putabant de tali tamque claro viro suspicionibus oportere judicari[10], sed expectandum, dum se ipsa res aperiret.

IV. Interim Argilius quidam adolescentulus[1], quem puerum Pausanias amore venereo dilexerat, quum epistolam ab eo ad Artabazum accepisset, eique in suspicionem venisset, aliquid in ea de se esse scriptum, quod nemo eorum rediisset, qui super tali causa eodem missi erant; vincula epistolæ laxavit, signoque detracto cognovit, si pertulisset, sibi esse pereundum. Erant in eadem epistola, quæ ad ea pertinebant, quæ inter regem Pausaniamque convenerant. Has ille litteras ephoris tradidit. Non est prætereunda gravitas[2] Lacedæmoniorum hoc loco: nam ne hujus

9. *Sollicitare.* Verbum in motibus, seditionibusque haud insolens. « Catilina credebat posse servitia urbana *sollicitare.* » Sall. Cat. XXIV. Idem, ibid. XXVIII: « Interea Manlius in Etruria plebem *sollicitare.* » Et: « Legatis Allobrogum, qui tum forte aderant, in arma *sollicitatis.* » Florus, IV, 1. Bell. Cat. — *Spe libertatis.* Et civitatis, quam illis pollicebatur, si una exsurgerent, et in omni negotio conficiendo adjuvarent. Thucydides, loco citato.

10. *Suspicionibus oportere judicari.* Nunquam enim propere de homine Spartano, nisi certissimis indiciis adducti, acerbius aliquid statuebant. Vide Plutarchum in Agesilao.

Cap. IV. 1. *Argilius quidam adolescentulus.* Thucydid. I, 132, ἀνὴρ Ἀργίλιος: ubi, notante scholiaste, alii nomen proprium; alii, quibus ipse accedit, gentile ab urbe Thraciæ vel Macedoniæ, *Argilus*, censuerunt. Eadem hic inter doctos interpretes fervet disceptatio. Neutra opinio linguæ usu destituitur, quum et ἀνὴρ Græci nominibus propriis passim præponant. Quidquid est, equidem puto Nep. de proprio hominis nomine intellexisse. Tzs. — *Venereo.* Παιδικά ποτε ὢν αὐτοῦ, Thuc. I, 132. De amore minus honesto, vid. Præfat. not. — *Vincula epistolæ laxavit.* Veteres enim vinculis aliquando epistolas colligabant. Minus recte plurimæ editt. habent *laceravit.* — *Signoque detracto. Signo*, id est, sigillo, epistolæ cuilibet impresso. — *Pertulisset*, uti *reddidisset*, verba in hac re usitata sunt. Tum plus quam perfecti usus notandus, ubi nos imperfecto uti solemus, minus sic quidem accurate. Tzs.

2. *Gravitas.* Quid sit gravitas explicat Petit. IV, miscell. observ. c. 3, et nostrum Nepotis locum laudat: « *Gravitas*, inquit, habitus est mentis, qua quis neque facile opinioni cuidam assentitur, neque item

quidem indicio impulsi sunt, ut Pausaniam comprehenderent; neque prius vim adhibendam putaverunt, quam se ipse indicasset. Itaque huic indici, quid fieri vellent, præceperunt. Fanum Neptuni[3] est Tænari, quod violari nefas putant Græci. Eo ille index confugit : in ara[4] consedit. Hanc juxta locum fecerunt sub terra[5], ex quo posset audiri, si quis quid loqueretur cum Argilio; huc ex ephoris quidam descenderunt. Pausanias, ut audivit, Argilium confugisse in aram, perturbatus eo venit : quem quum supplicem Dei videret in ara sedentem, quærit, causæ quid sit tam repentino consilio : huic ille, quid ex litteris comperisset, aperit. Tanto magis Pausanias perturbatus orare cœpit, « ne enuntiaret[6], nec se, meritum de illo optime, proderet. Quod si eam veniam sibi dedisset[7], tantisque

ab ea, quam semel veram judicavit, facile se, nisi fortiore rationi et manifestis rebus, deduci patitur. » — *Nam ne hujus quidem indicio.* Aliam rationem affert Diod. Sic., nempe quia litteras apertas tradiderat. LAMBIN. — *Quam se ipse indicasset.* Quam ipse proditorem se exhibuisset.

3. *Fanum Neptuni.* Ἀσφαλείου. Ita vero dicebatur Neptunus, quod navigationem tutam ac secundam præstare posset, vel quod supplicibus cunctis hoc fanum asylo esset, τοῖς ἱκέταις ἀσφάλεια, ut de his locis sacris loquitur Pollux, I, 1, 10. Hujusce templi meminere Strab. IX; Mela, III, 3; Plutarch. in Pompeio; Stephanus et alii. Vide Meursium, in Miscellan. laconicis. — *Quod violari nefas.* Omnia quippe templa non olim asyla fuere. Vid. Strab. XIV.

4. *In ara consedit.* Qui supplicantium mos erat. Græci ἵζειν adhibent, quod imitati sunt latini; unde apud Plaut. Rud. act. III, sc. 3 : *Assidere in ara*; et *in aram abire sessum*, ibid. scen. 4. *Aram insidere* adhibet Tacit. Virgil. Æn. II, 574, de Helena :

Abdiderat sese, atque aris invisa sedebat.

5. *Hanc juxta locum fecerunt sub terra.* Διπλῆν σκήνην circumdatam Argilio, in eaque ephoros occultatos refert Diodorus. Haud dissimili calliditate apud Tacit. A. IV, 69 : « Tectum inter et laquearia tres senatores haud minus turpi latebra, quam detestanda fraude sese obtrudunt; foraminibus et rimis aurem admovent. »

6. *Enuntiaret.* Apte de rebus arcanis.

7. *Quod si eam veniam sibi dedisset.* Hoc sibi concessisset. Ita loquitur fere scriptor hic, Eumen. VI, et pluribus locis. At Cicero quoque ad Attic. V, ep. ult.; VI, 2; Cæsar, de Bell. Gall. VII, 15;

implicitum rebus sublevasset, magno esse ei præmio futurum. »

V. His rebus ephori cognitis, satius putaverunt, in urbe eum comprehendi. Quo quum essent profecti, et Pausanias, placato Argilio, ut putabat, Lacedæmonem reverteretur; in itinere, quum jam in eo esset, ut[1] comprehenderetur, e vultu cujusdam ephori, qui eum admonere cupiebat, insidias sibi fieri intellexit. Itaque paucis ante gradibus, quam qui sequebantur, in ædem Minervæ, quæ Chalciœcos vocatur[2], confugit. Hinc ne exire posset, statim ephori valvas ejus ædis obstruxerunt[3], tectumque sunt demoliti, quo facilius sub divo interiret. Dicitur, eo tempore matrem Pausaniæ vixisse, eamque jam magno natu, postquam de scelere filii comperit[4], in primis, ad filium claudendum, lapidem ad introitum ædis attulisse. Sic Pausanias magnam belli gloriam turpi morte[5] macu-

Terent. Adelph. V, 8, 19; Plaut. Bacchid. III, 6, 3; Suet. in Tib. X.

CAP. V. 1. *Quum jam in eo esset, ut*, etc. Qua locutione imprimis delectatur noster. Miltiad. VII, ac sæpissime. — *E vultu cujusdam ephori.* Duos hic ephoros commemorat Thucydides, quorum alter vultu, alter motu clandestino innuebat. — *Quam qui sequebantur. Comprehenderent*, aut similem aliam vocem supplendam existimabat BUCHNER. *Ibant, pergebant* mallet Bos. Frustra : nam sufficit præstatque vulgata lectio.

2. *In ædem Minervæ, quæ Chalciœcos vocatur.* In quam, velut ad asylum, qui confugerant, impunitate donabantur. *Chalciœcos* alii ad ædem, ut in Tit. Liv. XXXV, 36; alii ad Minervam referunt. Thucydides vero, quem potissimum Nepos sequitur, ait τὸ ἱερὸν τῆς Χαλκιοίκου. Unde ad Minervam referre malim. Ita Diodorus, c. l.

3. *Ephori valvas ejus obstruxerunt.* Non ephoros, patrem vero ipsum Pausaniæ, eas obstruxisse narrat Plutarchus. Qua tamen in re errare videtur : id enim de matre ejus, cui nomen vel Alcathea, vel, teste Polyæno, Theano erat, traditum plures narrant. — *Sub divo.* Aperto cœlo.

4. *Postquam de scelere filii comperit.* Sic apud Sall. Jug. LXVIII : « Metell., postquam de rebus Vagæ actis comperit. » Et de re ipsa confer patrem, qui filium, Catilinæ conscium, jure paterno, damnat necatque. Sall. Cat. XXXIX. — *In primis.* Hic proprie; nam exemplo illa præivit, Diodorus, XI, 45. TZS.

5. *Turpi morte.* Fame periit

lavit. Hic quum semianimis de templo elatus esset, confestim animam efflavit[6]. Cujus mortui corpus quum eodem[7] nonnulli dicerent inferri oportere, quo hi, qui ad supplicium essent dati; displicuit pluribus; et procul ab eo loco infoderunt, quo erat mortuus. Inde posterius Dei Delphici responso[8] erutus, atque eodem loco sepultus, ubi vitam posuerat.*

Pausanias. Hoc autem supplicii genus ipsis Græcis, eorumque diis, ut aiebant, invisissimum. Unde etiam noster recte Pausaniæ mortem *turpem* vocavit.

6. *Confestim animam efflavit.* Quum antea Simonidis illud, μέμνησο ἄνθρωπος ὤν, sprevisset, jam fame contabescens dixisse fertur: ὦ ξεῖνε Κεῖε! Et cetera, quæ sequuntur ap. Ælianum, IX, 41. Alia ejus dicta referunt, præter Herodotum, Pausanias et Thucydides. Xenoph., Histor. Græc. lib. III, Pausaniam damnatum narrat Tegeam profugisse, ibique morbo periisse; sed de alio Pausania, Plistonactis filio, hæc fuga narratur.

7. *Eodem.* Locus dictus καιάδας, s. κιάδας. Straboni, lib. VIII, c. 5, 7, Καιέτας: maleficis destinatus. Tzs. — *Procul ab eo loco infoderunt, quo erat mortuus.* Diodorus Siculus, XI, 45, defuncti cadaver propinquis ad sepulturam fuisse concessum refert.

8. *Inde posterius Dei Delphici responso*, etc. Diodorus Apollinem refert, Lacedæmoniis iratum, quod supplicum asylum violassent, respondisse, supplicem Deo restitui oportere; quod quum fieri non posse viderent, pro uno corpore vivo duas Pausaniæ statuas posuisse. Ita etiam fere Thucydides; qui tamen, præter duas statuas æneas, corpus etiam Pausaniæ huc delatum auctor est et conditum, mandato scilicet oraculi.

* Pausaniæ res amplius memorant Plutarchus in Aristide et alibi; Thucydides, liv. I; Herodotus, IX; Diodor. XI; Ælianus, Var. H. IV, 7; Polyænus, VIII; Xen. Histor. Græc. II; Justinus, II, 15; V, 10; VI, 4; Valerius Maximus, II, 6, 1; Suidas, etc. BOECLER. Adde in primis apud nos *Rollin*, *Histoire Ancienne*, livre VI, chapitre 2; *Barthélemy*, *Voyage d'Anacharsis*, etc.



V.

CIMON.

ARGUMENTUM.

Cap. I; Vinculorum paternorum hæres ab uxore Cimon liberatur. — II; Ejus dotes et res gestæ. Persas eodem die navali et terrestri prælio vincit. — III; Ostracismo ejicitur. Revocatus pacem cum Lacedæmoniis conciliat. Citii moritur. — IV; ejus encomium.

Cimon, Miltiadis filius [1], Atheniensis, duro admodum initio usus est adolescentiæ. Nam quum pater ejus litem [2] æstimatam populo solvere non potuisset, ob eamque causam in vinculis publicis decessisset; Cimon eadem custodia tenebatur, neque legibus Atheniensium emitti poterat,

Cap. I. 1. *Cimon, Miltiadis filius.* Ejus, cujus mentio supra facta est. Tres enim Miltiades numerat Ælianus, Var. H. l. XII, c. 35: Μιλτιάδαι τρεῖς· ὁ τὴν Χεῤῥόνησον κτίσας, καὶ ὁ Κυψέλου, καὶ ὁ Κίμωνος. — *Duro admodum initio usus est adolescentiæ.* Id est, juventutis habuit exordium, multis malis calamitatibusque obnoxium. *Usus est* autem, pro habuit, more suo usurpavit, uti Græci χρῆσθαι, tam de malis, fato quodam destinatis, quam de bonis quæ nobis obveniunt, solent adhibere.

2. *Litem.* Nimirum quinquaginta talenta, ut supra in Miltiad. VII. Nostri æris 285,537 fr. — *Eadem custodia tenebatur.* Nihil de hac custodia Herodot. Plut. vel Demosth. Meminere tamen alii. Vid. paulo inf. — *Neque legibus Atheniensium emitti poterat.* Vide Dem. Orat. adversus Androtionem, aliamque adversus Timocratem. Omnes ad unum, qui hujusce custodiæ meminerunt, Cimonem pietate commotum narrant vincula sponte subiisse, ut iis corpus parentis ad sepulturam redimeret. Valerius Max.: « Imo ne corpus quidem ejus (Miltiadis) sepulturæ prius mandari passi sunt, quam filius ejus Cimon eisdem

nisi pecuniam, qua pater multatus esset, solvisset. Habebat autem in matrimonio sororem suam germanam[3], nomine Elpinicen, non magis amore, quam patrio more ductus : nam Atheniensibus licet[4] eodem patre natas uxores ducere. Hujus conjugii cupidus Callias quidam[5], non tam

vinculis se constringendum traderet. » V, 3 ext. 3; et loco altero : « Cimon, qui patri tuo sepulturam voluntariis vinculis emere non dubitasti. » Vide lib. V, c. 4, ext. 2. Justin. II, 15 : « Patrem ob crimen peculatus in carcerem conjectum, ibique defunctum, translatis in se vinculis ad sepulturam redemit. » Apud Senec., Controv. 24, Cimon ipse : « Nequicquam Cimon habuit, quod dare pro patre, præter se ipsum, posset. » Et mox *Miltiadis pretium* se et *vicarium* vocat. Ac rursus : « Redemi, inquit, corpus tuum, Miltiades, ne funeri quidem interfuturus, in quod me ipsum impenderem. » Et paulo post : « Non erat mihi pœna, in carcere esse ; mea voluntate eo perveneram. » Quintil. quoque, Declam. 302 : « Cimoni illi, qui patris corpus vicario corpore redemit. » Adde Diodorum Siculum, in Excerptis Peiresc. Extatque et apud Libanium, tomo I, Declamatio ejus pro patre in carcerem ire volentis. Hac de re Fischer : « Hæc miror, inquit, non adnotasse viros doctos, nec sollicitos fuisse, an et qua ratione cum iis, quæ noster tradit, conciliari possint. An dicemus, hos omnes legem illam Atheniensium, moremque, quo paternorum vinculorum hæreditas ad liberos transiret, ignorasse? an potius, qui hoc casu ærarii fierent, non ut ceteros, qui sua culpa fiebant, vinculis constrictos, nisi corpus defuncti parentis ad sepulturam hoc pacto redimere vellent? Mihi, ut ingenue fatear, non liquet. »

3. *Habebat autem in matrimonio sororem suam germanam.* Eodem patre, sed diversa matre natam, ὁμοπάτριον, de quo confer ad Præfat. — *Nomine Elpinicen.* Duxit quoque Cimon Clitoriam juxta Stesimbrotum ; juxta Diodorum Periegeten Isodicen, Euryptolemo, Megaclis filio, natam. Vide Plutarchum, in Cimone. Impudicam autem Elpinicen fuisse quidam narrrant. — *Non magis amore, quam patrio more ductus.* Lex autem erat Athenis, ut proximi virgines orbas, et indotatas ducerent. Vide Petit. Leges Atticas, VI. Ceterum alii, apud Plut. in Cimone, Cimonem ferunt Elpinicen duxisse sororem germanam, quia propter inopiam sponsum genere suo dignum non inveniret.

4. *Nam Atheniensibus licet*, etc. De quo testantur scholiastes Aristophanis ad Nebulas, Seneca in Apocolocynthosi, et alii. Sic Mnesiptolemam, filiam Themistoclis, ex secundis nuptiis genitam, Archeptolis frater, non ex eadem matre, (ὁ ἀδελφὸς, οὐχ ὢν ὁμομήτριος) duxit, ut refert Plutarch. in Themistocle.

5. *Callias quidam.* Quum plures hujusce nominis viri nobiles extiterint, hunc ut ab aliis discernat, addit Nepos, *Callias quidam, non tam generosus quam pecuniosus.* Hoc

generosus quam pecuniosus, qui magnas pecunias ex metallis fecerat, egit cum Cimone, ut eam sibi uxorem daret: id si impetrasset, se pro illo pecuniam soluturum. Is quum talem conditionem aspernaretur[6]; Elpinice negavit, se passuram, Miltiadis progeniem in vinculis publicis interire, quoniam prohibere posset; seque Calliæ nupturam, si ea, quæ polliceretur, præstitisset.

II. Tali modo custodia liberatus Cimon, celeriter ad principatum pervenit[1]. Habebat enim satis eloquentiæ[2], summam liberalitatem, magnam prudentiam quum juris civilis, tum rei militaris, quod cum patre a puero in exercitibus

est, sibi origine ignotus; nam *quidam* a Latinis de ignoto dicitur. — *Qui magnas pecunias ex metallis fecerat.* Scilicet argentifodinis Laurei, Atticæ regionis, de quibus supra in Themist. II. Harum fortasse argentifodinarum proventus redemptor erat Callias; vel potius privatim aliquot in Laureo metalla ipse possidebat.

6. *Is quum talem conditionem aspernaretur.* Nempe ea, quæ proposuerat Callias. Facilem contra Cimonem, hancque ad conditionem paratum asserit Plut. — *Progeniem.* De uno filio. Tzs.

Cap. II. 1. *Celeriter ad principatum pervenit.* Provectus a populo *fastidio Themistoclis;* et præsertim ab Aristide, ut haberet, quem Themistoclis ingenio et audaciæ objiceret; post etiam a Lacedæmoniis, ejusdem Themistoclis odio. Vide Plut. Bosius. — *Celeriter.* Poterat tempus definite notare, quod negligenter omissum esse monet Schlegel. Tzs.

2. *Habebat enim satis eloquentiæ.* Etiam Plato, in Theage, Cimoni eloquentiam tribuit. Nam facit eum virum politicum, et cum Pericle comparat: idque agnoscit Aristides sophista in Cimone. Sed Plutarch., auctorem secutus Stesimbrotum, scribit eum omnis liberalis doctrinæ expertem fuisse, et solertia dicendi atque urbanitate Attica caruisse. Lambin. *Satis* vero, ex linguæ usu, mediocrem innuit. — *Summam liberalitatem.* In qua Pisistratum præcipue est imitatus. Vide Theopompum apud Athenæum, XII, 8, et Plutarchum in Cimone, ubi refert quæ de hoc viro Gorgias, τὸν Κιμῶνα τὰ χρήματα κτᾶσθαι μὲν ὡς χρῷτο, χρῆσθαι δὲ ὡς τιμῷτο. — *Magnam prudentiam,* etc. I. e. magnam scientiam. *Juris civilis.* Atheniensis. Nam quoties non additur nomen, cujus sit civitatis, jus civitatis significatur, de qua sermo instituitur. — *Tum rei militaris.* Fuit enim summus imperator, quippe qui a Plutarcho cum Themistocle et Miltiade conferatur. Hunc ἀγαθὸν στρατηγὸν vocat Diodorus Sic. in Exc. Peiresc. p. 254. — *A puero.* A pueritia. « Cimonis vero incunabula opinione stultitiæ fuerunt referta : ejusdem stultitiæ

fuerat versatus. Itaque hic et populum urbanum in sua tenuit potestate[3], et apud exercitum plurimum valuit auctoritate. Primum, imperator, apud flumen Strymona[4] magnas copias Thracum fugavit: oppidum Amphipolim constituit, eoque decem millia Atheniensium in coloniam misit. Idem iterum apud Mycalen[5] Cypriorum et Phœnicum ducentarum navium classem devictam cepit; eodemque die pari fortuna in terra usus est: namque hostium navibus captis, statim ex classe copias suas eduxit, barbarorum uno con-

imperia salutaria Athenienses senserunt. Itaque coegit eos stuporis semetipsos damnare, qui eum stolidum crediderant. » Valer. Max. VI, 9, ext. 3.

3. *Populum urbanum in s. t. p.* Id ostendunt quæ narrat Plut. in vita.

4. *Apud flumen Strymona.* Vide Thucydid. I, 98; Diodor. Sic. XI; Plutarchum in Cimone, ac Pausaniam in Arcadicis. — *Magnas copias Thracum*, etc. Qui tunc in Persarum exercitu militabant, quod rebus Persarum studerent. — *Oppidum Amphipolim constituit.* Vide Meursium, Fortunæ Attic. c. VI.

5. *Idem iterum apud Mycalen.* Supple *imperator* factus : hoc prælium describunt Diodorus Siculus, XI, 61, et Plutarchus in Cimone; memorantque idem, lib. de gloria Atheniensium; Thucydid. I, 100; Plato in Menexeno; Polyænus, I; Frontinus, IV, 7; Mela, I, 14; Eusebius, Chronico I. Hi autem omnes ad Eurymedontem fluvium, sive prope Cyprum pugnatum scribunt, nemo ad Mycalen. Et certe, sive Mycalen, Cariæ urbem, cujus Stephan., de Urbibus, meminit; sive montem aut promontorium, sub quo Persæ eodem die quo ad Plateas victi sunt; seu denique insulam in ora Ioniæ Plinio, H. N. V, 31, memoratam intelligas; fieri non potuit, ut classis Persica, quæ, Diodoro et Plut. testibus, ad Eurymedontem stationem habuit, apud Mycalen devinceretur; multo minus, ut eodem die et prope Eurymedontem, et apud Mycalen pugnaretur. Nam ea loca longissime inter se distant. Illa autem verba, *apud Mycalen*, a sciolo quodam esse inserta suspicatur Bosius. Ingeniosa vero Tzschuck. conjectura, *Mycalen* forte fuisse locum ignotum ad Cyprum, ubi naves, quæ huic prælio non interfuerant, aggressus est et attrivit Cimon. Vid. Thucydid. et Plutarch. — *Cepit.* Totamne, an partem maximam? discrepant auctores, sicuti de hujusce classis navium numero. Vid. Thucyd., Plut., Diodorum et alios. — *Eodemque die.* Ita Thucydides, Plutarchus et Frontin. Diodorus quoque ait, *statim* (παραχρῆμα) post navalem victoriam, Cimonem ad terrestres Persarum copias classem duxisse. — *Ex classe copias eduxit.* Strategemate usus, dum milites suos Persico habitu navibus captis imposuit, et sic inopinos

cursu maximam vim prostravit. Qua victoria magna[6] præda potitus, quum domum reverteretur, quod jam nonnullæ insulæ, propter acerbitatem imperii, defecerant, bene animatas confirmavit, alienatas ad officium redire coegit. Scyrum, quam eo tempore Dolopes incolebant[7], quod contumacius se gesserant, vacuefecit, sessores veteres urbe insulaque ejecit, agros civibus divisit. Thasios[8], opulentia fretos, suo adventu fregit. His ex manubiis arx Athenarum, qua ad meridiem vergit, est ornata[9].

securosque oppressit. Ita Diodorus, XI, 60; Polyænus, I, 34, 1. Tzs. Adde Frontin. et Pausaniam, VIII, 52. Nihil de hoc strateg. Plut.

6. *Magna præda.* Nempe, ut Diodorus ait, triremibus CCCXL, virorum XX millibus, et pecunia immensa potitus. — *Bene animatas.* In obsequio manentes : quibus opponit *alienatas.*

7. *Scyrum, quam eo tempore Dolopes incolebant.* Id est, Scyrum insulam a Dolopibus qui, teste Plutarcho, piraticam artem exercebant, occupatam vacuefecit. *Contumacius* autem *se gesserant*, quippe qui Atheniensium imperium detrectarent. — *Vacuefecit.* Verbum minus obvium, a Cicerone tamen, Catil. I, 7, usurpatum. Infra in Timoleonte, III : « Novis bello *vacuefactas* possessiones divisit. » Vacuefacere autem, quum possessores vel sub corona venduntur, vel in alias trajiciuntur sedes, pœna est antiquis temporibus in rebelles ac victos constituta. Justinus, VIII, 5, de Philippo : « Reversus in regnum, ut pecora pastores nunc in hibernos, nunc in æstivos saltus trajiciunt ; sic ille populos et urbes, ut illi vel replenda vel derelinquenda quæque loca videbantur, ad libidinem suam transfert. » Apud Græcos hic ponitur ἀνδραποδίζειν, ἐξελκύειν, ἐξοικίζειν. — *Sessores veteres.* Veteres incolas. *Sessores* autem vox memorabilis, sed tamen ex cognationis similitudine dicta, qua sedere, sedes, de domiciliis seu habitationibus usurpatur. Tzs. Alii leg. *possessores.* Solos Dolopes inde ejectos narrat Plutarch. — *Agros civibus divisit.* Scil. Atheniensibus. Vide Diod. XI, 60.

8. *Thasios.* Qui ab Atheniensibus quoque defecerant. Vide Thucyd. et Plut. De Thasiis vero, Herodot. VI, c. 46, 47, 48, et VII, 118, 119; Diodor. Sic. XI, 70. — *Opulentia fretos.* Superbos atque elatos : nam opes animum subdunt. Tacit. A. VI, 31, *Fretus bellis*, pro elatus. Divites autem erant Thasii, et marmore, et aurifodinis in continente. — *Fregit.* Verbum in notanda clade, viriumque debilitatione, eleganti metaphora frequentatum. Conjuncta enim et solida efficacius valent. Tzs.

9. *Est ornata.* Vide Diodorum, XI, 61. Hoc laudi non fuisse Cimoni censet Plato apud Plutarch. in Aristide.

III. Quibus rebus quum unus in civitate maxime floreret[1], incidit in eamdem invidiam, quam pater suus ceterique Atheniensium principes : nam testarum suffragiis, quod illi ostracismum vocant, decem annorum exilio multatus est. Cujus facti celerius Athenienses, quam[2] ipsum, pœnituit. Nam quum ille forti animo invidiæ ingratorum civium cessisset, bellumque Lacedæmonii Atheniensibus indixissent[3]; confestim notæ ejus virtutis desiderium consecutum est. Itaque post annum quintum, quam expulsus erat, in patriam revocatus est[4]. Ille, quod hospitio Lacedæmoniorum utebatur, satius existimans, contendere Lacedæmonem, sua sponte[5] est profectus, pacemque inter duas potentissimas civitates conciliavit. Post neque ita multo, Cyprum cum ducentis navibus imperator[6] missus,

CAP. III. 1. *Quum unus in civitate maxime floreret.* Cicero in Verrem : « Hic in sua patria multis virtutibus ac beneficiis *floruit.* » Id. pro Cælio, et sæpius : « Metellus quum in republica *floreret* integerrima ætate, optimo habitu, maximis virtutibus, etc. » Et : « Ipsi innoxii, *florentes,* sine metu ætatem agere. » Sall. Catil. XXXIX. » — *Suus.* Pro ejus; ut sæpe fit, quum nulla inde existit ambiguitas. — *Ceterique Atheniensium principes.* Theseus scil., Solon, Aristides, Themist., Phocion, aliique complures. — *Quod.* Id est, quam rem. *Ostracismum,* quem jam supra in Themistocle, VIII, *testarum suffragia,* et in Aristide, I, testulam interpretatus est. — *Exilio multatus est.* Suasore et impulsore Pericle, quia Laconum rebus favere credebatur. Vide Plutarch. Alias alii causas obtendunt.

2. *Quam ipsum.* Quam ipse doluit, interpretatur Lambinus. Non enim Cimonem fuit penes, ne non pelleretur : atqui non pænituit. Sed *pænitet,* pro *dolet* aut *tædet,* sæpissime.

3. *Bellumque Lacedæmonii Atheniensibus indixissent.* Et ingentem cladem ad Tanagram illis intulissent. Vide Plut. — *Notæ ejus virtutis desiderium consecutum est.* Infra in Epamin. VII : « Desiderari cœpta est Epaminondæ diligentia. »

4. *Revocatus est.* Decreto Periclis, ut tradit Plutarchus, qui (in ejus vita) cur Pericles ipse hoc decretum scripserit docet.

5. *Contendere Lacedæmonem,* etc. Nempe in Spartanorum agris exul versatus fuerat. Nihil vero de hac profectione Plutarch., sed Cimonem statim Athenas rediisse, hasque civitates in gratiam reduxisse narrat. — *Pacemque .... conciliavit.* Ita et in Thrasybulo, III, et in Hamilcare, I. « Legatos ad Vercingetorigem de pace et amicitia concilianda publice missos. » Cæsar, VII, 55.

6. *Imperator missus.* Sua vero

quum ejus majorem partem insulæ devicisset, in morbum implicitus, in oppido Citio est mortuus.

IV. Hunc Athenienses non solum in bello, sed in pace diu desideraverunt. Fuit enim tanta liberalitate [1], quum compluribus locis prædia hortosque haberet, ut nunquam in eis custodem imposuerit fructus servandi gratia, ne quis impediretur, quo minus ejus rebus, quibus quisque vellet, frueretur. Semper eum pedisequi [2] cum nummis sunt secuti, ut, si quis opis ejus indigeret, haberet, quod statim daret, ne differendo videretur negare [3]. Sæpe, quum ali-

sponte, quia Athenienses videbat in pace otii esse impatientes, ut refert Plutarchus. Diodori autem, sic et Thucydidis, nostro congruunt sententiæ. — *In morbum implicitus.* Alii, teste Plutarcho, vulnere, quod adversus barbaros pugnans acceperat, confectum tradidere. Bos. — *In oppido Citio.* Thucydides, et cum eo Plutarchus, non in oppido, sed dum illud obsideret, occubuisse Cimonem scribunt. Oppidum tamen a Cimone expugnatum refert Diodorus, XII. Citii Stoicorum sectæ conditor natus est Zeno.

CAP. IV. 1. *Fuit enim tanta liberalitate.* Totum hunc locum usque ad finem capitis, e Theopompo desumptum, et quasi e verbo expressum esse, notavit Casaubonus, animadvers. in Athenæi XII, 8. Similis munificentia Gilliæ Agrigentini fuit, de quo Valerius Max. IV, 8, ext. II. De Cimonis autem liberalitate Lactantius, VI, 9, breviter: « Egentibus stipem dedit, et pauperes invitavit, et nudos induit. » — *Ut nunquam in eis custodem imposuerit.* Vide Plutarchum in Cimone, et in Pericle. Theophrastus apud Ciceronem, De offic. II, hæc ad curiales sive contribules Cimonis restringit. Omnibus vero civibus hanc copiam concessisse scribit Theopompus, apud Athenæum. Simile quid de Ephialte refert Heraclides, in Politia Atheniensium, permisisse ex agris suis fructus decerpere, qui vellent; atque inde multis cibum præbuisse. — *Custodem imposuerit.* Ita Cicero, pro Plancio, XXV: « Sin autem emimus, quem villicum *imponeremus*, quem pecori præficeremus, nihil in eo, etc. »

2. *Semper eum pedisequi.* Hos Plutarchus νεανίσκους συνήθεις vocat, aitque eos tulisse pecuniam copiosam, et adstitisse elegantioribus inopum (τοῖς κομψοῖς τῶν πενήτων), nummulosque silentio in manus injecisse. Δύο ἢ τρεῖς νεανίσκοι, ait Theopompus. Non admodum dissimile est, quod de L. Neratio narrat Gellius, N. A. XX, 1. Bosius.

3. *Ne differendo videretur negare.* Cui sententiæ congruunt Sen. verba, De benefic. II: « Omnis benignitas properat, et proprium est libenter facientis, cito facere; qui tarde profecit, non ex animo fecit. Tarde velle, nolentis est. »

quem offensum fortuna[4] videret minus bene vestitum, suum amiculum dedit. Quotidie sic cœna ei coquebatur[5], ut, quos invocatos vidisset in foro, omnes convocaret; quod facere nullum diem prætermittebat. Nulli fides ejus, nulli opera, nulli res familiaris defuit. Multos locupletavit; complures pauperes mortuos, qui, unde efferrentur, non reliquissent, suo sumptu extulit. Sic se gerendo, minime est mirandum, si et vita ejus fuit secura[6], et mors acerba. *

Et illud P. Syri: *Inopi beneficium bis dat, qui dat celeriter.* Nec non illud Ausonii epigramma: ex Græco:

Gratia, quæ tarda est, ingrata est gratia. Namque
Quum fieri properat gratia, grata magis.

4. *Offensum fortuna.* Forte fortuna oblatum, casu obvium, εἴ τις συντύχοι. Plutarchus in Cimone, c. 10. — *Amiculum.* Plutarchus ἱμάτια; sed alicujus e pedisequis, Plutarcho et Theopompo teste, amiculum dabat.

5. *Coquebatur.* Apparabatur. *Invocatos.* Non invitatos ad epulas.

6. *Secura.* Libera ab omni timore et civium invidia. — *Acerba.* Luctuosa civibus. Remotior quorumdam explicatio prræmaturam infert; at et mors cari senis potest esse acerba. Tzs.

* Cimonis res scripsere Plutarchus, Cimone; Diodorus, XI et XII; Herodotus, VI et VII; Thucydid. I; Polyæn. I; Plato in Theage et Gorgia; Suidas; Athen. XII; Demosth. orat. contra Arist.; Andocides, orat. in Alcib.; Aristid. Plat. II; Justin. II, 15; Valerius Maximus, V, 3, ext. 3; V, 4, ext. 2; VI, 9, ext. 3; Cicero, De officiis II, 18. Boecl. Facies ejus in nummorum meorum uno, inquit Bos., conspicitur cum inscriptione ΚΥΜΟΝΟΣ ΑΘΗΝΑΙΟΥ. In postica parte victoria seminuda armis insidens, dextra palmam, sinistra clypeum tenens, in quo, ΝΙΚΗ: infra, ΑΘΗΝΑΙΩΝ: circum victoriam, ΚΑΤΑ ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΩΝ. Recentiorem, et superiore sæculo cusum esse, vix dubito. Hermam ejus, sed capite truncatum, exhibent Ursini imagines, num. 46. Diversus ab hoc Cimon, Tisagoræ filius, quanquam interdum cum nostro confundatur. De quo vide Rutgers. Var. lect. I, 9, pag. 33 et 17. Bosius. Adde in primis apud nos *Rollin, Hist. anc.* livre VII, chap. 1; *Barthelemy, voyage d'Anacharsis*, etc.



IV.

LYSANDER.

ARGUMENTUM.

Cap. I; Athenarum victor decemviros civitatibus imponit Lysander. — II; In Thasios subdolus et crudelis. — III; Lacedæmoniorum reges tollere et oracula corrumpere conatur. Accusatus absolvitur; occiditur a Thebanis. — IV; Ipse suus accusator.

Lysander[1], Lacedæmonius, magnam reliquit sui famam magis felicitate, quam virtute partam. Athenienses enim, in[2] Peloponnesios sexto et vicesimo anno bellum gerentes, confecisse apparet : id qua ratione consecutus

Cap. I. 1. *Lysander*. Aristocliti filius, ex Heraclidarum genere; sed, ut addit Plutarchus, οὐκ οἰκίας βασιλικῆς. Etenim, duas præter regias Heraclidarum familias, aliæ quoque apud Spartanos Heraclidarum, sed privatæ erant familiæ, ex quarum una ortus erat Lysander. De mothacibus, hoc est, vel servis pueris, vel liberis hominibus, vel libertate donatis, qui cum locupletiorum Lacedæmoniorum liberis educabantur, et quorum unus Lysander fuisse dicitur a Phylarcho, apud Athenæum, VI, 20; vide Meursium, Miscellan. Lacon. Pater ejus non Ἀριστοκλεῖτος, ut a Plutarcho, sed Aristocritus a Pausania, VI, 3, vocatur. — *Lacedæmonius*. Lysander perpetuo a scriptoribus appellatur *Lacedæmonius*, uti a Cicerone, de Divin. I, 34, *Lacedæmoniorum clarissimus*. Qui tamen hic non natus, sed civitate donatus. Vide interpr. ad Ælian. Var. Hist. XIII, 8, et Cragium de rep. Lac. I, 5.

2. *In*. Pro adversus. Ita Sall. Catil. IX : *in hostem pugnaverant*. *Sexto*. Alii septimo et vicesimo narrant, prout belli initium ducitur. — *Bellum gerentes*. Et pestilentia vexatos, ut tradunt Plutarchus; Xenophon, II, de rebus græcis; Diodorus Siculus, lib. XIII, extr. — *Confecisse*. I. e. penitus stravisse.

sit, latet. Non enim virtute sui exercitus, sed immodestia[3] factum est adversariorum ; qui, quod dicto audientes imperatoribus suis non erant, dispalati in agris, relictis navibus, in hostium venerunt potestatem. Quo facto Athenienses se Lacedæmoniis dediderunt. Hac victoria Lysander elatus, quum antea semper factiosus audaxque fuisset, sic sibi indulsit[4], ut ejus opera in maximum odium Græciæ Lacedæmonii pervenerint. Nam quum hanc causam Lacedæmonii dictitassent sibi esse belli, ut Atheniensium impotentem[5] dominationem refringerent ; postquam apud Ægos flumen Lysander classis hostium est potitus, nihil aliud molitus est, quam ut omnes civitates in sua teneret potestate,

— *Latet*. Ita habent nost. codd. regii, n° 5826, 5837, et 6143. Non opus est igitur cum quibusdam emendare *patet*, vel *non latet*, vel *latet neminem*. Sensus est : res ipsa apparet, rei effectæ modus latet. Similis locus extat in Datame, c. 1, init. : « Quorum nisi ratio explicata fuerit, res apparere non poterunt. » Quæ scilicet explicatio eo probabilior esse videtur, quod alii fortunæ, alii proditioni illam tribuerint felicitatem.

3. *Immodestia*. Disciplinæ militaris neglectu. Ut in Alcibiad. VIII, et passim apud Tacitum. — *Dicto audientes*. Obedientes. Vide in Iphicrate, II. *Audire alicui dicto*, pro *parere alicui dicto* ponitur. Ita gallice, *obéir à quelqu'un au moindre mot*. Equidem *dicto* ablativum censeo. — *Imperatoribus*. Alcibiadi præcipue. Vide in ejus vita, VIII. — *Dispalati*. Vox minus usurpata, aptius *dispalantes*. Sic rursus tamen in Annibal. c. V; et Sisenna, apud Nonium : « *Dispalati* ab signis, digressi omnes ac dissipati. » — *In hostium venerunt potestatem*. Imperatorum negligentia, non immodestia militum, hoc evenisse ait Aristides sophista, Λευκτρικῷ λόγῳ. Nonnulli hoc tribuunt proditioni, qua Tydeus et Adimantus, a Lysandro corrupti, Atheniensium classem in Lysandri potestatem tradidisse perhibentur. Attamen Athenienses Lysandri præcipue dolo prudenti decepti fuere, ut e Plutarcho, in Lysandri vita, liquet. Adde Frontin. II, 1, 18.

4. *Sic sibi indulsit*. Sic his pessimis artibus, audaciæ scilicet ac factionum furori, paruit. — *Ejus opera*. Propter eum.

5. *Impotentem*. Effrenatam. — *Ægos*. Sic Alcibiad. VIII; Conon, I. Genitivus autem casus ab *Æx* nominativo, αἴξ, capra. Non tamen flumen, urbs vero sic nominatur. Stephanus : Αἰγὸς ποταμοί, πόλις ἐν Ἑλλησπόντῳ. Vide Plin. II, 58; IV, 11; Mela, II, 2. — *Classis hostium est potitus*. Cum genitivo optimos apud auctores non inusitatum. Cicero Lentulo, I, 7 : « Si

quum id se Lacedæmoniorum causa facere simularet. Namque undique, qui Atheniensium rebus studuissent[6], ejectis, decem delegerat in unaquaque civitate, quibus summum imperium, potestatemque omnium rerum committeret. Horum in numerum[7] nemo admittebatur, nisi qui aut ejus hospitio contineretur, aut se illius fore proprium fide confirmaret.

II. Ita decemvirali potestate in omnibus urbibus constituta, ipsius nutu omnia gerebantur. Cujus de crudelitate ac perfidia[1] satis est unam rem, exempli gratia, proferre, ne, de eodem plura enumerando, defatigemus lectores. Victor ex Asia quum reverteretur, Thasumque devertisset; quod ea civitas præcipua fide fuerat erga Athenienses, proinde ac si iidem firmissimi solerent esse amici, qui constantes fuissent inimici[2], eam pervertere concupivit. Vidit autem, nisi in eo occultasset voluntatem, futurum,

exploratum tibi sit, posse illius regni potiri, » et passim. Sallust. Jug. LXXV: « Si ejus oppidi potitus foret. » — *Quum id se Lacedæmoniorum causa facere simularet.* Ita fere apud Sall. Cat. XXXVIII: « Senati specie, pro sua magnitudine. » Et post: « Bonum publicum simulantes, pro sua quisque potentia certabant. »

6. *Qui Athen. rebus studuissent*, etc. Omnes se Argos et Thebas contulere. Vide Justin. V, 9. — *Decem delegerat.* Athenis triginta præfecerat, decem vero Piræo. Plut. ibid.; Plat. Epist. VII. Hi postea triginta viri urbem servitute oppresserunt, et ad tyrannidem usque sævierunt. MAGIUS. — *Quibus summum imperium, potestatemque omnium rerum committeret.* Arcanum dominationis, quo populos civitatesque nuper subactas in officio continere student victores. Vide Forstner ad Taciti Ann. XII, 32. FISCHER.

7. *In numerum*, ut veteres nostri regii manuscripti 5826, 6143. Vulgi *in numero.* — *Hospitio contineretur.* Eleganter et apte ad notandam hospitii conjunctionem. TZSCHUCK. Id est, esset inter eos, qui fœdere hospitii cum Lysandro conjuncti erant. — *Se illius fore proprium fide confirmaret.* Sensus est: qui confirmaret jurejurando, se fore omnino Lysandro obnoxium.

CAP. II. 1. *Cujus de crudelitate ac perfidia.* Hæc sunt illius perfidiæ argumenta, quod dicere solebat, ubi leonina pellis non proficeret, vulpinam esse assumendam; item, pueros taxillis, homines autem jurejurando fallendos. Vide Plutarch., a quo cum Sylla confertur.

2. *Qui constantes fuissent inimici.* Porro intelligere licet ex Thucyd.

ut Thasii dilaberentur[3], consulerentque rebus suis. Itaque*** [4].

III. Decemviralem suam potestatem sui ab illo constitutam sustulerunt. Quo dolore incensus[1], iniit consilia reges Lacedæmoniorum tollere; sed sentiebat, id se sine ope Deorum facere non posse, quod Lacedæmonii omnia ad oracula referre consueverant. Primum Delphos cor-

VIII, Thasios, antequam tantam in Athenienses fidem præstitissent, eorum inimicos, Lacedæmoniorumque amicos atque socios extitisse. Nunc igitur, quia Atheniensium eos amicos videt, hacque in amicitia permansuros judicat, eos pervertere cupit Lysander.

3. *Dilaberentur*. Alius alio se reciperet.

4. *Itaque*.... Quod deest explere licet ex Polyæno, I, 45, 4: *Itaque* fraudem clementia ac religione velandam censuit. Erat apud Thasios templum Herculis, quod summa ipsi cærimonia colebant. Huc vocatis civibus, insidiosæ humanitatis plenissima oratione veniam omnibus anteactorum pollicetur; consternatione et tempore facile excusari, quæ in isto rerum articulo accidissent; igitur frustra timere quemquam, aut latere; siquidem hæcce, teste Deo ipsorum patrio, et in Herculis atavi sui urbe, profiteretur. Talia tam accurata simulatione affirmanti creditum est, et prodierunt ex latebris, qui Atheniensium studio graviora extimuerant. Quos ille, post paucos dies, nihil amplius suspicantes, salutisque penitus securos, adortus omnes interfecit. Similem, Plutarcho, Polyænoque eodem teste, I, 45, 1, in Milesios perfidiam exercuit Lysander. Thasios enim apud et Milesios confugerant permulti, qui Atheniensium partes adversus Lysandri tyrannidem fuerant secuti. Vid. supra, cap. primo.

Cap. III. 1. *Quo dolore incensus*. Aliam Diodorus causam, elatos nempe ac feroces narrat animos, quod bellum Peloponnesiacum confecisset, Lacedæmoniisque Græciæ et terra et mari principatum peperisset, l. XIV, c. 13. Refert autem Plutarchus in vita, XXIII, quia se ab Agesilao rege, intolerandæ ejus superbiæ contundendæ studioso, despectum ac depressum vidisset. — *Tollere*. Abrogare. Ad id tantum, Diodoro et Plutarcho teste, intendebat, ut, neglecta Proclis et Eurysthenis posteritate, vel omnibus Spartanis, vel Heraclidis tantum, e quibus ipse ortus erat, regiæ dignitati aditus pateret. — *Tollere*, pro *tollendi*, qualia passim objiciuntur. Tzs. — *Lacedæmonii omnia ad oracula referre consueverant*. Non tantum Lacedæmonii, sed omnes fere Græciæ populi. *Referre* autem verbum in hac re sæpius usurpatum: « Sed de rebus obscuris ad Apollinem censeo referendum. » Cicero, I, de Divinatione.

rumpere est conatus[2]. Quum id non potuisset, Dodonam adortus est[3]. Hinc quoque repulsus, dixit se vota suscepisse, quæ Jovi Ammoni[4] solveret, existimans se Afros facilius corrupturum. Hac spe quum profectus esset in Africam, multum eum antistites Jovis fefellerunt. Nam non solum corrumpi non potuerunt[5]; sed etiam legatos Lacedæmona miserunt, qui Lysandrum accusarent, quod sacerdotes fani corrumpere conatus esset. Accusatus hoc crimine, judicumque absolutus sententiis, Orchomeniis missus subsidio[6], occisus est a Thebanis apud Haliartum. Quam vere[7] de eo foret judicatum, oratio indicio fuit, quæ post mortem in domo ejus reperta est; in qua suadet Lacedæmoniis, ut, regia potestate dissoluta, ex omnibus dux deligatur ad bellum gerendum; sed ita scripta, ut Deorum videretur congruere sententiæ, quam ille se habiturum, pecunia fidens, non dubitabat. Hanc ei scripsisse[8] Cleon Halicarnasseus dicitur.

2. *Delphos corrumpere est conatus.* Scilicet antistites, qui in templo Apollinis Delphici oraculis præerant.

3. *Dodonam adortus est.* Veluti supra, qui oraculi Dodonæi vates corrumperet

4. *Ammoni.* De Ammone vide passim Herodoti, Diodori, Q. Curtii testimonium et interpretes. — *Se Afros facilius corrupturum.* Quod sint lubricæ fidei, unde apud Livium, *fraus plus quam Punica*, et *Punica fides.* Nonnulli quoque *vafer* e *valde Afer* ortum arbitrantur.

5. *Nam non solum corrumpi non potuerunt.* Corruptos tamen postea auro Alexandri Ammonis sacerdotes narrat Plutarchus in Alexandro. Adde Justinum, XI, 11.

6. *Orchomeniis missus subsidio.* In bello, quod tunc contra Thebanos gerebant. Orchomenii autem Lacedæmoniorum partes sequebantur. Vide Plutarch. in Pelop. — *A Thebanis.* Ab Haliartio cive, Neochoro dicto. Vide Plut. in Lysandro. Hanc gloriam Atheniensibus vindicat Aristides Panathen.

7. *Quam vere.* Heinrichii sententia, quam *juste* condemnatus foret. Ironice dictum quidam volunt; alii referunt ad Lacedæmoniorum de Lysandri perfidia suspicionem, oratione in ejus domo reperta veram comprobatam. Sensus vero simpliciter explicandus : Utrum de eo verum esset, quo *absolutus* est, judicium, oratio indicio fuit...

8. *Hanc ei scripsisse*, etc. Ita nempe apud Græcos solebant sophistæ; alii discebant et recitabant.

IV. Atque hoc loco non est prætereundum factum Pharnabazi, satrapis regii[1]. Nam quum Lysander, præfectus classis, in bello multa crudeliter[2] avareque fecisset, deque his rebus suspicaretur ad cives suos esse perlatum, petiit a Pharnabazo, ut ad ephoros sibi testimonium daret, quanta sanctitate bellum gessisset sociosque tractasset, deque ea re accurate scriberet; magnam enim ejus auctoritatem in ea re futuram. Huic ille liberaliter[3] pollicetur: librum gravem multis verbis conscripsit, in quo summis eum effert laudibus. Quem quum legisset probassetque, dum obsignatur[4], alterum pari magnitudine, tanta similitudine, ut discerni non posset, signatum subjecit; in quo

Λογογράφοι vocabantur, qui aliis orationes scriptitabant, quæ vox cum re deinceps in contemptum adducta. Isocratem primo aliis orationes scribere solitum refert Cicero in Bruto, cap. XII.

Cap. IV. 1. *Pharnabazi, satrapis regii*. Hic alterius Pharnabazi filius, olim Darii, Artaxerxis postea satrapes, qui Alcibiadem jussit interfici. Vide Diodorum, XIV, et infra in Alcibiade, X. *Satrapis regii*. Vide supra, in Pausania, I.

2. *Multa crudeliter*. Vide Plut. —*Avareque*. Ab eodem tamen Plut. ejus continentia laudatur. Theopompus quoque ibidem eum pauperem defunctum refert. Opibus vero multum largiendo forsan exhaustis, pauper decessit, hancque continentiam ad tempus simulaverat. — *Deque his suspicaretur*. Hæc prolixe, sed tamen paulo aliter narrat Plutarchus. Vide quoque Polyænum, VII, 19. — *Ephoros*. A quibus, scytala missa, ut Plut. et Polyænus narrant, fuerat revocatus. De ephoris vide supra Themistoclem, VII; de scytalæ formâ, Pausaniam, III. — *Quanta sanctitate*. Justitia, moderatione atque integritate. Valer. Maxim. lib. IV, cap. 1, 14, de posteriore Catone: « Cypriacam pecuniam maxima cum diligentia et *sanctitate* in urbem deportaverat. » Hinc *sanctæ manus*, non pollutæ captandis et acceptandis muneribus provincialium, apud Valer. Max. II, 2, 8: « Tum etiam hominum continentia inerat, imperatoribus nostris, quam sanctas manus habere deberent, apud ista altaria discentibus. »

3. *Liberaliter pollicetur*. Libenter et magnifice, imo impensius quam exigebatur, pollicetur. Ita fere: « Cicero legatis præcepit, studium conjurationis vehementer simulent, ceteros adeant, *bene polliceantur*. » Sallust. Cat. XLI. — *Gravem*. Heusinger aliique plures docti viri *gravem* scribentis Pharnabazi gravitatem potius, quam libri molem, significare arbitrantur.

4. *Dum obsignatur*. Dum epistolæ sigillum imprimit. — *Signa-*

accuratissime ejus avaritiam perfidiamque accusarat. Hinc Lysander domum quum rediisset, postquam de suis rebus gestis apud maximum magistratum [5], quæ voluerat, dixerat; testimonii loco librum a Pharnabazo datum tradidit. Hunc, summoto Lysandro, quum ephori cognossent [6], ipsi legendum dederunt. Ita ille imprudens [7] ipse suus fuit accusator. *


tum subjecit. Loco alterius, supposuit alterum librum, cui sigillum suum impresserat. *Jam* signat *meus annulus lagenam*, Martialis, IX, 89.

5. *Maximum magistratum.* Ephoros scilicet.

6. *Cognossent.* Legendo, igitur legissent. Ita in Pausania, IV: « Vincula epistolæ laxavit, signoque detracto, *cognovit.* » Ita loquitur, Conone, III; Datame, V. Græce, ἀναγιγνώσκειν.

7. *Imprudens.* Inscius, quippe qui litteras, in caput suum scriptas, aliter existimans, ad suos tulerit. — *Suus.* Cur non dixit *sui accusator?* Ita scilicet, ait Lambin., ut *meus et tuus defensor* dicitur, qui me et te defendit.

* Lysandri res habemus apud Plutarchum in vita, et alibi; Thucydidem, V; Xenophontem, Græc. Histor. II et IV; Diodorum, XII et XIII; Polyænum, I et VII; Pausaniam, passim; Ælianum, passim; Justinum, V; Frontinum, I, 5, 7; II, 1, 18; IV, 1, 9; Ciceronem, passim. Bœcler. Adde apud nos *Rollin, Hist. anc.* liv. VIII, c. 2, *et* IX, c. 1 *et* 3; *Barthélemy*, *Voyag. d'Anacharsis*, etc.



(Page 69)




Ex Museo Vaticani.



Ex Museo Neapolis.

C. Laguiche del. P. Audouin sculp.



VII.

ALCIBIADES.

ARGUMENTUM.

Cap. I; Alcibiades et vitiis et virtutibus celebris. — II; Adolescentis educatio et mores. — III; Belli dux contra Syracusanos, in suspicionem venit. — IV; Domum revocatus devovetur, ideoque Spartanis inservit. — V; Spartanis suspectus ad Tissaphernem venit. Atheniensibus reconciliatur. — VI; Gloriose domi exceptus, resacratur. — VII; In invidiam recidit. In Thracia prospere pugnat. — VIII; Civibus, quantum potest, consulit. — IX; Spe patriæ orbatus, ad Pharnabazum se confert. — X; Apud Pharnabazum in insidiis conficitur. XI; Alcibiades infamatus et laudatus.

Alcibiades, Cliniæ filius[1], Atheniensis. In hoc natura, quid efficere possit, videtur experta. Constat enim inter omnes, qui de eo memoriæ prodiderunt[2], nihil eo fuisse excellentius, vel in vitiis, vel in virtutibus. Natus in amplissima civitate, summo genere[3], omnium ætatis suæ mul-

Cap. I. 1. *Alcibiades, Cliniæ filius*. Hujus Cliniæ, qui in prælio ad Coroneam cecidit, et Dinomaches filius. Vide Platonem in Alcibiad. I, ac Plutarchum, vit. Alcibiad.

2. *Qui de eo memoriæ prodiderunt*. Qui hujus historiam scripserunt. — *Nihil, etc.* Neminem scilicet ei præstitisse, vel vitiis, vel virtutibus. Hæc ita *Barthélemy, Voyage d'Anacharsis: Il semble que la nature avait essayé de réunir en lui tout ce qu'elle peut produire de plus fort en vices et en vertus.*

3. *Summo genere*. Vide Isocratem in oratione περὶ ζεύγους, quæ habo-

to formosissimus, ad omnes res aptus, consiliique plenus; namque imperator fuit summus et mari et terra: disertus, ut in primis dicendo valeret; et tanta erat commendatio oris atque orationis, ut nemo ei dicendo posset resistere: deinde, quum tempus posceret, laboriosus, patiens, liberalis, splendidus, non minus in vita, quam victu; affabilis, blandus, temporibus callidissime inserviens. Idem, simul ac se remiserat[4], neque causa suberat, quare animi laborem perferret, luxuriosus, dissolutus, libidinosus, intemperans reperiebatur: ut omnes admirarentur, in uno homine tantam inesse dissimilitudinem, tamque diversam naturam.

tur ab Alcibiadis filio. Adde Meursium, Att. lect. VI, 12. — *Omnium ætatis suæ multo formosissimus.* Ita ut in proverbium abierit: κατὰ Ἀλκιβιάδου μορφή. Aristænet. I, epist. 17. *Multo formosissimus.* Sic Sallust., Cat. LII: *Multo pulcherrumam eam nos haberemus.* Unde et sculptores Athenis Hermas Alcibiadi assimilabant, ut refert Clemens Alexandrinus, Admonit. ad gentes. — *Imperator fuit summus.* Hinc Romani, bello Samnitico, jussi ab Apolline Pythio Graiæ gentis fortissimo simulacrum dicare, Alcibiadi statuam in cornibus comitii posuere. Plin. XXXIV, 12. — *Tanta erat commendatio oris atque orationis.* Omnes adeo oris vocisque suavitate sibi conciliabat. Vide in Attico, I, : *Summa suavitas oris ac vocis.* Porro utraque multum ad aures mentesque Atheniensium valebat. Sic Plutarchus, in vita, c. 1, quemdam illi balbutiendi modum decori habitum prædicat. *Un léger défaut de prononciation prêtait à ses paroles les graces naïves de l'enfance.* Barthél. Anach.—*Ut nemo ei dicendo posset resistere.* Belli itaque Siculi, Nicia frustra dissuadente, suasor et auctor fuit. Hinc quoque effecit, ut Athenienses vitiis ejus levissima nomina imponerent, eaque ut ludos, animi remissiones, et facilitatem, interpretarentur. Alcibiadis enim, ut ait Justin. V, 2, « morum vitia sub umbra eloquentiæ primo latebant. » — *Non minus in vita, quam victu. Vita* exteriorem inter homines, et in publico consuetudinem; interioris vero familiarisque vitæ instrumenta, domum scilicet, cultum, et mensam, *victus* complectitur. — *Temporibus callidissime inserviens.* Ita Cicero ad Atticum, VIII, 147: *Servire tempori quum necesse sit.* Illum chamæleonti non absimilem fuisse ait Plutarchus, quem etiam in eo vincebat, quod chamæleon colorem candidum induere non valet.

4. *Se remiserat.* Animum relaxaverat. Contra *intendere.* Utrumque ab arcu ductum. — *Luxuriosus*, etc. Vide Plutarchum, in vita; Athenæum, XII, 9, et alibi. — *In uno homine tantam inesse dissimilitudinem,*

II. Educatus est in domo Periclis[1] (privignus enim ejus fuisse dicitur), eruditus a Socrate; socerum habuit Hipponicum, omnium Græca lingua loquentium divitissimum: ut, si ipse fingere vellet, neque plura bona reminisci, neque majora posset consequi, quam vel fortuna vel natura tribuerat. Ineunte adolescentia, amatus est a multis, more Græcorum[2]: in eis a Socrate, de quo mentionem facit Plato in Symposio. Namque eum induxit

tamque diversam naturam. Inesse in: ita Sallustius, Cat. XV, « *in* facie vultuque vecordia *inerat*. » Adde Ciceronem de Divinat. I, 9: « *Inest in* istis etiam ranunculis natura quædam significans aliquid. » *Tamque diversam naturam*. Vide Val. Max. VI, 9, 6: « Quæ tam diversa, tamque inter se contraria, si quis apud animum suum attentiore comparatione expendere velit, duos in uno homine Sullas fuisse crediderit. »

Cap. II. 1. *Educatus est in domo Periclis*. Vir inter Athenienses eloquentia aliisque virtutibus insignis, adeoque auctoritate pollentis, ut quadraginta per annos rempublicam gubernaverit. Vide in primis egregiam ejus effigiem, auctore *Barthélemy, Voyage d'Anacharsis*. — *Privignus enim ejus fuisse dicitur*. Si Diodoro Siculo et Suidæ credimus, sororis ejus filius fuit; unde Valerius Max. III, 1, ext. 1, et Gellius, XV, 17, Periclem avunculum ejus vocant. Quod tamen facile conciliari potest. Constat enim Periclem, si non Alcibiadis ipsius, illius tamen uxoris vitricum fuisse, quum Alcibiades in matrimonio habuerit Hippareten, filiam Hipponici, cujus uxorem postea duxit Pericles, ut Plutarchus in Pericle scribit. — *Eruditus a Socrate*. Quum prius Sophili fuisset discipulus. Suidas. Socratis quoque discipulum narrant Xenoph. I, Memorabil. et Lactantius, Div. Instit. III, 19. Quanquam Socrates, in Apologia a Platone scripta, negat se cujusquam magistrum fuisse. Hoc quoque negat Isocrates in Busiride, Polycratem id asserentem redarguens. *Socrate, qui prévit de bonne heure que ce jeune homme serait le plus dangereux des citoyens d'Athènes, s'il n'en devenait le plus utile, rechercha son amitié, l'obtint à force de soin, et ne la perdit jamais*. Barthél. *Voyage d'Anacharsis*. — *Ut, si ipse fingere vellet*, etc. Sensus est: si Alcibiades sibi ipse fortunam fabricare atque componere vellet, non posset memoria ac mentis discursu plura excogitare bona, quam quæ vel fortuna, vel natura ei tribuerat.

2. *More Græcorum*. De quo supra, ad præf. — *Plato*. Philosophus, ita ab humerorum latitudine (πλάτος) dictus; antea enim, ex avi nomine, Aristocles vocabatur. Fuit egregio corporis habitu, et in palæstra se exercuit apud Aristonem palæstritam, a quo primum cognominatus est Plato. Natus Athenis eo die dicitur, quo apud Delon Apollo.

commemorantem, se pernoctasse cum Socrate, neque aliter ab eo surrexisse, ac filius a parente debuerit[3]. Posteaquam robustior[4] est factus, non minus multos amavit; in quorum amore, quoad licitum est, odiosa multa delicate jocoseque fecit: quæ referremus, nisi majora potioraque haberemus.

III. Bello Peloponnesiaco[1], hujus consilio atque auctoritate Athenienses bellum Syracusanis indixerunt; ad quod gerendum ipse dux delectus est. Duo præterea collegæ dati[2], Nicias et Lamachus. Id quum appararetur, prius quam classis exiret, accidit, ut una nocte omnes Her-

Athenis primum Socrati dedit operam; deinde, dum licuit ætate, in Italiam, ut Pythagoreos audiret, profectus est, ubi Philolaï Crotoniatæ libros de secta Pythagorea centum minis, etiam in rei familiaris difficultate, mercatus est; ex quibus multa in suum Timæum transtulit. In Ægyptum deinde transiit, ut audiret sacerdotes, ibique libros Moseos legisse creditur. Decessit annos natus unum et octoginta, morbo, uti quidam falso ferunt, pediculari. Adeo autem in omni disciplinarum genere, et præsertim in philosophia excelluit, ut divinus Plato et philosophorum Homerus vocatus sit. Hunc deum prædicat Cicero, de Natur. Deor. II, 12. Platone magistro usus est Aristoteles, ut et alii celeberrimi viri. De quo vid. plura apud Plut. Diogen. Laert. et Ciceronem. Adde Platonis effigiem, auctore *Barthélemy*, *Voyage d'Anacharsis*. — *In Symposio*. Id est, in dialogo, qui inscribitur *Symposium*, seu convivium.

3. *Neque aliter ab eo surrexisse, ac filius a parente debuerit*. Notum illud Petronii in Satyrico, c. 128: « Non tam intactus Alcibiades in præceptoris sui lectulo fuit. »

4. *Robustior*. Ætate adultiori.— *In quorum amore, quoad licitum est*, etc. In quorum amore, quamdiu ætate licuit, minus honeste pudicitiam habuit, hisque amoribus jocos movit, nedum odium, ut decebat, concitaret.

Cap. III. 1. *Bello Peloponnesiaco*. Archidamium quoque hoc bellum vocatur. Vide Suidam; Plutarch. in Pericle; Thucydid. III, 1. De damno, quod Græciæ attulit, vide Pausaniam, VIII, 52.—*Hujus consilio*. Orationem de hoc bello habitam exhibet Thucydid. VI, 15.— *Atque auctoritate*. Dissuadebat enim, ut supra diximus, Nicias.

2. *Duo præterea collegæ dati*. Unum aliquando classis præfectum penes erat imperium, quod frequenter cum collegis, pari potestate præditis, ea scilicet causa, dividebatur, ne imperii summam uni, si dominationem affectaret, infeliciter committerent; sed ejus cupiditates, collegis additis, cohiberent. Plut. Alc.

mæ[3], qui in oppido erant Athenis, dejicerentur, præter unum, qui ante januam erat Andocidis. Itaque ille postea Mercurius Andocidis [4] vocitatus est. Hoc quum appareret non sine magna multorum consensione [5] esse factum, quod non ad privatam, sed ad publicam rem pertineret; magnus multitudini timor est injectus, ne qua repentina vis in civitate existeret, quæ libertatem opprimeret populi. Hoc maxime convenire in Alcibiadem videbatur[6]; quod et potentior, et major, quam privatus, existimabatur. Multos enim liberalitate [7] devinxerat; plures etiam opera forensi suos reddiderat. Quare fiebat, ut omnium oculos, quotiescumque in publicum prodisset, ad se converteret, neque ei par quisquam in civitate poneretur. Itaque non solum spem in eo habebant maximam, sed etiam timorem [8], quod et obesse plurimum et prodesse

3. *Hermæ*. Ab Ἑρμῆς, Mercurius. Statuæ lapideæ quadratæ, et ad cubi figuram conformatæ, sine manibus et pedibus, quæ in ædium tam privatarum quam sacrarum vestibulis poni solebant. In triviis quoque ac compitis Hermæ, qui iter ostenderent, super columnas constitui solebant. Hos primum ab Hipparcho Athenis erectos docet Plutarchus, in dialogo de lucri cupiditate. —*Dejicerentur*. Imo circumciderentur ac mutilarentur, ut referunt Thucydides, VI; Diodorus, XIII, 2; Plutarch. in Alcibiad.; et Andocides, orat. de Mysteriis. Circumcidendi modum eo loco Thucydidis scholiastes tradit; Ἑρμοκοπίδας hujusce facinoris auctores vocarunt.

4. *Andocidis*. Unius ex decem præcipuis Athenarum rhetoribus.

5. *Consensione*. Mala parte. Ita in Attico, VIII: « Sic ille *consensionis* globus hujus unius dissensione disjectus est. » — *Magnus multitudini timor est injectus*. Quia scil. *multorum* in hac re *consensio ad publicam rem*, veluti conspirationem præ se ferens, pertinebat.

6. *Hoc maxime convenire in Alcibiadem videbatur*. Ita Cicero in Verr. III, 10: « Tametsi omnia ista in istum hominem *convenire* putetis. »

7. *Liberalitate*. Pro largitione. Utitur pariter Cæsar, bello Gall. I, 18: « Ipsum esse Dumnorigem summa audacia, magna apud plebem propter *liberalitatem* gratia, cupidum rerum novarum. » — *Plures etiam opera forensi suos reddiderat*. Plurimos etiam judicio defensos sibi conciliaverat.

8. *Sed etiam timorem*. Timorem in eo habebant, dici non potest: unum igitur verbum duobus aptatur, quod uni tantum conveniat. Est figura σύλληψις. — *Quod et obesse plurimum*, etc. Hinc Timon ille, quem

poterat. Aspergebatur etiam infamia[9], quod in domo sua facere mysteria dicebatur; quod nefas erat more Atheniensium : idque non ad religionem, sed ad conjurationem pertinere existimabatur.

IV. Hoc crimine in concione[1] ab inimicis compellabatur. Sed instabat tempus ad bellum proficiscendi. Id ille intuens, neque ignorans civium suorum consuetudinem, postulabat, ut, si quid de se agi[2] vellent, potius de præsente quæstio haberetur, quam absens invidiæ crimine accusaretur. Inimici vero ejus quiescendum in præsenti, quia noceri[3] non posse intelligebant, et illud tempus expectandum decreverunt, quo exisset, ut sic absentem aggrederentur; itaque fecerunt. Nam, postquam in Siciliam eum pervenisse crediderunt[4], absentem, quod sacra violasset, reum fecerunt. Qua de re quum ei nuntius a magistratu in Siciliam missus esset, ut domum ad causam

μισάνθρωπον Lucianus sing. libello inducit, Alcibiadem adamabat, quod magno malo illum aliquando Atheniensibus fore, ut refert Plutarchus, præsagiret.

9. *Aspergebatur etiam infamia.* Ita Cicero pro Cælio, cap. X : « Qui istius facti non modo suspicione, sed ne *infamia* quidem est *aspersus.* » —*Facere mysteria.* Id est, celebrare sacra Cereris, seu Eleusinia, quæ per excellentiam mysteria dicebantur. *Facere mysteria* more Græcorum adhibuit. Ita apud Thucydid. II, 15, ποιεῖν Διονύσια, Bacchanalia facere. De mysteriis adde *De Sainte Croix, Recherches sur les mystères du paganisme.*

Cap. IV. 1. *Hoc crimine in concione*, etc. Hoc crimine ab inimicis in conventibus publicis accusabatur. Alii legunt *in contentionem.*

2. *Agi.* In judicio tractari. — *Absens.* Quod tamen contra legem Atheniensium erat. Vide Rævardum, Varior. V, 8. Loccenius. — *Invidiæ crimine.* Invidorum criminationibus.

3. *Noceri.* Ita rursus et Cicero, Cat. III, c. 12: « Mihi quidem ipsi nihil jam ab istis *noceri* potest. » Al. *nocere se ei.* — *Itaque fecerunt.* Pro *et ita* fecerunt. Ut occurrit in Cicerone et Livio, passim ; et in Terentio, Andr. III, 9 :

Imo ita volo, *itaque* postulo ut fiat,

Pro *et* postulo ut fiat *ita.*

4. *Postquam in Siciliam eum pervenisse crediderunt.* Justinus, V, 1, hoc accidisse narrat, « dum Athenienses in Sicilia bellum per biennium cupidius quam felicius gerunt. » Alcibiadem vero, teste Plutarcho, non prius rediisse apparet, quam ingentem in Sicilia cladem accepissent Athenienses.

dicendam rediret, essetque in magna spe provinciæ bene administrandæ; non parere noluit, et in triremem, quæ ad eum deportandum erat missa[5], ascendit. Hac Thurios in Italiam pervectus, multa secum reputans de immoderata civium suorum licentia, crudelitateque erga nobiles, utilissimum ratus, impendentem evitare tempestatem, clam se a custodibus subduxit[6], et inde primum Elidem, deinde Thebas venit. Postquam autem se capitis damnatum[7], bonis publicatis, audivit, et, id quod usu venerat, Eumolpidas sacerdotes a populo coactos, ut se devoverent, ejusque devotionis, quo testatior esset memoria, exemplum, in pila lapidea incisum, esse positum in publico; Lacedæmonem demigravit. Ibi, ut ipse prædicare consueverat[8], non adversus patriam, sed inimicos suos,

5. *Quæ ad eum deportandum erat missa.* Nave Salaminia reduci jussum esse Alcibiadem tradunt Thucyd. et Diod. ll. infra cc. Plut., in Pericle et Lysand., etc. Thucyd. et Diod. scribunt eum tamen in propria nave, sed una cum Salaminia vectum.

6. *Clam se a custodibus subduxit.* Facilis autem Alcibiadis fuga: non enim custodes, ut ait noster, effugit; ζητοῦντας vero, teste Plutarcho. Qui ζητοῦντες erant in navi Salaminia, non in navi, qua vehebatur Alcibiades. Adde Thucyd. VI, 61, et Diodorum, XIII, 5.

7. *Postquam autem se capitis damnatum,* etc. Præter Thucydid., Diodorum et Plutarchum, vide Ælianum et Justinum. Nam capitale erat mysteria evulgare; et convicti capite damnabantur, bonaque eorum publicabantur. Vide Petit. ad Leg. Attic. I, 1, et VIII, 4. Alcibiadem autem *mysteria enuntiasse* creditum, e Justino; *sacrilegii damnatum,* e nostro infra, VI, apparet. Bosius. — *Eumolpidas.* Ab Eumolpo quodam rege, quem Ægyptii generis fuisse refert Diodorus; vel, ut aliis placet, ab alio quodam Eumolpo, Atheniensi poeta, quem Suidas Musæi poetæ, quidam Orphei filium dicunt. Hic ante Homerum fuisse traditur. Vide *De Sainte Croix*, opere laudato. — *Testatior.* Per monumenta notior atque firmior. — *In pila lapidea.* Infra, VI, plures fuisse ait pilas in quibus exsecratio esset incisa: « Pilæque illæ... in mare præcipitatæ. » — *Lacedæmonem demigravit.* Sic Plutarchus in Alcibiade, et Diod. Sic. XIII. Hoc item Polyænus refert pluribus verbis, I, Strateg.; Justinus, VI, 1. Migrationis causam exponit in ejus vita Malvezzus Italus, p. 183 seqq.

8. *Ut ipse prædicare consueverat.* Extat de hac re popularis concio apud Thucydidem, VI. Vide pariter apud Xenophontem, I, 10, popularem eadem de re excusationem et absolutionem. — *Non ad-*

(Page 69.)



Ex Museo Vaticani.



Ex Museo Neapolis.

C. Laguiche del. P. Audouin sculp.

ad cavendum. Itaque ad Tissaphernem[5], præfectum regis Darii, se contulit. Cujus quum in intimam amicitiam[6] pervenisset, et Atheniensium, male gestis in Sicilia rebus, opes senescere, contra Lacedæmoniorum crescere videret; initio cum Pisandro prætore, qui apud Samum exercitum habebat, per internuntios colloquitur, et de reditu suo facit mentionem. Erat enim eodem, quo Alcibiades, sensu, populi potentiæ non amicus, et optimatum fautor. Ab hoc destitutus[7], primum per Thrasybulum, Lycei filium, ab exercitu recipitur, prætorque fit apud Samum; post, suffragante Theramene, populiscito restituitur, parique absens imperio præficitur simul cum Thrasybulo et Theramene. Horum in imperio tanta commutatio rerum[8] facta est, ut Lacedæmonii, qui paulo ante victores viguerant, perterriti pacem peterent. Victi enim erant quinque præliis

5. *Ad Tissaphernem.* Hunc Tissaphern. in Asia citeriori satrapem a Lacedæm. alienavit, et ad Atheniens. partes traduxit. Vide Periz. ad Ælian., V. H. lib. IV, c. 15.

6. *Cujus quum in intimam amicitiam.* Morum scilicet eos conjunxit similitudo. Itaque, ut narrat Plutarch., statim Alcibiades apud eum fuit primus et maximus: nam quum Tissaphernes esset minime simplex, sed malitiosus et rerum improbarum amori deditus, mores Alcibiadis versatiles et varios et inæquabiles, et singularem ingenii solertiam admirabatur. LAMBIN. Alias intimæ hujus amicitiæ causas affert Justinus, VI, 5 et seqq. BOSIUS. — *Male gestis.* Vide Thucyd. VII, et VIII; Diodorum Siculum, XIII; Aristidem sophistam, oration. t. I, pag. 363 et seqq. De navium in Sicilia amissarum numero vide Perizon. ad Ælian. V. H. lib. V, cap. 10, etc. — *Cum Pisandro prætore.* Atheniensium scilicet.

7. *Ab hoc destitutus.* Hunc contra a Pisandro adjutum scribit Thucydides. Eodem tamen ex Thucydide colligitur, Alcibiadem postea a Pisandro fuisse destitutum, eoque invito ab Atheniensibus receptum ac rerum summæ præpositum. Thucydid. VIII. — *Thrasybulum.* Thrasybulus, de quo infra, dux Atheniensis, in exilium ejectus, Athenis comparato exercitu omnia restituit, exulesque, inter quos erat Alcibiades, plebiscito reduxit. Vid. Cicer. Philipp. I, et Valer. Max. IV, 1, ext. 4. — *Theramene.* Nobili Atheniensi, Agnonis filio. Vid. Thucyd. lib. VIII, cap. 68 et 69.

8. *Tanta commutatio rerum.* Quid et quantum Atheniensibus Alcibiadis reditus profuerit, multis verbis prosequitur Isocrates, orat. περὶ ζεύγους. Diodor. XIII, 68. — *Pacem*

terrestribus, tribus navalibus : in quibus ducentas naves triremes amiserant, quæ captæ in hostium venerant potestatem. Alcibiades simul cum collegis receperat Ioniam, Hellespontum, multas præterea urbes Græcas, quæ in ora sitæ sunt Asiæ, quarum expugnarant complures; in his Byzantium[9]. Neque minus multas consilio ad amicitiam adjunxerant, quod in captos clementia fuerant usi. Inde præda onusti[10], locupletato exercitu, maximis rebus gestis, Athenas venerunt.

VI. His quum obviam[1] universa civitas in Piræeum descendisset, tanta fuit omnium expectatio visendi Alcibiadis, ut ad ejus triremem vulgus conflueret, perinde ac si solus advenisset. Sic enim populo erat persuasum, et adversas superiores, et præsentes secundas res accidisse ejus opera. Itaque et Siciliæ amissum[2], et Lacedæmoniorum victorias culpæ suæ tribuebant, quod talem virum e civitate expulissent. Neque id sine causa arbitrari videbantur : nam postquam exercitui præesse cœperat, neque terra neque mari hostes pares esse potuerant. Hic ut navi egressus est, quanquam Theramenes et Thrasybulus eisdem rebus præfuerant, simulque venerant in Piræeum,

peterent. Post navalem pugnam ad Cyzicum pugnatam, in qua Mindarus, Lacedæmoniorum imperator, ab Alcibiade interfectus est, ut tradunt Xenoph. de rebus Græc.; Plutarchus in Alcib.; Polyæn. I, etc.

9. *In his Byzantium.* Hanc urbem proditione captam refert Xenoph., proditorumque nomina, libro I, recenset. Qua de re consentiunt Diodorus, XIII, 66, et Plutarchus. — *Consilio.* Quo consilio multas Alcibiades sibi urbes adjunxerit, vide Front. Strateg. II, 5, 44; III, 2, 6, et III, 9, 6. — *Clementia fuerunt usi.* Nam Byzantinis suam urbem reddiderunt, neque in eos sævierunt. Diodor. XIII, 67.

10. *Præda onusti.* Vide Diodor. XIII, 68.

Cap. VI. 1. *His quum obviam*, etc. Lege quæ de magnifico et glorioso Alcibiadis reditu scripta reliquerunt Xenophon, I, Rer Gr.; Justinus, V, 4, et Plutarchus in vita.

2. *Siciliæ amissum.* Ἅπαξ ῥηθέν. Est qui legit *admissum.* — *Id quod nunquam antea usu venerat*, etc. Priores non negat duces coronis fuisse honoratos, sed nulli præter Alcibiadem in ingressu fuisse a vulgo promiscue ingestas contendit.

tamen illum unum omnes prosequebantur; et, id quod nunquam antea usu venerat, nisi Olympiæ victoribus, coronis aureis æneisque vulgo donabatur. Ille lacrymans[3] talem benevolentiam civium suorum accipiebat, reminiscens pristini temporis acerbitatem. Postquam Astu venit, concione[4] advocata, sic verba fecit, ut nemo tam ferus fuerit, quin ejus casum lacrymarit, inimicumque his se ostenderit, quorum opera patria pulsus fuerat : proinde ac si alius populus, non ille ipse, qui tum flebat, eum sacrilegii damnasset. Restituta ergo huic sunt publice bona; iidemque illi Eumolpidæ sacerdotes rursus resacrare[5] sunt coacti, qui eum devoverant; pilæque illæ, in quibus devotio fuerat scripta, in mare præcipitatæ.

VII. Hæc Alcibiadi lætitia non nimis fuit diuturna[1]. Nam quum ei omnes essent honores decreti, totaque respublica domi bellique tradita[2], ut unius arbitrio gereretur; et

3. *Ille lacrymans*. Præ gaudio plerique volunt. Vossius autem, Theolog. gentil. III, 47, fletum in multis hujuscemodi exemplis potius ex prioris fortunæ aut miseriæ recordatione, quam gaudio ex præsenti felicitate obtingere animadvertit. Ita noster *pristini temporis acerbitatis* recordationi lacrymas Alcibiadis imputat. — *Reminiscens pristini temporis acerbitatem*. In Phocione, IV, cum genitivo : « Quum alii, reminiscentes veteris famæ, ætatis miserarentur. »

4. *Concione*. In qua pro se dicens, ostendit se nihil impie fecisse, et contra jura omnia e civitate fuisse ejectum. Vide Xenophon., I, de Reb. Græc. — *Proinde ac si alius populus*, etc. Similiter Tacitus, I, Hist. 45; ubi de Othone ad imperium evecto: *Alium crederes senatum, alium populum*, etc. Simile et popularis inconstantiæ exemplum in Cicerone habes olim expulso, et postea totius Italiæ humeris reportato. *L'histoire nous représente le peuple Athénien passant, avec la rapidité de l'éclair, de la fureur à la pitié, du découragement à l'insolence, de l'injustice au repentir; mobile sur-tout et frivole*, etc. Voyag. d'Anacharsis.

5. *Resacrare*. Al. *resecrare*. V. Festum, et Plaut. Pers. I, 1, 39; Aulul. IV, 7, 4. — *In quibus devotio fuerat scripta*. In quibus execratio fuerat inscripta. — *In mare præcipitatæ*. Non pilas, sententias vero et lites in mare præcipites actas, narrat Diodorus, XIII, 69.

Cap. VII. 1. *Non nimis fuit diuturna*. Vide Isocratis orationem ad Philippum.

2. *Totaque respublica domi belliquæ tradita*. Vide Plutarchum in Alcibiade, XXXIII: ᾑρέθη καὶ κατὰ γῆν

ipse postulasset, ut duo sibi collegæ darentur, Thrasybulus et Adimantus, neque id negatum esset; classe jam in Asiam profectus, quod apud Cymen minus ex sententia rem gesserat, in invidiam recidit. Nihil enim eum non efficere posse ducebant[3]. Ex quo fiebat, ut omnia minus prospere gesta ejus culpæ tribuerent; quum eum aut negligenter, aut malitiose[4] fecisse loquerentur. Sicut tum accidit: nam, corruptum a Rege[5] capere Cymen noluisse, arguebant. Itaque huic maxime putamus[6] malo fuisse ni-

ἅμα καὶ κατὰ θάλασσαν στρατηγὸς αὐτοκράτωρ. — *Et ipse postulasset*, etc. Scilicet ad declinandam procerum populique mobilis invidiam. —*Thrasybulus et Adimantus.* Aristocratem ei et Adimantum fuisse adjunctos tradit Xenoph., Hist. Gr. I, 4: cum nostro tamen consentit Diodorus, XIII, 69. Ducum nomina non profert Plutarchus in Alcibiad. Datos autem ei fuisse, quos ipse elegerat, refert.—*Minus ex sententia rem gesserat.* I. e. minus bene, quam voluisset, non ex voto, non feliciter. Absente tamen Alcibiade, qui vel Clazomeniis auxilio profectus erat (Diodor. XIII, 7), vel in Caria pecuniam colligebat, (Plutarch. 35), ejus navarchus, cui nomen Antiochus, contra mandatum, temere, nimisque cupide pugnam cum Lysandro commiserat, ac quindecim naves amiserat.— *In invidiam recidit.* Magis hic valet criminatio, teste Diodoro, conflata, quod Cymen, socii nominis urbem, aggressus esset; qua de re legatos questum miserant Cymæi. Quanquam id aperte pugnat cum iis, quæ noster subjicit. Xenoph. vero Alcib. ἀμέλειαν et ἀκράτειαν tanquam causas pugnæ infelicis ab Atheniensibus jactatas commemorat. Alias quoque criminationes prolatas fuisse indicant Diodorus, et Plutarchus præsertim, qui earum auctorem Thrasybulum refert.

3. *Nihil enim eum non efficere posse duc.* Ita fere Sall. Jug. LXXVI: *Sed rex nihil jam infectum Metello credens.*

4. *Negligenter, aut malitiose. Negligenter*, quippe qui Antiocho gubernatori, viro imprudenti ac vano, classem tradidisset. *Malitiose.* Ducis enim fraudi id tribuit Just. V, 5, « apud quem plus prior offensa valuisset, quam recentia beneficia. »

5. *A Rege.* A Dario, vel Cyro, ejus filio, qui tunc Ioniæ Lydiæque, in loco Tissaphernis, erat præpositus. Vide Justin. V, 5. Diodorus autem corruptum ait a satrape Pharnabazo, cujus amicitiam inimici ei crimini vertebant.—*Noluisse.* At socia fuit et fœderata civitas. Quod Bosius de arcano Atheniensium jussu explicat, nec ex aliis auctoribus evincitur, nec ipsa re probatur, quod in accusationis publicæ causis hoc etiam ponebatur. Tum repugnant aperte ea, quæ ex Diodoro notavimus; forte igitur, ait Tzschuck., legendum est *voluisse.*

6. *Huic maxime putamus*, etc. Al.

miam opinionem ingenii atque virtutis. Timebatur enim non minus, quam diligebatur: ne[7], secunda fortuna, magnisque opibus elatus, tyrannidem concupisceret. Quibus rebus factum est, ut absenti magistratum abrogarent, et alium[8] in ejus locum substituerent. Id ille ut audivit, domum reverti noluit, et se Pactyen contulit, ibique tria castella communivit, Bornos, Bisanthen, Neontichos; manuque collecta[9] primus Græciæ civitatis in Thraciam introiit, gloriosius existimans, barbarorum præda locupletari, quam Graiorum. Qua ex re creverat quum fama, tum opibus, magnamque amicitiam sibi cum quibusdam regibus[10] Thraciæ pepererat.

VIII. Neque tamen a caritate patriæ potuit recedere. Nam quum apud Ægos flumen[1] Philocles, prætor Atheniensium, classem constituisset suam, neque longe abesset Lysander, prætor Lacedæmoniorum, qui in eo erat occupatus, ut bellum quam diutissime duceret, quod ipsis pecunia a rege suppeditabatur; contra Atheniensibus exhaustis, præter arma et naves, nihil erat super : Alcibiades

imputamus. I.e., arbitramur nimiam expectationem, quam de peritia ejus et fortitudine Athenienses conceperant, Alcibiadi malo fuisse.

7. *Ne*. Pendet a *timebatur*. *Tyrannidem concupisceret*. Hoc ambiguum fuisse ait Plutarchus.

8. *Et alium*. Imo decem alios, quorum nomina commemorant Xenophon, Hist. Gr. I, et Diodorus, XIII. Cononem Alcibiadi suffectum ait Justin. V, 6.

9. *Manuque collecta*. Ita Plutarchus: συναγαγὼν ξένους, ἐπολέμει τοῖς ἀβασιλεύτοις Θρᾳξὶν ἰδίᾳ. — *Graiorum*, pro Græcorum, nec alii auctores vel in prosa oratione respuunt. TZSCHUCK.

10. *Cum quibusdam regibus*. Quos Diodorus, XIV, 94, Medocum et Seuthen vocat.

CAP. VIII. 1. *Ægos flumen*. Vid. in Lysandro, I.—*Neque longe abesset Lysander*. Erat enim Lampsaci, quod paulo ante ceperat. Lampsacus autem distat ab Hellesponto, ut ait Xenophon, stadia circiter XV; ubi erat Alcibiades. LAMBIN.— *Ut bellum quam diutissime duceret*. Protraheret, proferret. *Ducere* enim sæpius a Cæsare imprimis et Cicerone pro *moras nectere* usurpatur.— *A rege*. Cyro, Darii filio, qui Lysandro mille Daricos miserat. Jussus deinceps a patre Cyrus Lacedæmoniis necessarios sumptus suppeditare. Vide Diod. XIII, 70; Plut. Pausan. IX, 32. — *Nihil erat su-*

ad exercitum venit Atheniensium, ibique, præsente vulgo, agere cœpit : « si vellent, se coacturum Lysandrum aut dimicare, aut pacem petere : Lacedæmonios eo nolle confligere classe, quod pedestribus copiis plus, quam navibus, valerent: sibi autem esse facile Seuthen, regem Thracum, deducere, ut eos terra depelleret; quo facto, necessario aut classe conflicturos, aut bellum compositoros. Id etsi vere dictum Philocles[2] animadvertebat, tamen postulata facere noluit; quod sentiebat se, Alcibiade recepto, nullius momenti apud exercitum futurum; et, si quid secundi evenisset, nullam in ea re suam partem fore; contra ea, si quid adversi accidisset, se unum ejus delicti futurum reum. Ab hoc discedens Alcibiades: « Quoniam, inquit, victoriæ patriæ repugnas, illud moneo, juxta hostes castra habeas nautica[3]. Periculum est enim, ne immodestia militum nostrorum occasio detur Lysandro nostri opprimendi exercitus. » Neque ea res illum fefellit. Nam Lysander, quum per speculatores[4] comperisset, vulgum Athenien-

per. Anastrophe, pro nihil supererat. — *Præsente vulgo.* Scil. coram militibus. — *Agere cœpit.* Tractare, loqui de negotio bellico. — *Se coacturum Lysandrum.* Supple *aiebat.* Paulo aliter Plutarch. et Diodor. — *Bellum composituros.* Id est, finituros. Ita loquitur in Hamilcare, I et Hannibale, VI. Ita quoque Sall. Jug. CIII, « Et quocumque modo belli componendi licentiam permittit. »

2. *Philocles.* Tanquam præcipuus, certe quod illo die imperium classis habuit (Diodor. XIII 106), nominatur, quum et alii fuerint prætores Tydæus et Menander, quos etiam Alcibiadem abire jussisse scribunt Xenophon in Hist. Gr. II, 1, 26; et Plutarchus, cap. 37. Tzs. — *Momenti.* Auctoritate scilicet amissa, se præ illo parvi futurum sentiebat. — *Nullam in ea re suam partem fore.* Se laudis nequaquam participem futurum. Hic Philocles, a Lysandro in urbem Lampsaci abductus, jugulatus est, et quidem, ut Pausanias et Plutarchus referunt, cum tribus vel quatuor millibus captivorum Atheniensium.

3. *Castra.... nautica.* Navium scil. stationes. Falso nonnulli *castra* explicant de præsidiis in proximo littore collocatis, quæ inde naves ipsas tutarentur. Naves enim erant in portu, milites egressi per agros dispalabantur. Vide in Lysandro, I. — *Ne immodestia militum.* Quod, ut prædixerat, factum. Vide Lysandrum, I, atque ibi laudatos.

4. *Per speculatores.* Paulo aliter

sium in terram prædatum exisse, navesque pene inanes relictas, tempus rei gerendæ non dimisit, eoque impetu totum bellum delevit.

IX. At Alcibiades, victis Atheniensibus, non satis tuta eadem loca sibi arbitratus, penitus in Thraciam se supra Propontidem abdidit[1], sperans ibi facillime suam fortunam occuli posse : falso. Nam Thraces, postquam eum cum magna pecunia venisse senserunt, insidias ei fecerunt : qui ea, quæ apportarat, abstulerunt, ipsum capere non potuerunt. Ille cernens, nullum locum sibi tutum in Græcia propter potentiam Lacedæmoniorum[2], ad Pharnabazum in Asiam transiit. Quem quidem adeo sua cepit humanitate[3], ut eum nemo in amicitia antecederet. Namque ei Grunium dederat, in Phrygia castrum, ex quo quinquagena talenta vectigalis capiebat. Qua fortuna Alcibiades non erat contentus, neque Athenas victas Lacedæmoniis servire poterat pati. Itaque ad patriam liberandam omni ferebatur cogitatione. Sed videbat id sine rege[4] Persarum

Xenophon, II; Diodorus, XIII, 71, et Polyænus, I. Bosius. — *Vulgum Atheniensium.* Gregarios milites. Ita in Homero dicitur λαός. — *Prædatum exisse.* Commeatus conquirendi causa, in terram descendisse. — *Eoque impetu totum bellum delevit.* Eaque repentina aggressione bellum penitus confecit, plerisque navibus captis, multis etiam militibus vel captis vel occisis. Cf. Plut. 37.

Cap. IX. 1. *Penitus in Thraciam se supra Propontidem abdidit.* Alcibiadem in Bithyniam profugisse, ibique a Thracibus fuisse spoliatum tradit Plutarchus. Quod non prorsus a Nepotis mente alienum est. Nam et Thraces Bithyniæ partem incolebant, atque ipsi Thraces Bithyni dicti, postquam in Asiam transfretassent. Unde Claudianus, in Eutrop. II, 247 :

Thyni Thraces erant, quæ nunc Bithynia fertur.

Adde Plin. I, 31. — *Suam fortunam.* Opes scilicet.

2. *Propter potentiam Lacedæmoniorum.* Qui, devictis Atheniensibus, et terræ et maris imperium obtinebant. — *In Asiam.* Nempe in Phrygiam, in qua tum, Plutarcho teste, erat Pharnabazus, quo adjutore et interprete sperabat fore, ut sibi ad Artaxerxem pateret aditus.

3. *Adeo sua cepit humanitate.* Seu potius singulari quadam vi in animis sibi conciliandis ; de qua plura Malvezzus, p. 242, et seqq.

4. *Rege Persarum.* Artaxerxe Mnemone, qui, Cyro fratre victo, Dario patri successerat. Tzschucke.

non posse fieri ; ideoque eum amicum sibi cupiebat adjungi. Neque dubitabat facile se consecuturum, si modo ejus conveniendi habuisset potestatem. Nam Cyrum[5] fratrem ei bellum clam parare, Lacedæmoniis adjuvantibus, sciebat : id si ei aperuisset, magnam se ab eo initurum gratiam videbat.

X. Hæc quum moliretur, peteretque a Pharnabazo ut ad regem mitteretur ; eodem tempore Critias[1] ceterique tyranni Atheniensium certos homines ad Lysandrum in Asiam miserunt, qui eum certiorem facerent, nisi Alcibiadem sustulisset, nihil earum rerum fore ratum, quas ipse Athenis constituisset : quare, si suas res gestas manere vellet, illum persequeretur. His Laco[2] rebus commotus statuit, accuratius sibi agendum cum Pharnabazo. Huic ergo renuntiat, quæ regi cum Lacedæmoniis essent, irrita futura, nisi Alcibiadem vivum aut mortuum tradidisset. Non tulit[3] hoc satrapes, et violare clementiam, quam regis opes minui, maluit. Itaque misit Sysamithren et Bagoam[4] ad Alcibiadem interficiendum, quum ille esset in Phrygia, iterque ad regem compararet. Missi clam vicinitati[5], in qua tum Alcibiades erat, dant negotium, ut

5. *Cyrum*. Artaxerxis fratrem, cui Darius « civitates, quarum præfectus erat, testamento legavit. » Vide Just. V, 11. — *Ab eo initurum gratiam*. Se valde Artaxerxem demeriturum.

Cap. X. 1. *Critias*. Triginta tyrannorum immanissimus. Vide Cicer. Tus. quæst. I, 96. — *Certos homines*. Plutarchus tradit, non ante adductum esse Lysandrum, ut Alcibiadem de medio tollendum curaret, quam id nominatim ab ephoris ei mandatus esset. Lambin.

2. *Laco*. Lacedæmonius Lysander. Ita, apud Sallust., *Numida* pro Jugurtha, *Maurus* pro Boccho usurpatur.

3. *Non tulit*. Nempe cessit territus. Tzs. — *Clementiam*. Respicit hospitii tutelam, fidemque datam exuli.

4. *Itaque misit Sysamithren et Bagoam*. Sysamithren Pharnabazi patruum vocat Plutarch. Bagoam vero non tam nomen esse proprium, quam commune, putant, quo Persæ eunuchum vocabant. Alii Bagæum.

5. *Vicinitati*. Hanc *vicinitatem* Melissam urbem scribit Athenæus, XIII, 12. Urbis nomen esse *vicinitatem* absurde quidam volunt. *Vicin.* h. e. iis qui in *vicinitate* habitabant.

eum interficiant. Illi, quum eum ferro aggredi non auderent, noctu ligna contulerunt circa casam eam, in qua quiescebat, eamque succenderunt; ut incendio conficerent, quem manu superari posse diffidebant [6]. Ille autem, ut sonitu flammæ [7] est excitatus, quod gladius ei erat subductus, familiaris sui subalare telum eripuit. Namque erat cum eo quidam ex Arcadia hospes, qui nunquam discedere voluerat. [8] Hunc sequi se jubet, et id, quod in præsentia vestimentorum fuit, arripuit. His in ignem ejectis [9], flammæ vim transiit. Quem ut barbari incendium effugisse eminus viderunt, telis missis [10] interfecerunt, caputque ejus ad Pharnabazum retulerunt. At [11] mulier, quæ cum eo vivere consuerat, muliebri sua veste contectum, ædificii incendio mortuum cremavit, quod ad vivum interimendum erat comparatum. Sic Alcibiades, annos circiter quadraginta [12] natus, diem obiit supremum.

6. *Quem manu superari posse diffidebant.* Nam, ut Plutarchus refert, barbaros suo conspectu dissipabat, neque quisquam præstolabatur eum, vel cominus congredi audebat. Bosius.

7. *Sonitu flammæ.* Strepitu. Ita Curt. VI, 17: *Sonabant* incendio silvæ. — *Subalare telum.* Sicam seu pugionem, ita dictum, quia ejus erat brevitatis, ut *sub alis* gestari posset.

8. *Qui nunquam discedere voluerat.* Hinc *familiaris*, qui cum eo erat, qui sponte ipsi serviebat, non servus dicitur.

9. *His in ignem ejectis.* Quorum pondere flammæ vim obrueret.

10. *Telis missis interfecerunt.* Vid. Plutarch. et Diodor. Justinus vero et Orosius vivum Alcibiadem in cubiculo, in quo dormiebat, crematum aiunt. Aristoteles contra de natura animalium, VI, 29, in Elapho, Asiæ monte, eum occubuisse memorat. — *Caputque ejus ad Pharnabazum retulerunt.* Ita apud Sallustium, Jug. XII: «Numidæ caput Hiempsalis ad Jugurtham referunt.» Etenim in cædibus injunctis, capita referebantur, sceleris monumentum et fides; aliquando, ad gratiam præmiumve consequendum. Vide Curtium ac Tacitum, passim, et plures alios.

11. *At mulier.* Hanc Plutarchus Timandram vocat, et Laïdis Corinthiæ matrem fuisse refert. Theodotam vocant alii. — *Mortuum cremavit.* More Græcorum, de quo Kirchm., de Funer. Rom. I, 2, et Lil. Girald., de vario sepel. ritu, cap. XXI, cum notis J. Faes.

12. *Annos circiter quadraginta natus.* Alii, quinque et quadraginta.

XI. Hunc, infamatum a plerisque[1], tres gravissimi historici summis laudibus extulerunt: Thucydides, qui ejusdem ætatis fuit; Theopompus, qui fuit post aliquanto natus; et Timæus: qui quidem duo maledicentissimi, nescio quo modo, in illo uno laudando consenserunt. Nam ea, quæ supra diximus, de eo prædicarunt, atque hoc amplius, quum Athenis, splendidissima civitate, natus esset, omnes Athenienses splendore ac dignitate vitæ superasse; postquam inde expulsus Thebas venerit, adeo studiis eorum inservisse, ut nemo eum labore corporisque viribus posset æquiparare. Omnes enim Bœotii magis firmitati corporis, quam ingenii acumini, inserviunt[2]. Eumdem apud Lacedæmonios, quorum moribus summa virtus in patientia ponebatur[3], sic duritiæ se dedisse, ut parci-

Cap. XI. 1. *Hunc infamatum a plerisque.* Ab Eupoli et Pherecrate poetis; inter oratores, ab Antiphone, qui librum scripsit contumeliæ adversus eum, ut testatur Athenæus, XII, 4; et a Lysia, qui orationem, teste eodem Athenæo, XIII, 4, adversus eum composuit. — *Thucydides.* Belli peloponnesiaci descriptione celeberrimus. Vide supra in *Themistocle*, atque has ipsas notas. — *Theopompus.* Chius, qui Philippi, Alexandri, horumque successorum ætate floruit. Hujus scripta desiderantur. — *Timæus.* Siculus, qui scripsit Pyrrhi et Tarentini belli tempore, et a maledicentia sua Epitimæus, id est, objurgator dictus est. Vide Plutarch. in Nicia. Desiderantur quoque Timæi historiæ. — *Duo maledicentissimi.* Theopompum autem non maledicum, veritatis tantummodo studiosum ostendit Vossius, de hist. græc.; hocque veritatis studium sæpe ei diversa ab aliis de viris illustribus testimonia quasi extorsit.

2. *Magis firmitati corporis, quam ingenii acumini, inserviunt.* Plus operæ impendunt in acquirendo confirmandoque corporis robore, quam in excolendo ingenio. Hinc Bœotios aliqui παρὰ τοὺς βόας denominatos volunt. Cic. de Fato, IV: « Athenis tenue cœlum, ex quo acutiores etiam censentur Attici: crassum Thebis; itaque pingues Thebani et valentes ». Vide nostrum Epamin. c. V. Athenienses enim ingenio, Spartani Thebanique corpori exercendo majorem dabant operam. Romæ autem *Ingenium nemo sine corpore exercebat*, ut ait Sallust., Catil. VIII.

3. *Ponebatur.* Recte, non vero *ponitur;* quippe Nep. ætate, multoque ante, dura Lycurgi instituta in desuetudinem abierant. Lege Plut. in Lycurgi vita. — *Sic duritiæ*, etc. Id est, vitam adeo austeram duxisse.

monia victus atque cultus omnes Lacedæmonios vinceret. Fuisse apud Thracas, homines vinolentos[4], rebusque venereis deditos: hos quoque in his rebus antecessisse. Venisse ad Persas, apud quos summa laus esset fortiter venari, luxuriose vivere : horum sic imitatum consuetudinem, ut illi ipsi eum in his maxime admirarentur. Quibus rebus effecisse, ut, apud quoscunque esset, princeps poneretur[5], habereturque carissimus. Sed satis de hoc: reliquos ordiamur. *

4. *Thracas, homines vinolentos.* Quos Græci, sicut et Scythas, ἀκρατοποτάς vocarunt.

5. *Princeps poneretur*, etc. Sic et imitator : *Chez tous les peuples il s'attira les regards, et maîtrisa l'opinion publique. Les Spartiates furent étonnés de sa frugalité; les Thraces, de son intempérance; les Béotiens, de son amour pour les exercices les plus violents; les Ioniens, de son goût pour la paresse et la volupté; les satrapes de l'Asie, d'un luxe qu'ils ne pouvaient égaler. Il se fût montré le plus vertueux des hommes, s'il n'avait jamais eu l'exemple du vice; mais le vice l'entraînait sans l'asservir.* Barthélemy, l. c. *Le caractère d'Alcibiade n'est pas rare en France.* Duclos, *Considération sur les mœurs.*

* Alcibiadem memoravere Plut. in vita; Diodor. XII et XIII; Thucydides, V et VI; Xenophon, Hist. Græc. I, et alibi; Polyænus, I; Ælianus, Var. Hist. XI, 7; XIII, 33; Isocrates, oratione de Bigis; Athenæus, XII; Plato; Suidas; Justinus, IV et V; Valer. Max. I, 7, ext. 9; III, 1, ext. 1; VI, 9, ext. 4; Frontinus, II, 5, 44 et 45; II, 7, 6; III, 2, 6; III, 6, 6; III, 9, 6; III, 11, 3; III, 12, 1; Cic. aliquoties. Boecl. Ejus vitam et res gestas politica commentatione illustravit italico sermone Virgilius Malvezzus. Bosius. Adde *Montaigne* passim; *Rollin, Hist. anc.*, l. VIII, c. 1 et 2; et IX, ch. 1; *Barthélemy, Voyage d'Anach.*; *Alcibiade, trag. de Campistron; l'Alcibiade de Vieland.*; *de Pauw, Rech. sur les Grecs; Mably*, passim; etc.



VIII.

THRASYBULUS.

ARGUMENTUM.

Cap. I; Thrasybulus, virtute clarus, patriam a triginta tyrannis liberat. — II; Phylen confugit; Munychiam occupat; parcit civibus. — III; Pace facta, legem fert oblivionis. — IV; Corona olivæ, non aliter ac Pittacus agello modico, contentus fuit. Ad Ciliciam a barbaris interficitur.

Thrasybulus, Lyci filius, Atheniensis. Si per[1] se virtus sine fortuna ponderanda sit, dubito, an hunc primum omnium ponam. Illi sine dubio neminem præfero fide, constantia, magnitudine animi, in patriam amore[2]. Nam quod multi voluerunt, pauci potuerunt, ab uno tyranno patriam liberare; huic contigit, ut a triginta oppressam tyrannis ex servitute in libertatem vindicaret. Sed, nescio quo modo[3], quum eum nemo anteiret his virtutibus, multi nobilitate præcucurrerunt. Primum Peloponnesio bello, multa hic sine Alcibiade[4] gessit; ille

Cap. I. 1. *Per se.* Seorsim, sola. — *Dubito, an ponam.* Eleganter, pro dubito, an non ponam, existimem.

2. *In patriam amore.* Unde φιλόπολις et φιλόπατρις de se audiit.

3. *Sed, nescio quomodo.* Hac locutione in primis gaudet noster. Vide VII, 11. — *Nobilitate præcucurrerunt.* Fama, gloria superarunt. *Præcucurrerunt* autem, translatio a cursu in stadio certantibus.

4. *Multa hic sine Alcibiade*, etc. Quæ Xenophon, I de rebus gr., et Diodorus, XIII, narrant. *Sine Alci-*

nullam rem sine hoc : quæ ille universa naturali quodam bono fecit lucri. Sed illa tamen omnia communia imperatoribus cum militibus et fortuna : quod in prœlii concursu abit res a consilio ad vires [5], vimque pugnantium. Itaque jure suo [6] nonnulla ab imperatore miles, plurima vero fortuna vindicat, seque hic plus valuisse, quam ducis prudentiam, vere potest prædicare. Quare illud magnificentissimum factum proprium est Thrasybuli [7]. Nam quum triginta tyranni, præpositi a Lacedæmoniis, servitute oppressas tenerent Athenas, plurimos cives [8], quibus in bello

biade. Tunc in exilio versanti. Notanda quoque elegantia locutionis, qua usi sunt Cicero, pro Murena, IX : « Maximo in bello sic est versatus, ut hic multas res et magnas sine imperatore gesserit, nullam sine hoc imperator; » Curtius, de Parmenione, VII, 8 : « Multa sine rege prospere, rex sine illo nihil magnæ rei gesserat; » Sidonius Apollin., Paneg. ad Avitum : « Nil sine te gessit, quum plurima tu sine illo. » — *Quæ ille universa naturali quodam bono fecit lucri*. Alcibiades autem, optima quadam natura, ex omnibus Thrasybuli gestis non mediocrem sibi gloriam comparavit.

5. *Quod in prœlii concursu abit res a consilio ad vires*. Quod, ubi ad manus ventum est, ducis consiliorum exitus ex militum viribus animisque pendet.

6. *Jure suo*. Eleganter pro merito. Vide Ciceronem infra. — *Nonnulla ab imperatore miles, plurima vero fortuna vindicat*. Ita fere Cicero pro Marcello, II : « Certe in armis, militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus, multum juvant ; maximam vero partem quasi suo jure fortuna sibi vindicat, et quidquid est prospere gestum, id pene omne ducit suum. » Quem locum a nostro Schottus expressum censebat. Ita, apud nos, *Mascaron, Orais. fun. de Turenne, deuxième partie : Conquérir l'Alsace, prendre Brisach, se rendre maître de ce fameux passage du Rhin, ce serait l'effet d'une valeur héroïque, mais dont les soldats, la fortune, qui veut avoir sa part dans tous les grands événements, partageraient la gloire avec M. de Turenne. Mais vaincre ses desirs, vaincre la force de l'occasion, renoncer à Brisach et à l'Alsace, c'est une victoire que M. de Turenne remporte seul, et dont il ne partage la gloire avec personne.* Quæ certe ex alterutro desumpta credam. — *Seque hic plus valuisse*, etc. Seque victoriæ magis, quam imperatoris consilium contulisse, non falso potest gloriari.

7. *Proprium est Thrasybuli*. Ipsi uni tribuendum est.

8. *Plurimos cives*. Mille quingentos amplius, et quidem indicta caussa, teste Æschine contra Ctesiph.

pepercerat fortuna, partim patria expulissent, partim interfecissent, plurimorum bona publicata inter se divisissent; non solum princeps, sed et solus initio, bellum his indixit.

II. Hic enim quum Phylen confugisset, quod est castellum in Attica munitissimum, non plus habuit secum, quam triginta[1] de suis. Hoc initium fuit salutis Atticorum; hoc robur libertatis clarissimæ civitatis. Neque vero hic non contemptus est[2] primo a tyrannis, atque ejus solitudo. Quæ quidem res et illis contemnentibus perniciei; et huic despecto saluti fuit. Hæc enim illos ad persequendum segnes, hos[3] autem, tempore ad comparandum dato, fecit robustiores. Quo magis præceptum illud omnium in animis esse debet, « Nihil in bello oportere contemni[4]; » nec sine causa dici, « Matrem timidi flere non solere. » Neque tamen pro opinione[5] Thrasybuli auctæ sunt opes. Nam

— *Partim patria expulissent*. In quibus et ipse Thrasybulus ob opes excidit patria. Vide scholiast. in Arist. Plutum, v. 50. — *Princeps*. Primus, ut in Alcibiade, II. — *Bellum his indixit*. Vide Xenophon. II; Diod. XIV, 32; Valer. Maxim. V, 6, ext. 2; Justin. V, 9, et ex eo Oros. II, 17. Savaro.

Cap. II. 1. *Triginta*. Circiter septuaginta fuisse tradit Xenoph.

2. *Neque vero hic non contemptus est*. Ellipsis, pro neque vero hic tantum contemptus est, sed etiam multo magis ejus solitudo, paucitas scilicet eorum, qui Thrasybulum nova molientem secuti fuerant.

3. *Hos*. Thrasybul. scil. et socios. — *Tempore ad comparandum dato*. Ita Liv. XXXV, 44: « Ut Romani tempus ad comparandum habeant. » Idem XXXVIII, 12; XLII, 52.

4. *Nihil in bello oportere contemni*. Quod pariter docent Phæd. II, 14:

Magnus tenuem despicere noli.

et optimus *Lafontaine* in fabulis, II, 9, *le Lion et le Moucheron*. — *Timidi*. Canti scilicet, providi, qui nihil temere audet, nec imprudens se periculo objicit. De hoc adagio vide Erasmum, *Timidi mater non flet*.

5. *Pro opinione*. Ut ipse speraverat. — *Opes*. Tradit tamen Diodorus, XIV, 33, brevi tempore mille et ducentos convenisse; hisque copiis eductis, Thrasybulum mane inopinato in triginta tyrannorum castra irrupisse, multisque eorum interfectis, illos Athenas se recipere coegisse. Imo Xenophon in hist. gr. II, 4, seqq., septingentos fuisse narrat, qui mox ad mille accreverint. Major huic sane fides.

jam tum illis temporibus[6] fortius boni pro libertate loquebantur, quam pugnabant. Hinc in Piræeum[7] transiit, Munychiamque munivit. Hanc bis tyranni oppugnare sunt adorti; ab eaque turpiter repulsi, protinus in urbem, armis impedimentisque amissis, refugerunt. Usus est Thrasybulus non minus prudentia[8], quam fortitudine. Nam cedentes violari vetuit[9]: cives enim civibus parcere æquum censebat. Neque quisquam est vulneratus, nisi qui prior impugnare[10] voluit. Neminem jacentem veste spoliavit[11]: nil attigit, nisi arma, quorum indigebat, et quæ ad victum pertinebant. In secundo prœlio cecidit Critias[12], dux tyrannorum, quum quidem exadversus Thrasybulum fortissime pugnaret.

III. Hoc dejecto[1], Pausanias venit Atticis auxilio, rex

6. *Nam jam tum illis temporibus.* Carpit sui temporis ignaviam in bellis civilibus. Tzs. — *Fortius boni pro libertate loquebantur, quam pugnabant.* Liv. XXXI, 44 : « Athenienses litteris verbisque, quibus solis valent, bellum adversus Philippum gerebant. »

7. *Hinc in Piræeum.* Sic Diodor. XIV, 33. Nisi quod tradit hoc factum esse post irruptionem illam matutinam in castra adversariorum, quam modo retulimus.

8. *Non minus prudentia.* Nihilominus Conon Thrasybulum a nomine *temerarium* in capiendis consiliis appellabat, ut ait Aristoteles Rhet. II, 23, ὡς Κόνων Θρασύβουλον θρασύβουλον ἐκάλει. Hoc vero nomen, ad quod allusit Conon, a patre sine dubio acceperat Thrasybulus. Hujus τόλμαν καὶ ἀρετὴν laudavit Pelopidas, apud Plut. Has vero dotes invidia temeritatem vocavit. Ab Orosio, II, 17, vocatur *vir strenuus et generis nobilitate inter suos clarus, qui auctor audendi pro patria fuit.*

9. *Cedentes violari vetuit.* I. e. Non resistentibus vim inferri prohibuit.

10. *Impugnare.* Alteri ictum inferre. « Sceleratos cives timore ab *impugnanda* patria deterrere. » Ita Cicero, ad Brut. ep. XV.

11. *Neminem jacentem veste spoliavit.* Id est, spoliandum censuit; ea scilicet mente, ut se tantum adversus improbos et armatos pugnare ostenderet; insuper, quod turpe, fortique duce indignum est ex mortuis lucrum captare. Vide Aristotelem, Rhet. II. *Jacentem* hic proprie de interfecto dicitur.

12. *Cecidit Critias. Cecidit* proprie de interfectis in prælio usurpatur. Hoc quoque in bello cecidit tyrannus Hippomachus. Xenoph. II, de reb. Græcis. Teste vero Justino, V, 9, Hippolochus et Critias, tyrannorum sævissimi, occubuere.

Cap. III. 1. *Hoc dejecto.* Critia

Lacedæmoniorum. Is inter Thrasybulum, et eos, qui urbem tenebant, fecit pacem[2] his conditionibus : ne qui, præter triginta tyrannos, et decem, qui postea prætores creati, superioris more crudelitatis erant usi, afficerentur exilio, neve bona publicarentur; reipublicæ procuratio populo redderetur. Præclarum hoc quoque Thrasybuli, quod, reconciliata pace, quum plurimum in civitate posset, legem tulit[3], ne quis anteactarum rerum accusaretur, neve multaretur : eamque illi legem oblivionis appellarunt. Neque vero hanc tantum ferendam curavit; sed etiam, ut valeret, effecit. Nam quum quidam ex his, qui simul cum eo in exilio fuerant, cædem facere eorum[4] vellent, cum quibus in gratiam reditum erat; publice prohibuit, et id quod pollicitus erat, præstitit.

IV. Huic, pro tantis meritis, honoris corona[1] a populo

scilicet mactato. *Dejicere* enim verbum in sacrificiis aut venatione de bestiis et feris usurpatum. Eodem sensu Justinus, V, 10 : « Tyranni, ut pacis victimæ, trucidantur. »

2. *Fecit pacem.* Non *misericordia*, ut Justinus ait, V, 10, sed simul quod Lysandro (qui paulo ante Lacedæmone tyrannis auxilio venerat) invideret; simul etiam, quod Spartam male apud Græcos audire intelligeret. Diodor. XIV. Adde Xenophontem, Hist. gr. II. Bosius. — *Et decem, qui postea prætores creati.* Id est, et decemviri qui, triginta tyrannis ejectis, reipublicæ ordinandæ causa fuerant ab Atheniensibus creati. Justin. V, 10. Ne pro decemviris habeas antea in Piræo constitutis. — *Superioris more crudelitatis erant usi.* Id est, qui triginta tyrannorum crudelitatem æmulati fuerant. Vide Just. V, 10. — *Publicarentur.* Neve bonorum pretium ad publicum ærarium conferretur. — *Reipublicæ procuratio populo redderetur.* Nempe, democratia, ut antea, restitueretur.

3. *Legem tulit*, etc. Quod præclarum Thrasybuli factum omnes fere auctores laudibus celebravere. Eximiæ Thrasybuli agendi rationis æmulatorem se præstitit quicumque optavit pacem et gloriam. — *Legem oblivionis.* Valer. Max. IV, 1, ext. 4 : « Hæc oblivio, quam Athenienses ἀμνηστίαν vocant. » — *Ut valeret.* Ut servaretur, ac vigeret.

4. *Cædem facere eorum*, etc. Hoc quum impune facerent post Antalcidæ pacem aliquot Græciæ civitates, multis ac magnis tumultibus ac periculis se implicuerunt. Diodorus, XV, 5. Gebh. — *Publice prohibuit.* An nova lege, Archino rogante lata, de qua, ex Isocrate, Petitus?

Cap. IV. 1. *Honoris corona.* Hac donabatur quisquis de republica

data est, facta duabus virgulis oleaginis : quæ, quod amor civium, non vis expresserat, nullam habuit invidiam, magnaque fuit gloria. Bene ergo Pittacus ille[2], qui septem sapientum numero est habitus, quum ei Mitylenæi multa millia jugerum agri muneri darent, « Nolite, oro vos, inquit, id mihi dare, quod multi invideant, plures etiam concupiscant : quare ex istis nolo amplius, quam centum jugera, quæ et meam animi æquitatem, et vestram voluntatem indicent. Nam parva munera, diutina; locuplétia, non propria esse consueverunt[3]. » Illa igitur corona contentus Thrasybulus, neque amplius requisivit, neque quemquam honore se antecessisse existimavit. Hic, sequenti tempore, quum prætor classem ad Ciliciam appulisset, neque satis diligenter in castris ejus agerentur vigiliæ, a[4] bar-

bene meritus erat, in magna populi frequentia, adjuncto præconis elogio. CASAUBON. — *Facta duabus virgulis oleaginis.* Quod etiam in usu fuit apud Romanos, coronas antequam e floribus texere didicissent. Unde Virgil. Æneid. VII, v. 153:

Centum oratores augusta ad mœnia regis
Ire jubet, ramis velatos Palladis omnes.

Quia vel qui pacem poscebant, vel qui pacis auctores erant, dicatæ Palladi olivæ frondibus coronabantur. — *Quod amor civium, non vis expresserat.* Videtur autem et hic Nepos Cæsarem perstringere, cui non amor civium, sed vis et metus tot honores peperit. BOSIUS.


2. *Pittacus ille.* Philosophus Mitylenæus, de quo vide Diogenem Laertium in ejus vita. COURTIN. — *Septem sapientum.* Qui fuerant apud Græcos Solon, Pittacus, Bias, Thales, Cleobulus, Myson et Chilon. De quatuor primis omnes consentiunt. Quidam autem, trium novissimorum loco, Periandrum, Anacharsidem Epimenidemque ponunt. — *Quum ei Mitylenæi,* etc. Rem varie narrant Diog. Laert. I, 75, in Pittaco; Plutarchus, Præcept. Polit. et Valer. Max. VI, 5, ext. 1. — *Animi æquitatem.* Animum parvo contentum. — *Voluntatem.* Benevolentiam.

3. *Locupletia, non propria esse consueverunt.* Opulenta, non diutina esse solent; ob invidiam nihil solidæ possessionis habent. *Plura timenda sunt divitibus*, Phædrus, fab. I, 11. Sallust. Catil. VI: *Invidia ex opulentia orta est.*

4. *A barbaris.* Ab Aspendiis, ut e Xenophont. IV, 8, 30, et Diodor. XIV, 99, constat; qui propter agrorum suorum devastationem in eum infensi, noctu, urbe sua erumpentes, trucidarunt. Sepultus est Athenis in Ceramico extra oppidum, ut e Pausania, libr. I, docet Meursius in Ceramico gemino, cap. XXI.

baris, ex oppido noctu eruptione facta, in tabernaculo interfectus est. *

* De Thrasybulo vide Diodor. XIII et XIV; Xenophon. Hist. gr. I et II; Thucydidem, VIII; Plutarchum in Alcibiade, Lysandro, Pelopida, Politicis; Clem. Alexand. Stromat. I; Pausaniam, Atticis; Justin. V, 9 et 10; Valer. Max. IV, 1, ext. 4; V, 6, ext. 2; Ciceronem, ep. ad Attic. VIII, 3; Orosium, II, 17. Boecler. Adde Andocidem, orat. de mysteriis; Æschinem, oratio contra Ctesiphont.; Ciceronem, apud Dionem Cassium, XLIV; et scholiastem Aristophanis ad Plutum, l. c. Inter recentiores, Boecler, in dissertatione de amnestia, olim cum Velleio edita, etc. Ejus penes me, ait Bosius, nummus, in cujus uno latere caput imberbe, et ΘΡΑΣΥΒΟΥΛΟΣ; in altero, inter capram et supervolantem in capite ciconiam, ΤΗ ΑΡΕΤΗ. De Thrasybulo adde in primis apud nos *Rollin*, *Histoire Ancienne* liv. IX, chap. 1; *Barthélemy*, *Voyage d'Anacharsis*, etc.



IX.

CONON.

ARGUMENTUM.

Cap. I; Peloponnesio bello bene de republica meretur Conon. — II; Afflictis patriæ rebus, Pharnabazo contra Spartanos usui fuit. — III; Tissaphernem accusaturus, per litteras agit cum Artaxerxe. — IV; Spartanos vincit apud Cnidum. Græcia liberatur et muri Atheniensium reficiuntur. — V; Ioniam et Æoliam Atheniensibus restiturus, a Tiribazo in vincula conjicitur.

Conon, Atheniensis [1], Peloponnesio bello accessit ad rempublicam, in eoque ejus opera magni fuit. Nam et prætor pedestribus [2] exercitibus præfuit, et præfectus classis res magnas mari gessit. Quas ob causas præcipuus ei honos habitus est. Namque omnibus unus insulis præfuit [3]. In

Cap. I. 1. *Conon, Atheniensis.* Timothei filium vocat eum Pausanias, III, 9. Hunc diversum esse a Conone, astrologo Samio, Archimedis æquali et familiari, jamdudum a viris doctis, haud scio an puериliter, observatum est.

2. *Prætor pedestribus*, etc. *Prætor* tamen a nostro de *classis præfecto*, in Alcib. VIII, et alibi, usurpatur. Præfuit autem primum, anno hujusce belli secundo et vicesimo, dum Corcyram, teste Diodoro, XIII, 48, præsidio firmaret; dein, anno quinto et vicesimo, cum aliis novem prætoribus Alcibiadi suffectus. Vid. Diodor. XIII, 74; Xenoph. Hist. Gr. I, et Justinum, V, 5.

3. *Omnibus unus insulis præfuit.* Hoc neque apud Diodorum, neque apud Xenophontem, neque apud alium quemquam reperitur, nisi forte id tempus intelligatur, quo victis apud Cnidum Lacedæmoniis, adjuvante Pharnabazo, Persarum regis classi præfectus, omnes

qua potestate Pheras cepit, coloniam Lacedæmoniorum. Fuit etiam extremo Peloponnesio bello[4] prætor, quum apud Ægos flumen copiæ Atheniensium a Lysandro sunt devictæ. Sed tum abfuit[5], eoque pejus res administrata est. Nam et prudens rei militaris, et diligens erat imperii. Itaque nemini erat his temporibus dubium, si affuisset, illam Athenienses calamitatem accepturos non fuisse.

II. Rebus autem afflictis[1] quum patriam obsideri audisset, non quæsivit, ubi ipse tuto viveret, sed unde præsidio posset esse civibus suis. Itaque contulit se ad Pharnabazum[2], satrapem Ioniæ et Lydiæ, eumdemque generum regis et propinquum : apud quem ut multum gratia valeret, multo labore multisque effecit periculis. Nam quum Lacedæmonii, Atheniensibus devictis, in societate non manerent[3], quam cum Artaxerxe fecerant, Agesilaumque bellatum misissent in Asiam ; maxime impulsi a Tissa-

insulas a Lacedæmoniis, ut infra videbitur, avertit.

4. *Extremo Peloponnesio bello.* Id est, extremo hujusce belli anno.— *Apud Ægos.* Vide in Lysandro, I.

5. *Sed tum abfuit.* Xenophon. Hist. gr. II, et Plutarchus, in Alcib., Cononem tradunt prælio interfuisse, suorumque clade perspecta (quum vidisset Atheniensium copias, collegarum incuria militibus dilapsis, esse devictas), cum sua aliisque septem navibus milite completis, et Paralo, nave publica, Cyprum ad Evagoram regem aufugisse.

Cap. II. 1. *Rebus autem afflictis.* Nam, ut Justinus, V, 8, « Deflete ac prope perditæ urbi hostes (Lacedæmonii) superveniunt, et, obsidione circumdata, obsessos fame urgent. » Cf. nostrum in Lysandro.

2. *Contulit se ad Pharnabazum.* Non statim; prius enim, ut supra diximus, Cyprum ad Evagoram regem aufugit; ubi quum diu latuisset, tum demum Pharnabazum adiit vel ipse, vel missis litteris, uti refert Plutarchus, in Artaxerxe, XXI. —*Generum regis.* Artaxerxis scilicet Mnemonis, cujus Apamam filiam duxerat. Plutarchus in Artaxerxe. —*Gratia valeret.* Id est, ut eum benevolum adjutorem haberet.

3. *In societate non manerent.* Discrepat a Xenophonte et Plutarcho noster. Illi enim narrant Agesilaum a Lacedæmoniis in Asiam esse missum, eo quod exercitum et classes adversus Græcos ab Artaxerxe parari audiissent. Non igitur Lacedæmonii, Persæ autem a societate deficiebant. Lambino ea videtur intelligenda societas, quam Lacedæmonii cum Dario secundo, hujus

pherne, qui ex intimis regis ab amicitia ejus defecerat, et cum Lacædemoniis coierat societatem : hunc adversus Pharnabazus habitus est imperator; re quidem vera exercitui præfuit Conon, ejusque omnia arbitrio gesta sunt. Hic multum ducem summum Agesilaum[4] impedivit, sæpeque ejus consiliis obstitit. Neque vero non fuit apertum, si ille non fuisset, Agesilaum Asiam, Tauro tenus[5], regi fuisse erepturum. Qui posteaquam domum a suis civibus revocatus est[6], quod Bœotii et Athenienses Lacedæmoniis bellum indixerant, Conon nihilo secius apud præfectos regis versabatur, hisque omnibus maximo erat usui.

III. Defecerat a rege Tissaphernes, neque id tam Artaxerxi, quam ceteris, erat apertum. Multis enim magnisque meritis apud regem, etiam quum in officio non maneret, valebat. Neque id mirandum, si non facile ad credendum adducebatur, reminiscens ejus se opera Cyrum

Artaxerxis et Cyri patre, fecerunt. —*Maxime impulsi a Tissapherne*, etc. Persarum præfecto, cui regis jussu, propter proditionis crimen, caput abscissum est. — *Qui.... defecerat.* Paulo aliter Xenophon, Rer. Gr. III; Diodorus, XIV, 80, et Justinus, VI, 1, qui Tissaphernem fidissimum regi fuisse, sed aliorum criminationibus eversum innuunt. Unde videri possit societatem cum Lacedæmoniis simulasse potius, quam revera coiisse. Ceterum, teste Plutarcho, homo perditus, et universo Græcorum generi infestissimus fuit Tissaphernes. Imo Nepotem secum pugnare in Agesilao, II, apparet, ubi : « Tissaphernes inducias a Lacone (Agesilao) petivit; simulans se dare operam, ut Lacedæmoniis cum rege conveniret, re autem vera ad copias comparandas. » —*Re quidem vera exercitui præfuit Conon.* Quem, Pharnabazi consilio, classis præfectum instituit Artaxerxes. Vide Diodorum, et Justinum, ibid.

4. *Agesilaum.* Lacedæmoniorum ducem.—*Obstitit.* In primis, quum Persarum regi suasit, ut Græcarum civitatum concionatores auro corrumperet. De quo Polyænus, I; Plutarchus, Artaxerxe; Pausanias, Laconicis. Quippe his artibus conflatum est Lacedæmoniis bellum domesticum, revocatique ad sua tuenda, qui aliena invaserant. Bosius.

5. *Asiam... tenus.* Ioniam scilicet, Æoliam, Cariam, Lyciam, Lydiam, Phrygiam et Pamphyliæ partem, quas regiones, in pace cum Antiocho inita, Asiam cis Taurum Romani vocant ap. Livium, XXXVII, 45. Nam a Tauro monte Asia cis et trans Taurum divisa dicitur. Tzs.

6. *Revocatus est.* Vid. in Agesil. IV.

fratrem superasse[1]. Hujus accusandi gratia Conon a Pharnabazo ad regem missus, posteaquam venit, primum, ex more Persarum, ad chiliarchum[2], qui secundum gradum imperii tenebat, Tithrausten accessit, seque ostendit cum rege colloqui velle. Nemo enim sine hoc admittitur. Huic ille inquit: « Nulla mora est; sed tu delibera, utrum colloqui malis, an per litteras agere, quæ cogitas. Necesse est enim, si in conspectum veneris, venerari te regem. (Quod προσκυνεῖν[3] illi vocant.) Hoc si tibi grave est, per me nihilo secius editis mandatis conficies, quod studes. » Tum Conon: « Enimvero, inquit, non est grave quemvis honorem habere regi; sed vereor, ne civitati meæ sit opprobrio[4], si, quum ex ea sim profectus, quæ ceteris gentibus imperare consueverit, potius barbarorum, quam

Cap. III. 1. *Cyrum fratrem superasse.* In illo bello, Xenophontis opere, notissimo, quod contra Cyrum fratrem Artaxerxes de regno gessit. Diod. autem unus, lib. XIV, cap. 26, Tissaphernis in hoc bello operam, præmiaque idcirco ei a rege tributa refert. Nihil hac de re Xenophon, neque Plutarchus.

2. *Chiliarchum.* Χιλίαρχος vulgo a Græcis dicitur, qui mille viris præponitur. Chiliarchus autem gradum secundum apud Persas a rege tenebat, totiusque regiæ curationem habebat, quemadmodum apud Romanos *præfectus prætorio*, et apud Francos olim *le maire du palais*, cujus sine venia nemini ad regem patebat aditus. — *Tenebat.* Venusta figura dictum. Sic latini apte, non, ut nos, *habebat.* — *Tithrausten.* Qui, regis jussu, Tissaphernis caput abscidit. Xenoph. in Agesilao.

3. Προσκυνεῖν. Proprie de Diis dicitur. Persarum enim reges se solis et lunæ fratres jactabant, et ut Deos se adorari volebant a pronis et terram fronte ferientibus. Vide Curtium, VI, 14; VIII, 17, et, in primis, VIII, 20.

4. *Sed vereor, ne civitati meæ sit opprobrio*, etc. Græcis enim aut Atheniensibus, libero populo, turpis et indigna hujusmodi veneratio videbatur. Ideo « Athenienses Timagoram, inter officium salutationis Darium regem more gentis illius adulatum, capitali supplicio affecerunt: unius civis humilibus blanditiis, totius urbis suæ decus Persicæ dominationi submissum graviter ferentes. » Valer. Maxim. VI, 3, ext. 2. Qualem autem hic fucum Persarum oculis fecerit Ismenias, Thebanorum ad Artaxerxem legatus, in annulo demittendo ex industria, et iterum sustollendo, quo corporis gestu venerationem mentitus est, Ælianus, Var. Hist. I, 21, et jam alii notarunt. Bos.

illius more fungar. » Itaque huic, quæ volebat, scripta tradidit [5].

IV. Quibus cognitis, rex tantum auctoritate ejus [1] motus est, ut et Tissaphernem hostem judicaverit, et Lacedæmonios bello persequi jusserit, et ei permiserit, quem vellet, eligere ad dispensandam pecuniam. Id arbitrium Conon negavit [2] sui esse consilii, sed ipsius, qui optime suos nosse deberet : sed se suadere, Pharnabazo id negotii daret. Hinc, magnis muneribus donatus, ad mare est missus, ut Cypriis et Phœnicibus, ceterisque maritimis civitatibus naves longas imperaret, classemque, qua proxima æstate mare tueri posset, compararet; dato adjutore Pharnabazo, sicut ipse voluerat. Id ut Lacedæmoniis est nuntiatum, non sine cura rem administrarunt [3], quod majus bellum imminere arbitrabantur, quam si cum barbaro solum contenderent. Nam ducem fortem et prudentem regiis opibus præfuturum, ac secum dimicaturum videbant : quem neque consilio, neque copiis superare possent. Hac mente magnam contrahunt classem; proficiscuntur Pisandro [4] duce. Hos Conon apud Cnidum adortus magno

5. *Scripta tradidit.* Justinus quoque, VI, 2, Cononem ait per internuncios egisse cum rege; at Diodorus, XIV, 81, congressum et collocutum.

CAP. IV. 1. *Auctoritate ejus.* Pharnabazi calumniis animum regis a Tissapherne alienatum auctores tradunt; matris Parizatidis preces addit Plutarch. in Artaxerxe, XXIII; rem ipsam ante Agesilai adventum ponit Justinus. Tzs. — *Ut Tissaphernem hostem judicaverit.* Eique, Tithrauste misso, caput præcidi jusserit. Vide Xenophont. in Agesilao. — *Et ei permiserit.* Paulo aliter Diodorus et Justinus, locis cit. — *Quem vellet eligere.* Is apud Romanos *quæstor* dicebatur.

2. *Id arbitrium Conon negavit*, etc. Hanc electionem non ad se, sed ad regem pertinere dixit. — *Qui optime suos nosse deberet.* Ita apud Martialem, VIII, 15, 8 :

Principis est virtus maxima nosse suos.

3. *Non sine cura rem administrarunt.* « Auxilia enim navalis belli a rege Ægypti Hercyone petiverunt, et undique a sociis magna contraxere subsidia. » Orosius.

4. *Pisandro.* Pisander, de quo hic agitur, frater erat uxoris Agesilai; in cujus gratiam ille rex hunc classi, posthabitis senioribus et pruden-

prælio fugat, multas naves capit, complures deprimit. Qua victoria non solum Athenæ, sed etiam cuncta Græcia, quæ sub Lacedæmoniorum fuerat imperio, liberata est[5]. Conon cum parte navium[6] in patriam venit; muros dirutos a Lysandro, utrosque et Piræei et Athenarum, reficiendos curat; pecuniæque quinquaginta talenta, quæ a Pharnabazo acceperat, civibus suis donat.

V. Accidit huic, quod ceteris mortalibus, ut inconsideratior in secunda[1], quam in adversa, esset fortuna. Nam, classe Peloponnesiorum devicta, quum ultum se injurias patriæ[2] putaret, plura concupivit, quam efficere potuit. Neque tamen ea non pia et probanda fuerunt, quod potius patriæ opes augeri, quam regis, maluit. Nam quum magnam auctoritatem sibi pugna illa navali, quam apud Cnidum fecerat, constituisset, non solum inter barbaros, sed etiam inter omnes Græciæ civitates; clam dare operam cœpit, ut Ioniam et Æoliam restitueret[3] Atheniensibus. Id quum minus diligenter esset celatum, Tiribazus[4], qui Sardibus præerat, Cononem evocavit, simulans ad regem

tioribus, præfecerat. Vide Plutarch. Agesil. Magnifice de eo sentit Justinus, VI, 3.

5. *Liberata est.* « Hoc initium Atheniensibus resumendæ potentiæ, et Lacedæmoniis habendæ finis. Namque velut cum imperio etiam virtutem perdidissent, contemni a finitimis cœpere. » Justinus, VI, 4.

6. *Conon cum parte navium.* Qua oratione usus hoc, libente Pharnabazo, fecerit, exponit Xenophon, lib. IV. Lambin. — *Muros dirutos .... reficiendos curat.* Concessu Pharnabazi, quocum in Peloponnesum navigans, Laconicam vastavit, sociosque Athenienses in Spartanos incitavit. — *Civibus suis donat.* Similis Arati Sicyonii liberalitas fuit, de qua Cicero, de Officiis, lib. II, cap. 23. Bosius.

Cap. V. 1. *Inconsideratior in secunda*, etc. Nec mirum : quippe, ut ait Sallustius, Catil. XI, « secundæ res sapientium animos fatigant. »

2. *Injurias patriæ.* Passive, ut sæpe in simili nexu, genitivus ponitur, id est, injurias a Lacedæmoniis patriæ illatas.

3. *Ut Ioniam et Æoliam restitueret.* Alii hoc objectu usos Persas, veram autem hujusce criminis causam fuisse, rerum a Conone prospere gestarum invidiam memorant. Vide Diodorum, XIV, 85, et Isocratem in Panegyrico.

4. *Tiribazus.* Pedestrium copiarum præfectus, Diod. XIV, 85. —

eum se mittere velle, magna de re. Hujus nuntio parens quum venisset, in vincula conjectus est : in quibus aliquandiu fuit. Inde nonnulli eum ad regem abductum, ibique periisse [5], scriptum reliquerunt. Contra ea Dinon historicus [6], cui nos plurimum de Persicis rebus credimus, effugisse scripsit : illud addubitat, utrum Tiribazo sciente, an imprudente, sit factum. *

Cononem evocavit. Ad se vocavit. Paulo aliter hæc Xenophon et Diodorus l. c. narrant.

5. *Ibique periisse.* Imo supplicium de eo sumptum. Vide Diodorum, XV, 43.

6. *Dinon historicus.* Clitarchi pater, Artaxerxis Ochi Philippique ætate vixit, et Persica scripsit post deperdita.—*Imprudente.* I. e. inscio.

* De Conone vide Diodorum, XIII, XIV et XV; Xenophontem, Historiæ Græcæ II et IV; præsertim Plutarchum, Lysandro; Polyænum I; Athenæum, I; Isocratem, Evagora; Demosthenem, in Leptinem; Aristotelem, II, Rhetor.; Just. V et VI. Boecler. Caput ejus extat in nummorum uno, cum inscriptione ΚΟΝΩΝΟΣ ΑΘΗΝΑΙΟΥ. In postica parte, mulier sedens, hastam puram sinistra tenens; pone eam, thorax cum clypeo; ante, ara accensa, cui supervolat victoria, lauream mulieri porrigens. Infra, ut videtur: ΕΡΚΟΣ ΑΘΗΝΩΝ. Bosius. De Cononis rebus adde in primis apud nos *Rollin*, *Histoire Ancienne*, livre VIII, chapitre 2, et livre IX, chapitre 3, etc.



X.

DION.

ARGUMENTUM.

Cap. I; Dionysiorum affinis et intimus Dion. — II; Platonis discipulus et amicus. — III; Minorem Dionysium offendit; Platonis reditum obtinet; ei Philistus adversatur. — IV; Corinthum deportatur. Uxor traditur alii; filius corrumpitur. — V; Syracusarum potitur; tyrannum ad pactiones adigit. — VI; Morte filii tristatur. Heraclidis cæde populum a se alienat. — VII; Largitionibus militem conciliat, amittit optimates, tyrannus non ferendus audit. — VIII; Callicratis insidiis decipitur. — IX; Domi suæ die festo occiditur. Post ejus necem fit tumultus et cædes. Desiderium mortui sequitur.

Dion, Hipparini filius [1], Syracusanus, nobili genere natus, utraque implicatus tyrannide Dionysiorum. Namque ille superior [2] Aristomachen, sororem Dionis, habuit in

Cap. I. 1. *Hipparini filius.* Sic Diodorus, XVI, 9; Plutarchus, in Dion. vita; Suidas et Ælianus patrem ejus vocant. — *Nobili genere natus.* Hipparinus enim, Syracusanorum princeps, Dionysiique collega, nuncupatur a Plut. in Dion. et a Platone, epist. VIII. — *Implicatus.* Necessitudinis scilicet et familiaritatis habita ratione. — *Dionysiorum.* Patris scilicet et filii, qui ambo tyranni dicti sunt.

2. *Superior.* Pater nempe, qui ætate superior. Sic et a Cicerone, De officiis, II, 7, 2, appellatur. Sic *Cato superior* apud Valer. Maxim. VIII, 15, 2, pro *major* legitur. — *Aristomachen.* Duas uno die uxores duxit Dionysius major, alteram Locrensem nomine Doridem, alte-

matrimonio : ex qua duos filios, Hipparinum et Nysæum, procreavit; totidemque filias, nomine Sophrosynen et Areten. Quarum priorem Dionysio filio [3], eidem, cui regnum reliquit, nuptum dedit; alteram, Areten, Dioni. Dion autem, præter nobilem propinquitatem, generosamque majorum famam, multa alia ab natura habuit bona: in his ingenium docile, come [4], aptum ad artes optimas; magnam corporis dignitatem, quæ non minimum commendatur; magnas præterea divitias a patre relictas, quas ipse tyranni muneribus auxerat. Erat intimus Dionysio priori, neque minus propter mores, quam affinitatem. Namque, etsi Dionysii crudelitas ipsi displicebat, tamen salvum esse propter necessitudinem [5], magis etiam suorum causa, studebat. Aderat in magnis rebus; ejusque consilio multum movebatur tyrannus, nisi qua in re major ipsius cupiditas intercesserat. Legationes vero, quæ essent illustriores, per Dionem administrabantur : quas quidem ille diligenter obeundo, fideliter administrando, crudelissimum nomen tyranni sua humanitate tegebat [6]. Hunc,

ram Aristomach., Hipparini filiam. Ex Locrensi Dionysium juniorem habuit; ex Dionis sorore Hipparinum et Nysæum filium vel Narsæum, ut vocat Diodorus, XVI, 6. Vide Ciceronem, V. Tuscul. quæst. Adde Plutarchum, et Ælianum, XIII, Var. Hist., qui quidem a nostro circa Aristomaches nomen dissentit. Hanc enim Dionis uxorem facit; Dionysiique uxorem modo *Aristænetam*, modo *Areten* appellat. Adde nostrum, De regibus, c. 2. et not. — *Hipparinum*, qui, olympiadis CVI anno IV, pulso Syracusis Callippo, paternum dominatum recuperavit, et per biennium obtinuit. Bosrus.

3. *Dionysio filio*, qui, ut supra diximus, ex Doride altera uxore natus erat. — *Dioni*. Qui sororis suæ filiam pro uxore habuit.

4. *Ingenium docile, come*, etc. Durum austerumque Dioni ingenium fuisse ceteri auctores referunt: come tamen et facile fuit erga Platonem ad capienda ab eo virtutum vitæque præcepta, uti Plato ipse in epistola VII, ad Dionis propinquos scribit; quod infra noster, cap. II, post multos alios confirmat.

5. *Necessitudinem*. Affinitatem. Ita passim apud Sallustium. — *Suorum causa*. Nimirum propter sororem, ejusque liberos.

6. *Nomen tyranni sua humanitate tegebat*. Sensus est : Effecit mitissimis moribus, ut, quæ de tyranni

a Dionysio missum, Carthaginienses suspexerunt, ut neminem unquam Græca lingua loquentem[7] magis sint admirati.

II. Neque vero hæc Dionysium fugiebant. Nam quanto esset sibi ornamento, sentiebat. Quo fiebat, ut uni huic maxime indulgeret, neque eum secus diligeret ac filium. Qui quidem, quum Platonem[1] Tarentum venisse fama in Siciliam esset perlata, adolescenti negare non potuit, quin eum arcesseret, quum Dion ejus audiendi cupiditate flagraret. Dedit ergo huic veniam, magnaque eum ambitione[2] Syracusas perduxit. Quem Dion adeo admiratus est atque adamavit, ut se totum ei traderet[3]. Neque vero minus Plato delectatus est Dione[4]. Itaque, quum a Dionysio tyranno crudeliter violatus esset; quippe quem venundari jussisset[5]: tamen eodem rediit, ejusdem Dionis

crudelitate ferrentur, nemo crederet; et sic quasi occultavit. Ita loquitur Tacitus, quum sæpe, tum Ann. IV, 44: « Ubi specie studiorum nomen exilii tegeretur. »

7. *Græca lingua loquentem.* Ita in Miltiade, III: « Putavit facillime se Græca lingua loquentes... sub sua retenturum potestate. »

Cap. II. 1. *Platonem.* De quo supra in Alcibiade, II, in not. Causam profectionis Apuleius, lib. de dogmate Platonis, fuisse ait, ut naturam Ætnæ, et incendia concavi montis intelligeret. Sic Diog. Laërt. III, et Olympiodor. vit. Platon. — *Adolescenti.* Dioni scilicet tum admodum juveni.

2. *Magna ambitione.* Comitatu et apparatu ad ostentationem et obsequium composito. Ita fere Suetonius in Othone, IV: « Nullo officii aut ambitionis in quemquam genere omisso. » Plinius enim, H. N. VII, 30, ex eoque Solin. I, 123: « Dionysius tyrannus vittatam navem Platoni obviam misit. Ipse cum albis quadrigis egredientem in littore occurrens honoratus est. » Nihil autem de hac ambitiosa deductione ceteri auctores; sed tantum a Dionysio Platonem Dionis precibus accitum, venisse Syracusas, et cum eo collocutum narrant. Vid. inf. ejusdem reditum.

3. *Ut se totum ei traderet.* Quare Dion communi nomine a scriptoribus vocatus, *Dion, amicus Platonis.*

4. *Plato delectatus est Dione.* Imo Dionem a Platone ardenter amatum ferunt, ut Diog. Laert. ibid.; et Apuleius, Apologiæ orat. I.

5. *Quippe quem venundari jussisset.* Quod parasiticæ imperitus esset, ait Lucianus, Parasito; Diodoro autem et Diogene, et Plutarcho teste, quum Plato de virtute viri boni et justitia quamdam inter disceptationem dixisset, justorum bea-

precibus adductus. Interim in morbum incidit[6] Dionysius. Quo quum gravi conflictaretur; quæsivit a medicis Dion, quemadmodum se haberet? simulque ab his petiit, «si forte majori esset periculo, ut sibi faterentur. Nam velle se cum eo colloqui de partiendo regno; quod sororis suæ filios, ex illo natos, partem regni putabat debere habere.» Id medici non tacuerunt[7], et ad Dionysium filium sermonem retulerunt. Quo ille commotus, ne agendi cum eo esset Dioni potestas, patri soporem medicos dare coegit. Hoc æger sumpto, ut somno sopitus[8], diem obiit supremum.

III. Tale initium fuit Dionis et Dionysii simultatis[1], eaque multis rebus aucta est: sed tamen primis tempo-

tam, tyrannorum autem vitam esse miseram, adeo inhumaniter eum habuit tyrannus, ut tanquam mancipium in foro venundari jusserit. — *Eodem rediit.* Extincto seniore Dionysio. Vide Platon. epist. VII; Plutarchum, ac nostrum infra, III.

6. *In morbum incidit.* Morbi causam fuisse immoderatas epulas, compotationes, et ebrietatem tradit Diodorus, XV, 74. Lambin.— *Velle se cum eo colloqui.* Ita Plutarchus, ibid. —*Quod sororis suæ filios.* Hipparinum scilicet et Nysæum, qui ex Aristomache, sorore ejus, et Dionysio majore erant nati. Vide supra, cap. I.

7. *Id medici non tacuerunt.* Futuro principi, ut Plutarchus ait, gratificantes, more in aulis recepto.— *Ne agendi cum eo esset Dioni potestas.* Ne posset colloqui cum patre.—*Soporem.* Medicamentum soporiferum (φάρμακον ὑπνωτικὸν vocat e Timæo Plutarchus in Dione). Quod ex nigri papaveris vel cicutæ succo parari solet: quo mortis genere Athenienses capite damnatos necare solebant.

8. *Ut somno sopitus.* Sensus est, tanquam hominem somno gravatum obiisse.— *Diem obiit supremum.* Quum annos octo et triginta regnasset. De Dionysio majore videndi Nepos infra, de Regibus, II; Justin. XX; Diodor. Sicul. XV, 73. De timore, animi tortore, Cicer. V, Tuscul., et de Officiis, II; Valer. Max. IX, 13, ext. 4. Adde Plutarchum in libello, cui titulus est: Πῶς ἄν τις διακρίνειε τὸν κόλακα τοῦ φίλου, et multos e nostris.

Cap. III. 1. *Dionis et Dionysii simultatis.* Dionysii Junioris. Tum nota duos genitivos diversi regiminis: quod quum fit, diverso tamen eorum sono auribus consuli solet. Ceterum simultatem illam non inde, sed ex criminationibus aliorum de affectatione regni repetit Plutarchus, cap. VII et XII; ex suspicione Dionysii, quam moverant Dionis virtutes, Diodor. lib. XVI, cap. 6. Dissensioni tamen noster in seq. capite ipse occurrit. Tzschuck.

ribus aliquandiu simulata inter eos amicitia mansit. Quumque Dion non desisteret obsecrare Dionysium, ut Platonem Athenis arcesseret, et ejus consiliis uteretur; ille, qui in aliqua re vellet patrem imitari, morem ei gessit[2]; eodemque tempore Philistum historicum[3] Syracusas reduxit, hominem amicum non magis tyranno, quam tyrannidi. Sed de hoc in eo meo libro[4] plura sunt exposita, qui de historicis conscriptus est. Plato autem tantum apud Dionysium auctoritate potuit, valuitque eloquentia, ut ei persuaserit tyrannidis facere finem[5], libertatemque reddere Syracusanis. A qua voluntate Philisti consilio deterritus[6], aliquanto crudelior esse cœpit.

2. *Morem ei gessit*. Ejus postulatis annuit. Ita sæpius. Imo juniorem Dionysium, Dione primum impellente, dein sponte, crebrisque et ipsius et aliorum epistolis et precibus, triremibus etiam missis, Platonem advocavisse, ipsoque Dionysio in curru Platonem imponente aurigamque agente, eum excepisse, magnoque in pretio habuisse, ex ejusdem Platonis epist. III et VII, Plut. et Æliano cognoscimus.

3. *Philistum historicum*. Qui quum, inscio seniore Dionysio, uxorem Leptinæ fratris ejus duxisset, a tyranno pulsus, Adriæ, teste Plut., Thuriis, ex Diod., exulabat: ubi de Sicul. et Ægyptiacis, quæ perierunt, scripsit. Qui quidem aulicorum instinctu, ut haberent quem Platonis consiliis et philosophiæ opponerent, in patriam revocatus est. De quo Philisto plura Vossius, De historicis Græcis, I, 6.—*Hominem amicum non magis tyranno, quam tyrannidi*. Id est, qui tyrannum quidem, at magis tyrannidem amabat. Alii *quam tyrannis*. Ita codex noster R. n° 5837.

4. *In eo meo libro*. Qui desideratur. *Meo* quibusdam a MSS. abest.

5. *Tyrannidis facere finem*. Idem Plato, in epistola III ad Dionysium, circa init. profitetur. Adde Plutarchum, Dione. Sed, ut Dionysius erat *veterator magnus* (veluti Tullius, II, epistola 12 ad Quintum fratrem, eum appellat), hoc postea invertit, et Platonem calumniatus est, quasi ille huic ejus conatui oblocutus esset; quum contra Plato sedulo suaderet, sed tyrannus recusaret. Loccenius.

6. *Philisti consilio deterritus*. Dionem apud tyrannum criminando, et multas gravèsque suspiciones in illum commovendo. Accessit et Dionis epistola ad Carthaginiensium magistratus et procuratores data, intercepta, et ad Dionysium allata. Lambin. *Deterrere*, hic notat, metu periculi objecto dehortari.—*Aliquanto crudelior esse cœpit*. In primis in Platonem, quem mortis periculo objecisset, nisi eum eripuisset Archytas. *Aliquanto*, non paulo, sed longe, multo valet.

IV. Qui quidem quum a Dione se superari videret ingenio, auctoritate, amore populi; verens, ne, si eum secum haberet, aliquam occasionem sui daret opprimendi, navem ei triremem dedit[1], qua Corinthum deveheretur; ostendens se id utriusque facere causa, ne, quum inter se timerent, alteruter alterum præoccuparet. Id quum factum multi indignarentur, magnæque esset invidiæ tyranno; Dionysius omnia quæ moveri poterant[2] Dionis in naves imposuit, ad eumque misit. Sic enim existimari volebat, id se non odio hominis[3], sed suæ salutis fecisse causa. Postea vero quam audivit, eum in Peloponneso manum comparare, sibique bellum facere conari; Areten, Dionis uxorem, alii nuptum dedit[4], filiumque ejus sic educari jussit, ut indulgendo turpissimis imbueretur cupiditatibus. Nam puero, priusquam pubes esset, scorta adducebantur; vino epulisque obruebatur[5], neque ullum tem-

Cap. IV. 1. *Navem ei triremem dedit.* Plato, epist. VII, parvo navigio impositum et ejectum dicit; Plutarchus ἀκατίῳ : acatium vero idem, quod scapha. Vide Schefferum, de Militia navali, II, 2, pag. 70. Bosius. — *Corinthum.* Exponi eum jussit in ora Italiæ (Plutarch. cap. XIV extr.), unde forte postea Corinthum petiit; quod narrat Diodorus, XVI, 6: primum delituit apud amicos; post, Corinthum fugit. Valer. Max. IV, 1, ext. 3, pulsum eum Megara contendisse scribit. Tzs. — *Ostendens se id utriusque facere causa.* Aliter Plutarchus ac Diodorus narrant. — *Præoccuparet.* I. e. prior insidiis opprimeret.

2. *Omnia quæ moveri poterant.* Exclusis uxore et filio, de quibus postea. Ita vero jam in Themistocle, c. II, ad extrem. locutus est noster.

3. *Non odio hominis, sed suæ salutis fecisse causa.* Plutarch., ibid., ait eum amicos et uxorem monuisse, non in exilium, sed peregre missum Dionem, ne in præsentis arrogantiam gravius ex ira consulere cogeretur. Bosius.

4. *Alii nuptum dedit.* Timocrati scilicet, familiari suo, sed invitam. Plutarch. Pro Timocrate vitiose *Polycrates* in Æliano, Var. hist. XII, 47, legitur. — *Filium.* Cujus in nomine ipsi dissenserunt veteres, uti ex Plutarcho, XXXI, discimus. Alii hunc Aretæum, Hipparinum al.; Hipparionem Polyænus vocat. — *Indulgendo.* Per summam licentiam.

5. *Vino epulisque obruebatur.* Cicero pro Dejotaro, c. IX : « Hac lætitia Dejotarum elatum vino se obruisse » et Philippic. III, 12. Ita Petron. Satyr., c. V. — *Neque ullum*

pus sobrio relinquebatur. Is usque eo vitæ statum[6] commutatum ferre non potuit, postquam in patriam rediit pater (namque appositi erant custodes, qui eum a pristino victu deducerent), ut se de superiore parte ædium dejecerit, atque ita interierit. Sed illuc revertor.

V. Postquam Corinthum pervenit Dion, et eodem perfugit Heraclides[1], ab eodem expulsus Dionysio, qui præfectus fuerat equitum; omni ratione bellum comparare cœperunt. Sed non multum proficiebant, quod multorum annorum tyrannis magnarum opum putabatur[2]. Quam ob causam pauci ad societatem periculi[3] perducebantur.

tempus sobrio relinquebatur. Eleganter, pro neque, ut sobrius esset, tempus ei dabatur.

6. *Is usque eo vitæ statum*, etc. Sensus est: is adeo ægre vivendi morem adventu patris mutatum tulit, ut, etc. — *A pristino victu deducerent.* Id est, a corruptis moribus abstraherent, et ad meliorem frugem revocarent. — *De superiore parte ædium.* Plutarchus, Dione, tecto se præcipitem egisse scribit; idque ex dolore quodam et ira, e parva et puerili occasione orta. Id., in Consol. ad Apollon., de tecto lapsum, eaque re audita patrem cum amicis consultantem, nihil consternatum, corpusculo mulieribus tradito, deliberationem institutam prosecutum. Adde Ælianum, III, 4. Bosius.

Cap. V. 1. *Heraclides.* Hunc turbulentum, seditiosum, mobilem, infidum, at rei militaris peritum fuisse docet Plutarchus in Dione. Ejus quoque meminit Diodorus, XVI, 16. Ille vero magnam Dioni, hoc in bello, operam præstitit. Vide ap. Longinum de sublimitate, IV, 7. Præcipuus tamen belli auctor Dion; unde huic uni id sæpius, omisso socio, fuit adscriptum. — *Ab eodem expulsus Dionysio.* Plato, epistola III, ad Dionis propinquos, clam fugam arripuisse scribit, suspectum velut auctorem tumultus militum ob imminuta stipendia, quæ crebra turbarum castrensium materia esse solet. Loccenius. — *Bellum comparare cœperunt.* Vid. Diodorum, XVI, et prolixe Plutarch.

2. *Quod multorum annorum tyrannis magnarum opum putabatur.* Id est, quod tyrannis, quæ multos per annos extiterat, stabilis ac valida omnibus videbatur. Octo enim et triginta pater, filius duodecim annos jam regnabat. Se relinquere filio tyrannidem adamante, seu vinculis adamantinis vinctam, prior dictitabat Dionysius. Plut. in Dione.

3. *Pauci ad societatem periculi perducebantur.* Quum non minus mille proscripti fuissent a tyranno, tamen quinque et viginti se illi adjunxerunt, uti refert Plutarchus, vel triginta, secundum Diodorum. Ex aliis tamen in Zacyntho insula,

Sed Dion, fretus non tam suis copiis, quam odio[4] tyranni, maximo animo, duabus onerariis navibus, quinquaginta annorum imperium, munitum quingentis longis navibus, decem equitum, centum peditum millibus, profectus oppugnatum, quod omnibus gentibus admirabile est visum, adeo facile perculit, ut post diem tertium, quam Siciliam attigerat, Syracusas introierit. Ex quo intelligi potest, « Nullum esse imperium tutum, nisi benevolentia munitum[5]. » Eo tempore aberat Dionysius[6], et in Italia classem opperiebatur, adversariorum ratus neminem sine magnis copiis ad se venturum. Quæ res eum fefellit: nam Dion

quod receptaculum futuri belli constituerat, convenerunt 800, Plut. pro iis 1000 habet Diod. Quos, sub ejus adventum, in Sicilia ad insignem numerum excrevisse addit. Tzs.

4. *Quam odio tyranni.* Quod noverat exosum esse tyranni imperium, ac propterea populum, uti evenit, ad se defecturum. *Odio* non tantum, sed et contemptu tyranni fretus Dio fuit, uti ex Aristotele, Politic. V, 10, apparet. — *Maximo animo.* Ita se animatum dictitans, ut, quocumque posset progredi, satis illi futurum sit; et, si vel vix in terram egressus mortem oppeteret, haud gravem sibi futuram. Bosius. — *Duabus onerariis navibus.* Totidem et Diodorus et Plutarchus numerant. Sed hic addit eas comitatum navigium non magnum, et duas τριακοντόρους; ille, Chariclem triremes quasdam et alias onerarias a tergo Syracusas ducere jussum. Bosius. — *Quinquaginta annorum.* Cum nostro consentit Diodorus; Plutarchus vero octo et quadraginta scribit. — *Imperium.* Quod *maximum totius Europæ dominatum* vocat Diodorus. — *Quingentis longis navibus.* Quadringentas tantum numerat Diodorus. — *Perculit.* Ita Græci καταπλήττειν. — *Syracusas introierit.* Cujus reditus magnificentiam, Syracusanorumque lætitiam exhibent Diodor. et Plut.

5. *Nullum esse imperium tutum, nisi benevolentia munitum.* Sall. Jug. X: « Non exercitus neque thesauri præsidia regni sunt, verum amici. » E Xenophont. Cyropæd. VIII, 7.

6. *Eo tempore aberat Dionysius.* Tunc enim in Italia circa Cauloniam seu Colonen erat oppidum, arcis custodia Timocrati, sororis marito, commissa; nec nisi septimo post Dionis reditum die Syracusas reversus est. Vide Diodorum, XVI, 11, et Plutarchum, in Dione, cap. XXXV. — *Classem opperiebatur.* Cui præerat Philistus: qui, quum venisset tandem cum multis triremibus, sed sero; navi, qua vehebatur, capta, manus sibi attulit, vel, ut alii tradunt, in potestatem adversariorum venit, ab iisque fœde et contumeliose trucidatus est. Plutarch et Diod. Sic. XVI. Lambin.

iis ipsis[7], qui sub adversarii fuerant potestate, regios spiritus repressit, totiusque ejus partis Siciliæ potitus est, quæ sub potestate Dionysii fuerat; parique modo urbis Syracusarum, præter arcem, et insulam adjunctam oppido; eoque rem perduxit, ut talibus pactionibus pacem tyrannus facere vellet: Siciliam Dion obtineret, Italiam Dionysius, Syracusas Apollocrates, cui maximam fidem uni habebat Dionysius.

VI. Has tam prosperas, tamque inopinatas res consecuta est subita commutatio: quod fortuna sua mobilitate, quem paulo ante extulerat[1], demergere est adorta. Primum in filio, de quo commemoravi supra, suam vim exercuit. Nam quum uxorem reduxisset[2], quæ alii fuerat tradita, filiumque vellet revocare ad virtutem a perdita luxuria; accepit gravissimum parens vulnus morte filii. Deinde orta dissensio est inter eum et Heraclidem[3]: qui

7. *Iis ipsis*. Præfectis scilicet ad se deficientibus. — *Regios spiritus repressit*. Superbiam tyranni, potentiæ opinione conceptam, contudit. Ita passim Cicero in primis et Cæsar. *Spiritus* apud Græcos φρόνημα, ὑπερφρόνημα, φύσημα. — *Insulam*. Insula pars erat urbis Syracusarum, et instar urbis, ut ait M. Tullius in Verrem. Syracusæ enim constabant ex quatuor urbibus. Lambin. — *Talibus pactionibus*. Paulo aliter has Plutarchus. Diodorus rem pene eodem modo recenset; nisi quod Apollocratis nullam mentionem facit. Bos.— *Pacem facere vellet*. Singulariter dixit *vellet*; nec enim acceptarunt conditiones Syracusani, sed Dionysium vivum capturos se sperabant, ut referunt Plut. et Diod. Bos. —*Apollocrates*. Dionysii major natu filius, cui arcem, quam pater in Italiam aufugiens tuendam tradiderat, eripuit Dion, teste Plutarch.

Cap. VI. 1. *Extulerat*. Ab exilio ad summa evexerat victoriæ et potentiæ fastigia. — *Demergere*. Eleganti metaphora pro deprimere, dejicere. Tzs. —*Adorta*. Al. *adorsa* leg.

2. *Uxorem reduxisset*. Areten scilicet, Timocrati divortio violento traditam, de novo assumpsisset.— *Accepit gravissimum parens vulnus morte filii*. Verba apprime ad patris dolorem notandum coagmentata et inter se disposita. Dolorem et luctum, propinquorum morte allatum, vulnus sæpissime vocant auctores, in primisque Tacitus, velut in vita Agricolæ, cap. VII et XXVIII.

3. *Inter eum et Heraclidem*. Cujus varias contra Dionem machinationes passim refert Plutarchus, in Dione. Diodorus, l. XVI, cap. 17,

quidem, Dioni principatum non concedens, factionem comparavit. Neque is minus valebat apud optimates, quorum consensu præerat classi[4], quum Dion exercitum pedestrem teneret. Non tulit hoc animo æquo Dion, et versum illum Homeri[5] retulit ex secunda rhapsodia, in quo hæc sententia est : « Non posse bene geri rempublicam multorum imperiis ». Quod dictum magna invidia consecuta est. Namque aperuisse videbatur, se omnia in sua potestate esse

scribit mox a fuga Dionysii Syracusanos in partes discessisse, aliosque militare imperium summamque potestatem Heraclidi, quod nunquam is tyrannidem affectaturus videretur, demandandam censuisse; alios Dionem rerum summæ præficiendum contendisse. Bos. — *Principatum*. Τὴν τῶν ἁπάντων ἡγεμονίαν, τὴν τῶν ὅλων ἐξουσίαν, ut Diod. loquitur. Dionem autem Heraclides tyrannidem affectare aiebat, quum potius Laconicam quamdam et Creticam reipublicæ formam meditaretur, ex regno et democratia mixtam, in qua et optimatibus suum jus esset. Ipse vero Heraclides populare imperium, et agrorum ædificiorumque divisionem, ac civium æqualitatem inducere conabatur, teste Plutarcho. Bosius. — *Factionem comparavit*. *Insidias* eum *nexuisse* cum Callippo Dioni, etiam Valer. Maxim. refert, III, 8, ext. 5; sed Dionem, qui fidei eorum plurimum credebat, monitum, ut adversus eos cautior esset, respondisse, « se vita malle excedere, quam metu violentæ mortis amicos inimicosque juxta ponere. » Idem.

4. *Quorum consensu præerat classi*. Ipso Dione semel atque iterum concedente; quum ipse terra marique imperator cum libera potestate a populo creatus esset. Vide Plut.

5. *Homeri*. Græcorum poetarum excellentissimi, qui, Hesiodi fere æqualis, annis circiter ante Romam conditam centum et sexaginta, teste Nepote, fragm. I, vixisse dicitur. « Quem si quis cæcum genitum putat, inquit Velleius, I, 5, omnibus sensibus orbus est. » Ejus ignota fuit patria. De quo Cic. pro Archia, et fere omnes. — *Ex secunda rhapsodia*. Ex secundo libro Iliados. Nulla de operis titulo mentione facta, ait Magius, citavit, quia Iliadem Odysseæ præferri nemini fuit unquam obscurum. Hac autem voce (*rhapsodia*) Iliada Homeri, singulasque ejus partes, vel libros, olim solebant designare. Male autem apud nos ea vox audit, farraginem significans. — *Non posse bene geri rempublicam multorum imperiis*.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω. Iliad. II, 204.

Qui versus non semel a tyrannis usurpatus est. Vide Suetonium in Caligula, c. XXII, et Domitiano, cap. XII. Simile illud Senecæ in Agamemnone, 257 : « Nec regna socium ferre, nec tædæ sciunt. » Et noster *Racine* in *Thebaid.* :

On ne partage point la grandeur souveraine.

velle. Hanc ille non lenire obsequio[6], sed acerbitate opprimere studuit, Heraclidemque, quum Syracusas venisset, interficiendum curavit.

VII. Quod factum omnibus maximum timorem injecit: nemo enim, illo interfecto[1], se tutum putabat. Ille autem, adversario remoto, licentius eorum bona[2], quos sciebat adversus se sensisse, militibus dispertivit. Quibus divisis, quum quotidiani maximi fierent sumptus[3], celeriter pecunia deesse cœpit; neque, quo manus porrigeret, suppetebat, nisi in amicorum possessiones. Id hujusmodi erat, ut, quum milites[4] reconciliasset, amitteret optimates. Quarum

Ita Curtius, X, 25: « Nam insociabile est regnum. »

6. *Obsequio.* Mitigare civilitate, comitate et indulgentia. Notum est Terentianum illud in Andr. I, 1, 35: Obsequium amicos, veritas odium parit. — *Acerbitate opprimere.* Vi et rigore extinguere. — *Interficiendum curavit.* Per Corinthios, quum eum videret insanabilem; quum aliquoties jam cum eo in gratiam rediisset; quum denique, antea militibus interficere volentibus, et seditiosum, et factiosum, et popularem, et turbulentum, et invidum, et bonis consiliis ac rationibus obstantem, longa oratione habita eripuisset ac servasset. Lambin. Hac de re vide Plutarchum in Dione, cap. LIII.

Cap. VII. 1. *Nemo enim, illo interfecto,* etc. At contra, teste Plutarcho, Syracusani per orationem, a Dione post Heraclidæ exequias habitam, intellexerunt motus civiles, Heraclide et Dione una rempublicam gerentibus, nullo alio modo sedari potuisse.

2. *Licentius eorum bona....* Munificum quidem erga socios belli, civesque familiares et externos milites fuisse, Plutarchus ait; sed de bonis adversariorum distributis nihil apud eum reperio, sicuti nec apud Diodorum: qui contra scribit, captivos omnes, qui multi fuerint, nullo redemptionis pretio accepto dimissos. Bosius. Ergo alios auctores secutus est Nepos. — *Adversus se sensisse.* Id est, diversæ factionis fuisse.

3. *Quum quotidiani maximi fierent sumptus.* In milites nempe et amicos, quos liberalius, quam facultates ejus ferre possent, donabat. Ipse enim tenuiter et vulgari modo vivebat, tam moderatum se vestitu et famulitio et mensa præbens, ut si cum Platone in Academia viveret. Vide Plut. cap. LII. Bosius. — *Neque, quo manus porrigeret, suppetebat, nisi,* etc. Sensus est: neque, quod auferret, supererat, præter ea, quæ ab amicis possidebantur. Quidam codices *in* omittunt.

4. *Id hujusmodi erat, ut quum milites,* etc. Eo difficultatis erat adductus, ut, quum sibi militum captasset, optimatum gratiam amitteret.

rerum cura frangebatur; et, insuetus male audiendi[5], non æquo animo ferebat, de se ab iis male existimari, quorum paulo ante in cœlum fuerat elatus laudibus. Vulgus autem, offensa in eum militum voluntate, liberius loquebatur, et tyrannum non ferendum dictitabat.

VIII. Hæc ille intuens, quum, quemadmodum sedaret, nesciret, et quorsum evaderent[1], timeret; Callicrates quidam, civis Atheniensis, qui simul cum eo ex Peloponneso in Siciliam venerat, homo et callidus, et ad fraudem acutus, sine ulla religione ac fide, adit ad Dionem, et ait: eum in magno periculo esse propter offensionem populi et odium militum; quod nullo modo evitare posset, nisi alicui suorum negotium daret, qui se simularet illi inimicum. Quem si invenisset idoneum[2], facile omnium animos cogniturum, adversariosque sublaturum; quod inimici ejus dissidenti suos sensus aperturi forent. Tali consilio probato, excipit has partes[3] ipse Callicrates, et

5. *Insuetus male audiendi*. Probra de se audiendi insolens. Sic Cæsar, Bell. Gall. V, 6: « Insuetus navigandi. » Livius vero, XXXI, 18: « Insuetus vera audire; » et IV, 31: « Civitas vinci insueta. » Præstare videtur prior compositio. — *In cœlum fuerat elatus*. Ita Sallust. Catilin. XLVIII: « Ciceronem ad cœlum tollere. » Id. ib. LIII: « Virtutem animi ad cœlum ferunt. » — *Offensa in eum militum voluntate*. Cic. Tusc. V, 37: « Aliena et offensa populi voluntas. »

Cap. VIII. 1. *Quorsum evaderent*. Quem exitum haberent. Terentiana locutio de incerto rerum exitu. — *Callicrates*. Auctorem nescio quem secutus est noster; istum alii omnes *Callippum* vocant. — *Acutus*. Plus quam exercitatus valet.

2. *Quem si invenisset idoneum*. Si Dion hominem hujusce personæ sustinendæ peritum inveniret. — *Facile omnium animos cogniturum*. Non admodum dissimili arte usus Augustus, apud Suetonium, c. XV; et Latinius Latiaris, apud Tacitum, Ann. IV, 68 et 69. Eadem vero fraude periit Datames, infr. X et XI. Bosius. — *Dissidenti*. Huic homini, qui se a Dione dissidere simularet.

3. *Excipit has partes*. Ducta ab histrionibus metaphora, qui aliorum vultus et mores in scena induunt. — *Se armat*. Eleganter, quod Dionis imprudentia, tanquam armis, præsidiis, adminiculis, utebatur. Tzs. — *Conjurationem confirmat*. Ita Sallustius, Cat. XXII: « Mandat, quibus rebus possent, opes factionis confirment. » Idem, Jugurth. XLV: « Exercitum brevi confirmavit. »

se armat imprudentia Dionis: ad eum interficiendum socios conquirit: adversarios ejus convenit, conjurationem confirmat. Res, multis consciis quæ gereretur, elata [4] defertur ad Aristomachen, sororem Dionis, uxoremque Areten. Illæ, timore perterritæ, conveniunt [5], cujus de periculo timebant. At ille negat a Callicrate [6] fieri sibi insidias, sed illa, quæ agerentur, fieri præcepto suo. Mulieres nihilo secius Callicratem in ædem [7] Proserpinæ deducunt; ac jurare cogunt, nihil ab illo periculi fore Dioni. Ille hac religione [8] non modo ab incepto non deterritus, sed ad maturandum concitatus est, verens, ne prius consilium suum aperiretur, quam conata perfecisset.

IX. Hac mente [1], proximo die festo, quum a conventu remotum se Dion domi teneret, atque in conclavi edito

4. *Elata.* Cognita, detecta; *efferri* aliquando de arcano evulgato dicitur. Ita apud Cæsarem, de Bell. Gall. I, 46: « Posteaquam in vulgus militum *elatum est*, qua arrogantia in colloquio Ariovistus usus. »

5. *Conveniunt, cujus,* etc. Supple *eum*, Dionem scilicet.

6. *Negat a Callicrate*, etc. Aliter Plutarchus, in Apophtegmatis; eum noluisse inquirere, quod diceret, moriendum potius esse, quam vivendum, ubi non ab hostibus modo, sed etiam ab amicis esset cavendum. Id quod etiam in vita Dionis innuit, causamque fuisse conjicit, quod necem Heraclidis, ut aliquam vitæ suæ aspersam labem, moleste ferret. Adde Valer. Max. III, 8, ext. 5. Bosius.

7. *In ædem Proserpinæ.* Cereris et Jovis filiæ, quæ, quum in campis Ennæis in Sicilia flores legeret, a Plutone rapta est. Vid. Ovidium et mythologos. Hinc in Proserpinæ Cererisque honorem templum a Siculis erectum. — *Jurare cogunt.* Magno, ut vocabatur, jurejurando præstito; quod quo ritu fieret, ita docet Plutarchus in Dione: Qui fidem præstabat in Cereris templum descendens, Deæ purpuram, quibusdam peractis sacrificiis, induebat, tumque facem tenens, se fidem servaturum jurabat.

8. *Hac religione.* Hoc jurejurando, hoc sacramenti vinculo.

Cap. IX. 1. *Hac mente.* Hoc consilio, ut passim. — *Die festo.* Proserpinæ scilicet, per quam juraverat Callicrates. Vide hic Meursium, Græciæ feriatæ lib. IV. — *In conclavi edito.* Alto, sublimi. Solebant veteres, quum vacare precibus, aut sine arbitris agere vellent, in editum locum ascendere, vel etiam huic rei peculiare conclave in superiori parte domus habere.

recubuisset; consciis loca munitiora oppidi tradit, domum custodibus sepit, a foribus qui non discedant, certos præficit : navem triremem armatis ornat, Philostratoque, fratri suo, tradit : eamque in portu agitari jubet, ut si exercere remiges vellet; cogitans, si forte consiliis obstitisset fortuna, ut haberet, quo fugeret ad salutem. Suorum autem e numero Zacynthios adolescentes[2] quosdam eligit, quum audacissimos, tum viribus maximis; hisque dat negotium, ut ad Dionem eant inermes, sic uti conveniendi ejus gratia viderentur venire. Hi propter notitiam sunt intromissi. At illi, ut limen ejus intrarunt, foribus obseratis[3], in lecto cubantem invadunt, colligant : fit strepitus, adeo ut exaudiri posset foris. Hic, sicut ante dictum est, quam invisa sit singularis potentia, et miseranda vita, «Qui se metui, quam amari malunt[4],» cuivis facile intellectu fuit. Namque illi ipsi custodes, si propitia fuissent voluntate, foribus effractis, servare eum potuissent; quod illi inermes, telum foris flagitantes, vivum tenebant. Cui

De Juditha lugente, historia ejus, VIII, 5 : « In superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum. » Actorum X, 9 : « Ascendit Petrus in superiora domus, ut oraret. » De Augusto Suet. LXXIII : « Si quando quid secreto, aut sine interpellatione agere proposuisset, erat illi locus in edito singularis. » De Tiberio Tacitus, Annal. VI, 21 : « Quoties super negotio consultaret, edita domus parte utebatur. » Ceterum Plutarchus ait Dionem ἐν οἰκήματι, κλίνας τινὰς ἔχοντι, cum amicis consedisse. Bosius. — *Certos*. Fidos, ut alibi. *Præficit*. Nempe idem, quem vocat hic Callicratem, alii Callippum. — *Armatis ornat*. Pro instruit. Ita Cæsar, Bell. Gall. III, 14 : (naves) « omni genere armorum ornatissimas. » Lucret. pariter, II, 24, *classem ornatam armis*, pro instructam, ait. Sallust. passim *exornare* ita usurpat. — *Philostrato*. Al. *Philocrati*.

2. *Zacynthios adolescentes*. Quos haud dubie e Zacyntho adduxerat Dion. Ea enim in insula, ut tradunt Diodorus et Plutarchus, milites congregavit, atque inde in Siciliam trajecit. Quod jam annotavimus.

3. *Foribus obseratis*. Has ab illis, qui foris erant, clausas, seu ad se adductas ait Plutarchus. — *Colligant*. Vinculis astringunt.

4. *Qui se metui, quam amari volunt*. Pertinet huc dirum illud Syllano seculo scriptum (Seneca teste, De iræ, I, 16), ac deinceps a Caligula jactatum : *Oderint, dum metuant*. Vide Sueton. Caligul. cap. XXX.

quum succurreret nemo, Lyco[5] quidam Syracusanus per fenestras gladium dedit, quo Dion interfectus est.

X. Confecta cæde, quum multitudo visendi gratia introisset, nonnulli ab insciis[1] pro noxiis conciduntur. Nam, celeri rumore dilato, Dioni vim allatam, multi concurrerant, quibus tale facinus displicebat. Hi, falsa suspicione ducti, immerentes, ut sceleratos, occidunt[2]. Hujus de morte ut palam factum est, mirabiliter vulgi mutata est voluntas. Nam qui vivum eum tyrannum vocitarant, iidem liberatorem patriæ, tyrannique expulsorem prædicabant[3]. Sic subito misericordia odio successerat, ut eum suo sanguine, si possent, ab Acheronte cuperent redimere[4]. Itaque in urbe, celeberrimo loco[5], elatus publice, sepulcri monumento donatus est. Diem obiit circiter annos

5. *Lyco.* Pro *Lycon*, uti Dion dicitur; nimirum prout usus invaluit. Gr. Λύκων, ex more. Tzs. — *Interfectus est.* Adde ex Plutarcho, cap. LVII, sororem ejus cum conjuge prægnante in carcerem conjectam, in quo hæc filium peperit.

Cap. X. 1. *Ab insciis.* Ab iis, qui cædis auctores ignorabant.

2. *Immerentes, ut sceleratos, occidunt.* Sontes insontesque juxta interficiunt. Hoc autem de populi concursu, eaque cæde, nihil apud Plutarchum legitur.

3. *Iidem liberatorem patriæ, tyrannique expulsorem prædicabant.* Neque de hoc quidquam Plutarchus, nec Diodorus; sed hic principatum excepisse Callippum, ac per tredecim menses tenuisse; ille, initio quidem, quum Dionem interfecisset, inclytum, et rerum summa Syracusis potitum ait; sed paulo post pœnas dedisse, eodemque, quo Dion, gladio interfectum. Bosius.

4. *Ab Acheronte cuperent redimere.* Id est, ad vitam revocare cuperent. Ita loquitur Cic. Post red. ad Sen. X. Acheron autem, apud poetas, inferorum fluvius, sic dictus ἀπὸ τοῦ ἄχεος καὶ ῥέω, quasi doloris fluvius.

5. *Celeberrimo loco. Celeberrimo*, ut in præfat. *celebritate*, de loco magna hominum frequentia stipato dicitur. In foro suspicatur Kirchmann, De funer. Rom. II, 26 : nam et istic Græci claros viros sepelire soliti sunt. — *Publice.* Alii ad *donatus est*, alii ad *elatus* referunt; alii denique eligendi arbitrium faciunt. Intelligendum autem puto *elatus publice.* Confer in Arist. III; Conone, IV; Timoleonte, V, et passim.

7. *Sepulcri monumento.* Ita Cicero, Tuscul. I, 14: « Quid ipsa sepulcrorum monumenta, quid elogia significant, nisi nos futura etiam cogitare? » Inconsulte igitur Lambinus vocem *sepulcri* suppositam delendamque putat. Cave credas.

quinquaginta quinque natus, quartum post annum, quam ex Peloponneso in Siciliam redierat.*

* Dionis res gestas memorant Plutarchus in Dione, et alibi; Diodorus Sic. præsertim XV et XVI; Suidas; Laertius in Platone; Ælianus, Var. histor. III, 4, et XII, 47; Plato sæpius, ut et Cicero, præsertim Tusc. V, 20, 21, 22; Val. Max. III, 8, ext. 5; IV, 1, ext. 3 Boecl. Adde in primis apud nos *Rollin, Histoire Ancienne*, livre XI, chapitre 1 et 2; *Barthélemy, Voyage d'Anacharsis*, chap. 37 et 60, etc.



XI.

IPHICRATES.

ARGUMENTUM.

Cap. I; Iphicrates disciplina militari nobilis. — II; Bellum gerit cum Thracibus; Lacedæmonios fugat; Persarum conductitiis præest; Epaminondam retardat. — III; Ejus indoles et dotes; filii exprobratio de uxore barbara.

Iphicrates, Atheniensis, non tam magnitudine rerum gestarum, quam disciplina militari nobilitatus est. Fuit enim talis dux [1], ut non solum ætatis suæ cum primis compararetur, sed ne de majoribus natu quidem quisquam anteponeretur. Multum vero in bello est versatus, sæpe exercitibus præfuit [2]; nusquam culpa sua male

Cap. I. 1. *Fuit enim talis dux.* « Hujus (Iphicratis) adolescentis supra ætatem virtus admirabilis fuit; nec unquam ante eum Athenienses, inter tot tantosque duces, aut spei majoris, aut indolis maturioris, imperatorem habuerunt: in quo non imperatoriæ tantum, verum et oratoriæ artes fuere. » Justin. VI, 5. — *De majoribus natu.* Id est, de summis imperatoribus, qui superioribus ætatibus vixerant.

2. *Sæpe exercitibus præfuit.* Viginti quidem annos natus, teste Justino, VI, 5, imperator factus est. — *Nusquam culpa sua male rem gessit.* Recte addidit *culpa*: quippe omnino nusquam male rem gessisse, affirmare non poterat; nam aliquando victum, in locum asperum, et plenum arboribus fugisse, e Polyæno, III, 6, cognoscimus. In Ægypto quoque, sed Pharnabazi culpa, eum male rem gessisse, Diodorus, XV, 43, docet. Denique, quo tempore Lacedæmoniis subsi-

rem gessit; semper consilio vicit; tantumque eo valuit, ut multa in re militari partim nova attulerit, partim meliora fecerit: namque ille pedestria[3] arma mutavit, quum, ante illum imperatorem, maximis clypeis, brevibus hastis, minutis gladiis uterentur. Ille e contrario peltam pro parma fecit[4] (a quo postea peltastæ pedites appellantur), ut ad motus concursusque essent leviores: hastæ modum duplicavit: gladios longiores fecit: idem genus loricarum

dio adversus Thebanos missus est, ab eo omnia partim temere, partim nullo cum fructu gesta esse refert, exemplisque declarat Xenophon. Hist. gr. VI, extr. Bosius. — *Consilio.* Hinc στρατηγικὴν ἀγχίνοιαν illi tribuit Diodorus, XV, 44; qui cum nostro utiliter conferri potest. Tzs. Iphicrates quantum valuerit consilio, testantur ejus strategemata præclara, a Frontin. I, 4, 7; I, 5, 24, et alibi relata. — *Ut multa in re militari.* Consentanea his tradit Diod. XV, 44, ex iisdem historicis descripta, unde noster expressit. L.

3. *Pedestria.* Id est, quibus utebantur pedites. — *Clypeis.* Clypei, inquit Servius, Æneidos VII, 686, « scuta majora; dicti ab eo, quod celent corpus, id est, ἀπὸ τοῦ κλέπτειν. » Idem Servius, alio loco: *clypei peditum sunt, scuta equitum.* Clypeus rotundus erat; scutum vero formæ oblongæ, majusque clypeo. Itaque, ut ait Livius, I, 43, pro clypeo secundæ classi datum est, quod sine lorica essent, ut scutum et clypei et loricæ loco esset, et totum corpus protegeret. Clypeum ἀπὸ τοῦ γλύφειν, hoc est, scalpere, cælare, deducit Plinius, XXXV, 3: « Scutis enim, inquit, qualibus apud Trojam pugnatum est, continebantur imagines, unde et nomen habuere clypeorum. » — *Hastis.* *Hasta* ab astare dicta, inquit Varro, quod astans ferri solet. Hastas, si Diodoro credimus, sesquipla magnitudine auxit Iphicrates. — *Gladiis.* *Gladius* *c* in *g* mutato a clade oritur, ait Varr. de ling. lat.; quod fit ad hostium cladem. Gladios fere duplices fecit Iphicrates. Conf. Diodorum.

4. *Peltam pro parma fecit.* *Pelta*, clypeus parma brevior et habilior, lunæ jam mediæ effigiem referens, quo uti solebant Amazones. Virgil. Æneid. I, 494:

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis.

Parma autem clypeus brevis et ovatus, nulla imagine insignis, quo donec egregie quodam facto inclaruerint, tirones utebantur. Tunc quidem temporis scutum majus, suisque facinoribus bellicis decoratum gerebant. Hinc *scuta gentilitia.* Virgil. Æneid. IX, 548:

Ense levis nudo, parmaque inglorius alba.

— *Peltastæ.* Livius, XXXI, 36, bello Macedonico: *quos peltastas vocant.* Ὁπλῖται antea dicti, Diodoro teste. Lactantius quoque *peltastis* vocat, et Livius iterum, XXVIII, 5; sed alii legunt *peltatis.* De aliis hujusce ducis inventis vide in primis Plut. in Pelopida et Suidam.

mutavit, et pro sertis [5] atque æneis linteas dedit. Quo facto [6] expeditiores milites reddidit; nam, pondere detracto, quod æque corpus tegeret, et leve esset, curavit.

II. Bellum cum Thracibus gessit [1] : Seuthen, socium Atheniensium, in regnum restituit. Apud Corinthum [2] tanta severitate exercitui præfuit, ut nullæ unquam in Græcia neque exercitatiores copiæ, neque magis dicto audientes fuerint duci; in eamque consuetudinem adduxit, ut, quum prælii signum ab imperatore esset datum, sine ducis opera sic ordinatæ consisterent, ut singuli ab peritissimo imperatore dispositi viderentur. Hoc exercitu Moram [3] Lacedæmoniorum intercepit : quod maxime tota

5. *Sertis.* Alii *ferreis.* Loricarum genus quoddam annulis ferreis inter se nexis, hamis et laminis consertarum. Plura de his armis peti possunt ex Potteri Archæologia græca, et J. Lips. III, de Milit. Rom. — *Linteas dedit.* Nempe linum in aceto ac sale diu maceratum ad eam crassitudinem cogebatur, ut ferro resisteret. Nihil de loricis Diodor., sed calceamenta militibus fecisse ait Iphicratem, quæ solutu facilia ac levia essent, atque ad sua usque tempora *Iphicratides* vocata sint.

6. *Quo facto.* Totam hanc armorum mutationem ab Iphicrate factam respicit Plutarchus in Pelopida.

Cap. II. 1. *Bellum cum Thracibus gessit.* Ab Atheniensibus missus; Anaxibiumque, Lacedæmoniorum ducem, res Atheniensium in Hellesponto turbantem, fugavit. Vide Xenoph. Hist. Gr. IV, 8; Front. Strateg. I, 4; eumdem, II, 5. — *Seuthen.* De quo supra in Alcibiade, VIII.

2. *Apud Corinthum.* Meminere Diodorus, XIV, 91; Polyænus, III, et Xenophon, H. Gr. IV, 4, 8 et sq. — *Tanta severitate.* Vel unum severitatis exemplum pro multis sit: « Quum præsidio Corinthum teneret, et sub adventum hostium ipse vigilias circumiret, vigilem, quem dormientem videret, transfixit cuspide. Quod factum quibusdam tanquam sævum increpantibus: *Qualem inveni*, inquit, *talem reliqui.* » Front. Strategem. III, 12, 2 Epimondas Thebanus idem fecisse dicitur. Id., III; 12, 3. — *Neque.* Notandum, quum præcedat *nullæ*; quod Græcorum more, ubi fortius negare volunt, optimi adhibent auctores. Ita apud Ciceronem : « Negabunt id nisi sapienti non posse concedi; » et alibi : « Neminem unquam non re, non verbo, non vultu denique offendi. » Ita Liv. III, 11 : « Ut nemo non lingua, non manu promptior in civitate haberetur. » Quod quidem, multo sæpius elegantiusque fit, quum, disjunctivæ conjunctionis *vel* loco, usurpatur negativa. Ita Cicero ipse, Acad. I, 2: « Quod bonum quale sit, negat Epicur... nec suspicari. »

3. *Moram.* Μόρα, apud Lacedæ-

celebratum est Græcia. Iterum [4] eodem bello omnes copias eorum fugavit; quo facto magnam adeptus est gloriam. Quum Artaxerxes Ægyptio regi [5] bellum inferre voluit, Iphicratem ab Atheniensibus petivit ducem, quem præficeret exercitui conductitio, cujus numerus duodecim millium fuit; quem quidem sic omni disciplina militari erudivit, ut, quemadmodum quondam Fabiani [6] milites Romani appellati sunt, sic Iphicratenses apud Græcos in summa laude fuerint. Idem, subsidio Lacedæmoniis [7] profectus, Epaminondæ retardavit impetus; nam, nisi ejus adventus appropinquasset, non prius Thebani Sparta abscessissent, quam captam incendio delessent.

III. Fuit autem et animo magno et corpore, imperatoriaque forma [1], ut ipso aspectu cuivis injiceret admirationem

monios, pars exercitus, quæ milites quingenos vel amplius pro temporum ratione complectebatur. Huic, quatuor in λόχους divisæ, præerat πολέμαρχος.

4. *Iterum.* De hac victoria nihil aliunde constat. *Artaxerxes* vero, Mnemon cognomine, Persarum rex.

5. *Ægyptio regi.* Pro regi Ægypti vel Ægyptiorum, Græcis ac Latinis usitatissimum. Rex erat Achoris, qui bellum adversus Persas comparabat. In cujus mortui locum forte successit Nectanebis, quem memorat Diodorus Siculus, XV, 42. Vide in Chabria, II. — *Conductitio.* Conductitius ille est exercitus, μισθωτὸς, qui ex peregrinis constat militibus mercede conductis, seu mercenariis. — *Duodecim.* Imo viginti millia, si Diodoro fides. Ceterum Iphicrates hoc in bello male rem gessit, eo quod inter eum et Pharnabazum magna orta esset contentio. Hac de re vide Plutarchum in Artaxerxe, XXIV, et Diodorum Siculum, XV, 43.

6. *Fabiani.* Sic dicti a Fabio Maximo, qui vires Annibalis, secundo Punico bello, attrivit. Illius passim, ut a Velleio, II, 5, militaris disciplina laudatur.

7. *Lacedæmoniis.* Post cladem Leuctricam, victoribus Thebanis, quorum dux erat Epaminondas: qua accepta clade, Lacedæmoniorum opes conflictatæ sunt. Lambin. Admiranda hic quum fortunæ vicissitudo, dum Spartani auxilium ab Atheniensibus petunt, quorum paulo ante muros diruerant, totamque urbem exscindere voluerant; tum magnitudo animi Atheniensium, qui, pristinarum injuriarum immemores, nec potentia Thebanorum deterriti, auxilium non denegant. Quod, hac re commemorata, observavit Diodorus Siculus, XV, 63. Bosius.

Cap. III. 1. *Imperatoriaque forma.*

sui. Sed in labore remissus nimis [2], parumque patiens; ut Theopompus memoriæ prodidit; bonus vero civis, fideque magna: quod quum in aliis rebus declaravit, tum maxime in Amyntæ Macedonis liberis tuendis. Namque Eurydice [3], mater Perdiccæ et Philippi, cum his duobus pueris, Amynta mortuo, ad Iphicratem confugit, ejusque opibus defensa est. Vixit ad senectutem, placatis in se suorum civium animis. Causam capitis semel dixit [4], bello sociali, simul cum Timotheo; eoque judicio est absolutus. Menesthea filium reliquit, ex Thressa [5] natum, Cotyis regis filia. Is quum interrogaretur, utrum pluris patrem, matremne faceret: Matrem, inquit. Id quum omnibus mi-

Quæ his Trebellii Pollionis recte verbis explicantur: « Ea corporis magnitudine, ut dignus videretur imperio. » Ita de Julio Cæsare *Vertot*, *Révol. Rom.* l. XIII: *La nature, qui semblait l'avoir fait naître pour commander au reste des hommes, lui avait donné un air d'empire et de dignité.*

2. *Remissus nimis, parumque patiens.* Qui pugnare secum Nepotem, in cap. I, contendunt, Theopompi scriptoris, ut, Alcib. II, noster fatetur, maledicentissimi, verba referri cogitent. Neque tamen ex iis, quæ vitæ hujus initio narrantur, efficitur, ut Iphicrates laborum valde patiens fuerit. Potuit enim « disciplina militari nobilitari, sæpe exercitibus præesse, consilio valere, copias exercitatas habere, omnique disciplina militari erudire; » et tamen *in labore remissus nimis, parumque patiens esse*: hæc enim inter se non pugnant.

3. *Eurydice.* Latius hæc apud Æschinem, orat. de falsa legatione, haud longe a principio. Vide quoque Curtii supplementum in principio, ubi de Eurydice et Perdicca sermo est. — *Cum his duobus pueris.* Macedonum rex Amyntas « Ex Eurydice tres filios sustulit, Alexandrum, Perdiccam, et Philippum, Alexandri Magni Macedonis patrem, et filiam Euryonem. » Justin. VII, 4.

4. *Causam capitis semel dixit.* Proditionis accusatus, quod Chareti collegæ, socios rebelles adorturo, obsequi noluisset, Diodor. Sic. XVI. — *Bello sociali.* Quod per triennium gesserunt Athenienses adversus Byzantinos, Chios, Rhodios et Coos, qui, fœdere inito, Atheniensibus bellum intulerant. Diodor. — *Est absolutus.* Orationem ab Iphicrate in judicio habitam laudat Dionys. Halicarnass. de Lysia. Stricto autem gladio judices terruisse, absolutionemque expugnasse narrat cum aliis Polyænus, III, 9, 29.

5. *Thressa.* Muliere Thracia. De quo Menestheo vide in Timotheo, III. *Cotys* autem, Thraciæ rex.

rum videretur, at [6] ille : Merito, inquit, facio ; nam pater[7], quantum in se fuit, Thracem me genuit ; contra ea mater, Atheniensem. *

6. *At.* Indignantis. Forte *at* conjungi debet cum *merito facio.*

7. *Nam pater.* Timothei filius vocatur Iphicrates, Pausan. l. IX. Istum autem locum suspectum habet Bosius : quippe noster in Timotheo, III, Menestheum, Iphicratis filium, Timothei generum vocat. Plutarchus contra eum despectui fuisse habitum memorat, quod cerdonis (σκυτοτόμου) filius existimaretur, eumque refert Harmodio cuidam, generis ignobilitatem exprobranti, respondisse: Τὸ μὲν ἐμὸν ἀπ' ἐμοῦ γένος ἄρχεται, τὸ δὲ σὸν ἐν σοὶ παύεται. — *Quantum in se fuit*, etc. Sic patris cum barbara muliere matrimonium carpere videtur, eumque solum arguere, si quid a Græcorum moribus et urbanitate alienum haberet : ejus enim pater, quantum in se fuit, Thracem genuit, quippe qui, Atheniensis, Thressam duxisset uxorem ; mater contra, quantum potuit, Atheniensem fecit, quum viro nupserit Atheniensi. Simile apud Athenæum, XIII, 5, Timothei responsum legitur ; qui, quum aliquando irrideretur, quod matre Thressa et meretrice genitus esset, respondit : Καὶ χάριν γε αὐτῇ οἶδα, ὅτι δι' αὐτὴν Κόνωνος εἰμὶ υἱός. — *Contra ea.* Pro *contra.* Ita Cornel. Nepos, Cæsar, Sallustius, aliique passim loquuntur.

* De Iphicrate vide Aristot., Rhetoricis ; Diod. Sic. XIII, XIV, XV, XVI ; Plutarch. passim ; Xenoph. Hist. Græc. ; Æschinem, de falsa legatione, et in Ctesiphontem ; Polyænum, III ; Athenæum, IV et XII ; Suidam ; Frontinum passim ; Justinum, VI, 5. Boecler. Adde Demosthenem, exord. 50 ; orat. contra Midiam, et orationem contra Aristocratem. Bosius. Et in primis apud nos, *Rollin*, *Hist. Anc.* l. XII, ch. 1, et liv. XIII ; *Barthélemy*, *Voyage d'Anacharsis*, etc.



XII.

CHABRIAS.

ARGUMENTUM.

CAP. I; Chabrias, novo pugnandi modo invento, clarus. — II; Res ejus cum Nectanebo Ægyptio, et Evagora Cyprio. Classi Ægyptiæ præest. — III; Domum revocatur; propter invidiam plerumque abest. — IV; In bello sociali, a suis desertus, interficitur.

CHABRIAS, Atheniensis. Hic quoque in summis habitus est ducibus, resque multas [1] memoria dignas gessit. Sed ex his elucet maxime inventum ejus in prælio [2], quod apud Thebas fecit, quum Bœotiis subsidio venisset: namque in eo, victoria fidente summo duce Agesilao [3], fugatis jam ab eo conductitiis catervis, reliquam phalangem

CAP. I. 1. *Res multas.* Navalem apud Naxum victoriam memorare, forte quia Phocion præerat, omisit Nepos. De qua vide Diodorum, XV, cap. 32, 33, sqq. et Æschinem, adversus Ctesiphontem. Chabriam res memoria dignas non tantum gessisse, sed etiam dixisse testatur Plutarchus in Apophtegmatis. In primis dictitabat terribiliorem esse cervorum, duce leone, quam leonum, duce cervo, exercitum.

2. *In prælio.* Adversus Lacedæmonios, quo auxiliariis Atheniensibus præerat.

3. *Namque in eo, victoria fidente summo duce Agesilao.* Id est, quum in hoc prælio victoriæ jam certus esset Agesilaus, vel de victoria, tanquam certa, fiduciam haberet. —*Reliquam phalangem.* Apud Macedones agmen erat octo peditum millibus constans, qui, consertis clypeis, pressisque ordinibus pu-

loco vetuit cedere, obnixoque genu scuto, projectaque hasta impetum excipere hostium docuit. Id novum Agesilaus contuens, progredi non est ausus, suosque jam incurrentes tuba revocavit. Hoc usque eo [4] tota Græcia fama celebratum est, ut illo statu Chabrias sibi statuam fieri voluerit, quæ publice ei ab Atheniensibus in foro constituta est. Ex quo factum est, ut postea athletæ, ceterique artifices [5], his statibus in statuis ponendis uterentur, in quibus victoriam essent adepti.

II. Chabrias autem multa in Europa bella administravit, quum dux Atheniensium esset; in Ægypto sua sponte [1] gessit : nam Nectanabin [2] adjutum profectus, regnum ei constituit. Fecit idem Cypri [3], sed publice ab Atheniensibus Evagoræ adjutor datus : neque prius inde

gnabant. Hic vero, stabile agmen Atheniensium. — *Obnixoque genu scuto*. Clypeis ad genu firmiter acclinatis. Καὶ τὰς ἀσπίδας πρὸς τὸ γόνυ κλίναντας. Diodorus. Τὰς ἀσπίδας πρὸς γόνυ προσερεισαμένους. Polyænus. — *Projectaque hasta*. Id est, porrecta, vel adversus irruentem hostem erecta. Τὰ δόρατα ὀρθὰ προτεινομένους. Polyænus. Ἐν ὀρθῷ δόρατι μένειν. Diodorus.

4. *Usque eo*. Pro *adeo*. — *In foro*. Veteri scil., ubi et aliæ illustrium virorum statuæ et *omnia rerum præclararum* (ut Æschines ait contra Ctesiph.) *monumenta collocata*. Vide Meursii Ceramicum geminum, c. XVI. Bos.

5. *Ceterique artifices*. Veluti scenici, musici, pantomimi, aliique ejus modi. — *His statibus in statuis ponendis uterentur*. Id est, in eo corporis habitu statuas sibi ponendas curarent, in quo victoriam retulissent. Hisce enim statuis, quæ victis incitamento essent, decorabantur palæstræ. MS. Ern. : *iisdem statibus*.

Cap. II. 1. *In Ægypto sua sponte*. Id est, privato consilio, sine publica auctoritate. Unum duntaxat bellum a Plutarcho et Diodoro commemoratur, in quo classi præfuit Chabrias. *Multa* igitur vel *nulla* quædam edd. inconsulte habent. Intelligendum vero est *bellum*.

2. *Nam Nectanabin*. Quem Plut. in Ages. Νεκτάναβιν perpetuo vocat; Polyænus, II, in Agesil. Νεκτάναβον. Idem, l. III, perhibet Chabriam Thamo adfuisse; qui Thamus erit, quem Plutarchus aliique Tachum vocant. Ceterum nihil de his regibus inter veteres constat.

3. *Fecit idem Cypri*. In Cypro insula. De hac expeditione vide in primis Xenophontem, III, 1, Hist. Gr. — *Sed publice*. Opponitur *sua sponte*. — *Evagoræ*. Qui, olympiade XCVII, in regnum suum restitutus, universam insulam in ditionem suam vindicare instituit, et paulo post ab Artaxerxe Mnemone bello fuit vexatus. Vide Isocrat. in Evagor.

mus[3] studet portum intrare, et gubernatorem jubet eo dirigere navem, ipse sibi perniciei fuit. Quum enim eo penetrasset, ceteræ non sunt secutæ. Quo facto circumfusus[4] hostium concursu, quum fortissime pugnaret, navis, rostro percussa, cœpit sidere: hinc refugere quum posset, si se in mare dejecisset, quod suberat classis Atheniensium, quæ exciperet natantis; perire maluit, quam armis abjectis[5] navem relinquere, in qua fuerat vectus. Id ceteri facere noluerunt, qui nando in tutum pervenerunt; at ille præstare honestam mortem existimans turpi vitæ, cominus pugnans telis hostium interfectus est[6]. *

3. *Nam dum primus.* Fuit enim in periculis adeundis calidior, quam cautior; in aliis segnis et tardus. Vide Plutarchum, Phocione. Bosius. — *Studet.* Festinat. Hinc studium, σπουδὴ, festinatio, in primis apud Cæsarem passim.

4. *Circumfusus* etc. Eleganti metaphora hostium undique instantium multitudinem exprimit; tum notanda orationis latinæ forma, qua, participio præmisso, *quum* subjici solet, quod in primis frequentat Livius. Tzs. — *Rostro.* Navis Chabriæ, rostro adversariæ navis icta. Lambin. — *Sidere.* Subsidere, mergi, obrui undis. Nam sidere anchoræ dicuntur, quæ fundo infixæ hærent. Horat. Epod.V, 79: Priusque cœlum sidet inferius mari.

5. *Armis abjectis.* Quod probrum erat et dedecus militare.

6. *Interfectus est.* Plutarchus tamen, in vita Phocionis, refert Chabriam, imperatorii muneris oblitum, se temere periculis objectasse: quum enim in pugna navali pro exponendo in terram milite audacius in hostes incurrentes se effudisset, pugnantem confossum esse. Loccen. Ceterum Chabrias periit, archonte Cephisidoro, olympiad. cv anno tertio. Gebhard. Sepulcrum ejus extabat Athenis extra oppidum in Ceramico, teste Pausania, de quo lapides filius Ctesippus vendebat, ut haberet quod voluptatibus insumeret: testis Athenæus, IV. Conf. Meursii Ceramicum, c. XXI. Bos.

* Chabriam amplius narravere Diodor. Sic. XV et XVI; Xenoph. Hist. Gr. V; Plutarch. in Phocione; Demosth. contra Leptin.; Polyæn. II; Athen. XII; Frontin. I, 4, 14, et II, 12, 12. Boecler. Adde *Rollin, Hist. Anc.* XIII. *Barth.* et alios.



XIII.

TIMOTHEUS.

ARGUMENTUM.

CAP. I. Timothei virtutes et res gestæ. — II; Ipsi, Lacedæmoniorum victori, statua ponitur. — III; Senex Menestheo prætori in consilium datur. A Charete prætore accusatus damnatur. — IV; Filius ejus Conon muros reficere cogitur. Jasonis erga Timotheum fides.

TIMOTHEUS, Cononis filius [1], Atheniensis. Hic a patre acceptam gloriam multis auxit virtutibus [2]. Fuit enim disertus [3], impiger, laboriosus, rei militaris peritus, neque minus civitatis regendæ. Multa hujus sunt præclare facta, sed hæc maxime illustria. Olynthios et Byzantios bello subegit [4]. Samum cepit : in qua oppugnanda, superiore

CAP. I. 1. *Cononis filius*. Ex Thressa, meretrice quidem primum; sed quæ postea exemplar clarissimum modestiæ evasit. Timotheus autem, quum matris conditio sibi objiceretur : « Atqui, inquit, per eam sum Cononis filius. » Auctor Athenæus, XIII, 5, jam in Iphicrate III laudatus.

2. *A patre acceptam gloriam multis auxit virtutibus*. Idem de Timotheo testatur Cicero de Officiis, I, 32 : « Timotheus, Cononis filius, qui quum belli laude non inferior fuisset quam pater, ad eam laudem doctrinæ et ingenii gloriam adjecit. »

3. *Disertus*. Πείθων μὲν διὰ τῆς τοῦ λόγου δυνάμεως. Diod. Sic. XV, 36. Isocrate magistro, quem ditavit, v. Plut.; Platone familiari usus est. Teste Cic. III, de Orat. et Tuscul. V, 35. — *Rei militaris peritus*. Etsi invidi æmulique res ab illo egregie gestas fortunæ tribuerunt, ut narrat Plutarchus, in Sylla, VI. TZS. — *Impiger* agendi alacritatem, alterum constantiam indicat. Idem.

4. *Olynthios et Byzantios bello sub-*

bello[5], Athenienses mille et ducenta talenta consumpserant. Id[6] ille sine ulla publica impensa populo restituit. Adversum Cotym[7] bella gessit, ab eoque mille et ducenta talenta prædæ in publicum retulit. Cyzicum[8] obsidione liberavit. Ariobarzani[9] simul cum Agesilao auxilio profectus est. A quo quum Laco[10] pecuniam numeratam accepisset, ille cives suos agro atque urbibus augeri maluit, quam id sumere, cujus partem domum suam ferre posset. Itaque accepit Crithoten et Sestum.

II. Idem, classi præfectus, circumvehens[1] Peloponnesum, Laconicam populatus, classem eorum fugavit. Corcyram sub imperium[2] Atheniensium redegit; sociosque idem adjunxit Epirotas, Athamanas, Chaonas, omnesque eas gentes, quæ mare illud adjacent. Quo facto Lacedæmonii de diutina contentione destiterunt, et sua sponte

egit. Nempe eorum urbibus expugnatis. *Samum* quoque *cepit.* Vid. Polyænum, lib. III, cap. 10. Tanta in expugnandis urbibus usus est felicitate, ut eum dormientem ac manu rete tenentem, in quod ipsa fortuna urbes conjiciebat, depinxerint. Hanc autem picturam ægre tulit Timotheus. Vide Perizon. ad Ælian. Var. Hist. XIII, 43.

5. *Superiore bello.* Quo Pericles, post magnam cladem, Samum ceperat. Vide Plut. in Pericle, XXV, sqq.

6. *Id.* Hoc argenti pondus. Alii *hanc.*—*Restituit.* Per prædam, de qua infra: quippe quæ, ut impensa, mille et ducentis talentis constaret.

7. *Cotym.* Paphlagonum regem. Alter, in Iphicrate, III, Cotys, Thracum rex.

8. *Cyzicum.* Vide Diodor. XV, 81.

9. *Ariobarzani.* Hic Phrygiæ satrapes, qui cum Tacho, Ægyptiorum rege, in Persas, teste Diodoro, XV, 90, conspiravit. Utrum de eodem Ariobarzane loquatur noster in Datame, X, non liquet. Ceterum hujusce belli mentio fit apud Demosthenem, in oratione de libertate Rhodiorum.

10. *A quo quum Laco. A quo* Ariobarzane, *Laco* Agesilaus. Hæ autem ita junctæ voces ingrate sonant.

Cap. II. 1. *Circumvehens.* Pro circumvectus, scilicet classe; ut Cic. in Brut. XCVII: « Quadrigis vehentem, » pro vectum. — *Laconicam.* Supple regionem. — *Eorum.* Synthesis, pro ejus, seu Peloponnesi.

2. *Corcyram sub imperium,* etc. Sic quoque Xenophon, Hist. Gr. V; et Æschines, orat. adversus Ctesiphontem. Bosius. — *Quæ mare illud adjacent.* Veteri loquendi modo, pro quæ ad mare illud jacent. *Jacere* etiam de gentibus verbum geographicum. « Quæ gens jacet supra Ciliciam. » Infra in Datame, IV.

Atheniensibus imperii maritimi principatum concesserunt; pacemque[3] his legibus constituerunt, ut Athenienses mari duces essent. Quæ victoria[4] tantæ fuit Atticis lætitiæ, ut tum primum aræ Paci publice sint factæ, eique Deæ pulvinar sit institutum. Cujus laudis ut memoria maneret, Timotheo publice statuam in foro[5] posuerunt: qui honos huic uni ante id tempus contigit, ut, quum patri populus statuam posuisset, filio quoque daret. Sic juxta posita recens filii, veterem patris renovavit memoriam.

III. Hic quum esset magno natu, et magistratus gerere desisset, bello Athenienses undique premi sunt cœpti. Defecerat Samus[1]: descierat Hellespontus: Philippus jam tum valens Macedo multa moliebatur; cui oppositus Chares quum esset, non satis in eo præsidii putabatur.

3. *Pacemque*. De qua Demosthenes, orat. de Corona. Bosius.

4. *Quæ victoria*. Ad Leucada, Acarnaniæ oppidum, Olympiad. CI anno primo. — *Ut tum primum aræ*, etc. Aras Paci jam, olympiad. LXXVII anno tertio, positas post Cimonis in Persas ad Eurymedont. victoriam narrat Plutarchus in Cimone, XIII, quum ad Leucada, ut supra diximus, olympiad. CI anno primo, pugnatum fuerit. — *Pulvinar*. Pulvinaria lectuli erant in templis, pulvinis instructi, ubi Deorum statuæ adorandæ proponebantur. Interdum ante lectulos mensæ ferculis onustæ struebantur, quasi Dii essent accubituri, idque lectisternium vocabatur. Hunc Græcorum morem usurparunt Romani. Inde Horat. sodales suos, ob victoriam Actiacam, ad lætitiam hortatus:

Nunc Saliaribus
Ornare pulvinar deorum
Tempus erat dapibus, sodales. Od. I, 37.

5. *In foro*. Veteri scilicet. Vide Meursii Ceramicum, c. XVI; et sup. Chabriam, I. Pausanias, in Atticis, prope porticum (quæ *regia* dicta, et ingredienti Ceramicum prima occurrebat ad dextram) stetisse Cononem et Timotheum ejus filium tradit. Idem et in ara Cecropia utramque positam scribit. Denuo Meursium vide, cap. III; et in Cecropia, cap. XIII. Bosius.

Cap. III. 1. *Defecerat Samus*. Quæ insula a Pericle in Atheniensium potestatem fuerat redacta. Diodor. XII, 27, 28. — *Hellespontus*, etc. Id est, populi ad Hellespontum ab Atheniensium partibus defecerant. — *Philippus*. Alexandri Magni pater. — *Multa moliebatur*. Plurima dominationis studiosus machinabatur. « Catilina interea Romæ multa simul *moliri*. » Sall. Cat. XXVII. *Moliri* de consiliis arduis, operosoque studio perficiendis, apte dicitur. — *Non satis in eo præsidii putabatur*. Erat enim imprudens, stolidus, superbus, contumax, imperitus, et

Fit Menestheus prætor, filius Iphicratis, gener Timothei, et, ut ad bellum proficiscatur, decernitur. Huic in consilium dantur duo usu et sapientia præstantes, quorum consilio uteretur, pater et socer[2]: quod in his tanta erat auctoritas, ut magna spes esset, per eos amissa posse recuperari. Hi quum Samum[3] profecti essent, et eodem Chares, adventu eorum cognito, cum suis copiis proficisceretur, ne quid absente se gestum videretur; accidit, quum ad insulam appropinquaret, ut magna tempestas oriretur. Quam evitare duo veteres imperatores utile arbitrati, suam classem suppresserunt[4]. At ille[5], temeraria usus ratione, non cessit majorum natu auctoritati, et, ut in sua navi esset fortuna, quo contenderat, pervenit; eodemque ut sequerentur, ad Timotheum et Iphicratem nuntium misit. Hinc, male re gesta, compluribus amissis navibus, eodem, unde erat profectus, se recepit, litterasque Athenas publice misit, sibi proclive[6] fuisse Samum capere, nisi a Timotheo et Iphicrate desertus esset. Ob eam rem in crimen vocabantur; populus acer, suspicax, mobilis, adversarius, invidus etiam potentiæ, domum revocat: accusantur proditionis. Hoc judicio[7] damnatur

nihil præ milite quovis egregium habens. Bosius. Vide Diodor. XVI, 85; et supra Chabria, III, not. 6.

2. *Huic in consilium, etc. pater et socer*. Id est, Juveni Menestheo duo viri experientia ac prudentia præstantes, eum suis consiliis adjuturi, dantur, Iphicrates scilicet et Timotheus. MS. Boecler. *In consilio*.

3. *Hi quum Samum profecti essent*. Diod. Sic. XVI, 21, non Menestheum cum Iphicrate et Timotheo classi præfuisse, sed Iphicratem et Charetem; neque illos Samum, sed Byzantium oppugnasse tradit; nisi forte, quæ ibi narrat Diodorus, alio tempore gesta sunt. Lamb.

4. *Suam classem suppresserunt*. Scilicet a cursu represserunt.

5. *At ille*. Chares scilicet. Diodorus enim, XVI, 21, hæc omnia a Charete facta scribit. — *Temeraria usus ratione*. Temere egit. His enim ratio pro modo agendi usurpatur. — *Ut in sua navi esset fortuna*. Notum illud Cæsaris ad paventem nautam: *Cæsarem fers et fortunam ejus*. Alii *ut si in sua*.... legunt.

6. *Proclive*. Factu facile. Ita Cæsar, de Bell. Civ. I, 48: « Quibus erat *proclive* transnare flumen. »

7. *Hoc judicio damnatur*. Aristo-

Timotheus, lisque ejus æstimatur centum talentis. Ille, odio ingratæ civitatis coactus, Chalcidem se contulit[8].

IV. Hujus post mortem quum populum judicii sui pœniteret, multæ novem partes detraxit, et decem talenta Cononem, filium ejus, ad muri quamdam partem reficiendam jussit dare. In quo fortunæ varietas[1] est animadversa. Nam quos avus Conon muros ex hostium præda patriæ restituerat, eosdem nepos, cum summa ignominia familiæ, ex sua re familiari reficere coactus est. Timothei autem moderatæ sapientisque vitæ[2] quum pleraque possimus proferre testimonia, uno erimus contenti; quod ex eo facile conjici poterit, quam carus suis fuerit. Quum Athenis adolescentulus causam diceret[3], non solum amici privatique hospites ad eum defendendum convenerunt; sed etiam in eis Jason tyrannus, qui illo tempore fuit omnium potentissimus. Hic quum in patria sine satellitibus se tutum non arbitraretur, Athenas sine ullo præsidio venit; tantique hospitem fecit, ut mallet se capitis periculum adire, quam Timotheo, de fama dimicanti, deesse[4]. Hunc adversus tamen Timotheus postea, populi jussu, bellum gessit; patriæque sanctiora jura, quam hospitii, esse duxit. Hæc extrema fuit ætas imperatorum

phonte eum præcipue accusante. Vide Ælian. Var. Hist. XIV, 3.

8. *Chalcidem se contulit.* Et in hoc exilio vita cessit. Confer Perizon. ad Ælian. Var. Histor. III, 47.

Cap. IV. 1. *Fortunæ varietas.* « Varietas est propria fortunæ. » Cicero, de Divinatione, lib. II.

2. *Moderatæ sapientisque vitæ.* De Timothei sapientia testimonium egregium dedit Hegesander apud Athenæum, descriptum ab Æliano, Var. Histor. II, 18.

3. *Causam diceret.* Id est, accusaretur. Causa ipsa alteram expeditionem Corcyream spectat. De qua conf. supra cap. II. — *Jason.* Pherarum in Thessalia tyrannus, cujus meminere Xenophon, Diodorus, Plutarchus, aliique complures: « Divinæ fortunæ vulnus Pheræo Jasoni quidam exitii ejus cupidus intulit. Nam quum inter insidias gladio eum percussisset, vomicam, quæ a nullo medicorum sanari potuerat, ita rupit, ut hominem pestifero malo liberaret. » Teste Val. Maxim. l. I, cap. 8 de Miraculis, ext. 6.

4. *Deesse.* Locutio e foro desumpta, cui contrarium est *adesse.* Harl.

Atheniensium[5], Iphicratis, Chabriæ, Timothei : neque post illorum obitum quisquam dux in illa urbe fuit dignus memoria.*

5. *Hæc extrema fuit ætas imperatorum Atheniensium.* Hi fuerunt extremi Atheniensium imperatores. Extitit tamen postea Phocion. Sed, ut ipse fatetur noster, XIX, 1 : « Multo ejus notior integritas vitæ, quam militaris labor. »

* De Timotheo vide Diodorum Siculum, XV et VI; Athen. XIII; Suidam; Plutarch. in Sylla; Ælian. Var. Hist. II, 10; Cicer. sæpius; Frontin. I, 2, 11, et II, 5, 47; Polyæn. III, 10; Demosth. orat. περὶ τῶν ἐν Χεῤῥονήσῳ. Boecler. Adde in primis apud nos *Rollin, Hist. Anc.* liv. XIII; *Barth., Voy. d'Anach.* etc.



XIV.

DATAMES.

ARGUMENTUM.

Cap. I; Datames barbarorum clarissimus. Bello Artaxerxis contra Cadusios, Ciliciæ partem, meretur. — II; Thyum vivum capit. — III; Captum ad regem adducit. Copiis contra Ægyptios præficitur. — IV; Revocatur. Aspim Cappadocem capit. — V; Aulicorum insidias edoctus, Cappadociam sibi et Paphlagoniam occupat. — VI; In bello adversum Pisidas amittit filium. Proditores et hostes Pisidas superat. — VII; A filio natu maximo proditur. — VIII; Autophradatem, contra se missum, vincit. — IX; Regis insidias callide declinat. — X; Mithridatis dolo capitur. — XI; In colloquio per fraudem occiditur.

Venio nunc ad fortissimum virum, maximique[1] consilii omnium barbarorum; exceptis duobus Carthaginiensibus, Hamilcare et Hannibale. De quo hoc plura referemus, quod et obscuriora[2] sunt ejus gesta pleraque; et ea, quæ prospere ei cesserunt, non magnitudine copiarum, sed consilii, quo tantum non omnes superabat, acciderunt.

Cap. I. 1. *Maximique consilii.* Maximaque prudentia præditum. — *Hamilcare et Hannibale.* Quorum inf. XXII et XXIII leguntur vitæ.

2. *Obscuriora.* Pauca admodum de Datame, rebusque ab eo gestis, exposuerunt Diodorus Siculus, Polyænus, et Frontinus. — *Quæ prospere ei cesserunt.* Res ejus feliciter gestæ, victoriæ. Ita loquitur Sallust. Catil. XXVI. « Neque insidiæ, quas consulibus in campo fecerat, *prospere cessere.* » — *Tantum non.* Fere, propemodum, μονονού.

Quorum nisi ratio[3] explicata fuerit, res apparere non poterunt. DATAMES, patre Camissare[4], natione Care, matre Scythissa natus, primum militum numero fuit apud Artaxerxem eorum, qui regiam tuebantur. Pater ejus Camissares, quod et manu fortis, et bello strenuus, et regi multis locis fidelis erat repertus, habuit provinciam partem Ciliciæ juxta Cappadociam, quam incolunt Leucosyri. Datames militare munus fungens[5] primum, qualis esset, apparuit in bello, quod rex adversus Cadusios gessit. Namque hic multis millibus regiorum interfectis, magni[6] fuit ejus opera. Quo factum est, ut, quum in eo bello cecidisset Camissares, paterna ei traderetur provincia.

II. Pari se virtute postea præbuit, quum Autophradates[1] jussu regis bello persequeretur eos, qui defecerant. Namque hujus opera[2] hostes, quum castra jam intrassent, profligati sunt, exercitusque reliquus conservatus regis est: qua ex re majoribus rebus præesse cœpit. Erat eo tempore Thyus, dynastes[3] Paphlagoniæ, antiquo genere natus a Pylæmene illo, quem Homerus Troico bello a Patroclo interfectum ait. Is regi dicto audiens non erat.

3. *Quorum nisi ratio.* Sensus est: Omnia illius gesta clare et perspicue cognosci non poterunt sine causarum adjunctorumque omnium accurata expositione.

4. *Patre Camissare.* Pater Camissares ex Caria, mater ex Scythia orta est. Quæ quidem Thyi, Paphlagoniæ regis, erat amita. Confer. inf. II. — *Eorum.* Σωματοφυλάκων, quibus præerat Chiliarch. De Chiliarchi munere vid. in Con. III, n. 2.

5. *Militare munus fungens.* Cum accusativo passim, etsi rarius, reperitur. Quod in primis usurpant Terentius et Plautus;

Parasitus octo hominum munus facile fungitur.

Plaut. Menechm. I, 44. « Suprema erga memoriam filii sui munera fungerentur. » Tacit. Annal. III, 2.

6. *Magni fuit*, etc. Supple pretii.

CAP. II. 1. *Autophradates.* Lydiæ satrapes, qui et ipse postea a rege defecit. De quo Diodorus, XV, 99. — *Eos, qui defecerant.* Lycios scilic., Pisidas, Pamphylios, Cilices, Syros, Phœnices, ac fere omnes Asiatici maris accolas. Diodor. XV, 90.

2. *Hujus opera.* Per Datamem.

3. *Thyus, dynastes P.* Hunc Paphlagoniæ regem vocat, ex Theopompo, Athenæus, IV, 10. Thyus, inf. c. III, *nobilis rex* a nostro vocatur. — *A Patroclo interfectum.* Hunc

Quam ob causam bello eum persequi constituit, eique rei præfecit Datamem, propinquum Paphlagonis: namque ex fratre et sorore erant nati: quam ob causam Datames omnia primum experiri voluit, ut sine armis propinquum ad officium reduceret. Ad quem quum venisset sine præsidio, quod ab amico nullas vereretur insidias, pæne interiit: nam Thyus eum clam interficere voluit. Erat mater cum Datame, amita Paphlagonis; ea, quid ageretur, resciit, filiumque monuit: ille fuga periculum evitavit, bellumque indixit Thyo[4]. In quo quum ab Ariobarzane[5], præfecto Lydiæ et Ioniæ totiusque Phrygiæ, desertus esset; nihilo segnius perseveravit, vivumque Thyum cepit cum uxore et liberis.

III. Cujus facti ne prius fama ad regem, quam ipse, perveniret, dedit operam[1]. Itaque omnibus insciis, eo, ubi erat rex, venit; posteroque die Thyum, hominem maximi corporis[2], terribilique facie, quod et niger, et capillo longo, barbaque erat promissa, optima veste texit, quam satrapæ regii gerere consueverant; ornavitque etiam torque, et armillis aureis, ceteroque regio cultu. Ipse agresti duplici amiculo[3] circumdatus, hirtaque tunica, gerens in capite galeam venatoriam, dextra manu

a Menelao interfectum, non autem a Patroclo, ex Hom., Iliad. V, 576, et seq. cognoscimus.

4. *Thyo*. Consobrino suo. Lambinus Thyum hunc et Datamem, quum amitini sint, patrueles vocat.

5. *Ab Ariobarzane*. Qui etiam post a rege defecit, et cum aliis conspiravit in eo bello, quod moverat Tachus, rex Ægypti. Diod. Sic. XV, 90: nam, quæ hic Nepos narrat, ante id bellum facta sunt, ut apparet ex cap. III. f. Tzs. — *Nihilo segnius*. Ita Sall. Jug. LXXV: « Nihilo segnius bellum parare. »

CAP. III. 1. *Cujus facti ne... dedit operam*. Ut ipse nuntius veniret.

2. *Maximi corporis, terribilique facie*. Notanda, quæ aliquando fit, casuum in eadem serie mutatio.— *Optima veste*. Nimirum purpura auroque distincta, qua provinciarum rectores uti solebant. Unde *purpurati* dicebantur.

3. *Ipse agresti duplici amiculo*.... Ipse agresti et crassiori contectus indumento. Sic Horat. epist. I, 17, 25: *duplici panno*. — *Galeam venatoriam*. Galeæ autem venatoriæ ex ferarum cæsarum exuviis fiebant,

clavam, sinistra copulam, qua vinctum ante se Thyum agebat, ut si feram bestiam captam duceret. Quem omnes quum prospicerent propter novitatem ornatus, ignotamque formam, ob eamque rem magnus esset concursus; fuit non nemo, qui agnosceret Thyum, regique nuntiaret. Primo non accredidit. Itaque Pharnabazum misit exploratum; a quo ut rem gestam comperit, statim admitti jussit, magnopere delectatus quum facto, tum ornatu: in primis quod nobilis rex in potestatem inopinanti [4] venerat. Itaque magnifice Datamem donatum ad exercitum misit, qui tum contrahebatur [5], duce Pharnabazo et Tithrauste, ad bellum Ægyptium; parique eum, atque illos, imperio esse jussit. Postea vero quam Pharnabazum rex revocavit, illi summa imperii tradita est.

IV. Hic quum maximo studio [1] compararet exercitum, Ægyptumque proficisci pararet; subito a rege litteræ sunt ei missæ, ut Aspim aggrederetur, qui Cataoniam tenebat, quæ gens jacet supra Ciliciam, confinis Cappadociæ. Namque Aspis, saltuosam regionem, castellisque munitam incolens, non solum imperio regis non parebat, sed etiam finitimas regiones vexabat [2], et, quæ regi portarentur,

atque adeo hirsutis pellibus obductæ erant. Vid. Vegetium, II, 17. — *Clavam*. Fustis teres, ad clavi similitudinem capitatus. — *Copulam*. Lorum, quo ligantur canes venatici. « Copula detrahitur canibus. » Ovid. Metam. VII, 18. — *Feram bestiam*. Alias *fera* absolute ponitur.

4. *Quod nobilis rex in potestatem inopinanti venerat*. Quod Thyus (quem modo dynasten vocaverat) opinione citius captivus sibi traderetur. *Inopinans*, sæpius in Cæsare.

5. *Qui tum contrahebatur*. Sive in Phrygia, cui Pharnabazus præerat, sive in Syria, unde brevior in Ægyptum trajectio: vide Lambin. n. 42 et 44. Bosius. — *Tithrauste*. Pro hoc Iphicratem narrant Plutarchus in Artaxerxe, cap. XXIV; et Diodorus Siculus, XV, 41.

Cap. IV. 1. *Maximo studio*. Id est, ut Cicero eam vocem interpretatur, cum assidua et vehementi ad istud bellum magna cum voluptate applicata occupatione. De inventione, I, 25. Græci dicunt κατὰ σπουδὴν et μετὰ σπουδῆς. Ernst. — *Ægyptumque proficisci*. Absque præpositione, ut fit passim. — *Jacet*. Sita est. Conf. ad Timoth. II, n. 2.

2. *Finitimas regiones vexabat*. Po-

abripiebat. Datames, etsi longe aberat[3] ab his regionibus, et a majore re abstrahebatur, tamen regis voluntati morem gerendum putavit. Itaque cum paucis, sed viris fortibus, navem conscendit, existimans, id quod accidit, facilius se imprudentem parva manu oppressurum, quam paratum, quamvis magno exercitu. Hac delatus in Ciliciam, egressus inde, dies noctesque[4] iter faciens, Taurum transit, eoque, quo studuerat, venit: quærit, quibus locis sit Aspis: cognoscit haud longe abesse, profectumque eum venatum; quem dum speculatur, adventus ejus causa cognoscitur. Pisidas cum iis, quos secum habebat, ad resistendum Aspis comparat. Id Datames ubi audivit, arma sumit, suosque sequi jubet: ipse equo concitato ad hostem vehitur. Quem procul Aspis conspiciens ad se ferentem[5], pertimescit, atque a conatu resistendi deterritus, sese dedit. Hunc Datames vinctum ad regem ducendum tradit Mithridati[6].

V. Hæc dum geruntur, Artaxerxes reminiscens[1], a quanto bello ad quam parvam rem principem ducum misisset; se ipse reprehendit, et nuntium ad exercitum Acen misit, quod nondum Datamem profectum putabat,

pulabatur, incursionibus ac direptionibus graviter infestabat, uti sæpissime loquitur Cicero, et in primis Cæsar. — *Abripiebat.* Intercipiebat, prædabatur.

3. *Etsi longe aberat.* Nempe exercitus adversus Ægyptios contrahebatur Ace, seu Ptolemaide in Phœnice, unde postea incursio facta est in Ægyptum. Vide Diodor. XV, 41. — *A majore re.* A bello Ægyptio, quod tanto *studio* parabat.

4. *Dies noctesque.* Ita etiam Sallustius, nec non alii. Rarius *dies* postponitur.

5. *Ad se ferentem.* Id est, ruentem. Hic autem activum pro passivo ponitur. Vide Vossium, de Analogia, III, 3.

6. *Mithridati.* Ariobarzanis satrapæ filio, a quo, ut infra videbitur, capite ultimo, per fraudem occiditur Datames.

Cap. V. 1. *Reminiscens.* Post factum perpendens. — *Principem ducum.* Præcipuum ex ducibus suis. — *Se ipse reprehendit.* Eleganter, ut solet noster, pro *se ipsum reprehendit.* Suum scilicet damnavit consilium. — *Acen.* Phœniciæ civitas, quæ postea Ptolemais dicta. — *Profectum.* Ad persequendum Aspim.

qui diceret, ne ab exercitu discederet. Hic[2], priusquam perveniret, quo erat profectus, in itinere convenit, qui Aspim ducebant. Qua celeritate quum magnam benevolentiam regis Datames consecutus esset; non minorem invidiam aulicorum excepit[3], qui illum unum pluris, quam se omnes, fieri videbant: quo facto cuncti ad eum opprimendum consenserunt. Hæc Pandates, gazæ custos regiæ, amicus Datami, perscripta ei mittit; in quibus docet, « eum magno fore periculo, si quid, illo imperante, in Ægypto adversi accidisset: namque eam esse consuetudinem regiam, ut casus adversos hominibus tribuant, secundos fortunæ suæ; quo fieri, ut facile impellantur ad eorum perniciem, quorum ductu res male gestæ nuntientur: illum hoc majore fore in discrimine, quod[4], quibus rex maxime obediat, eos habeat inimicissimos. » Talibus ille litteris cognitis, quum jam ad exercitum Acen venisset, quod non ignorabat, ea vere scripta, desciscere a rege constituit. Neque tamen quidquam fecit, quod fide sua esset indignum: nam Mandroclem Magnetem[5] exercitui præfecit; ipse cum suis in Cappadociam discedit, conjunctamque huic Paphlagoniam occupat, celans, qua voluntate esset in regem; clam cum Ariobarzane facit amicitiam, manum comparat, urbes munitas suis tuendas tradit.

VI. Sed hæc propter hiemale tempus minus prospere

2. *Hic* Nuntius. *Convenit*. Scil. eos.

3. *Excepit*. Idem ac suscepit. Ita Curtius, VI, 10: « Quid inimicitiarum creditis excepturum fuisse, si insontes læsissem? »

4. *Illum hoc majore fore in discrimine, quod*, etc. Datamem eo majore in periculo versari, quod ei maxime infesti erant illi, quibus rex credat et indulgeat plurimum, sive quorum consilio ita omnia agat, ut his ipsis rex obedire videatur. MS. Bœc. *obediebat* et *habebat*.

5. *Magnetem*: ex Magnesia. — *Paphlagoniam*. Tum vacuam, ex quo Thyus captus fuerat. Vide supra II. — *Cum Ariobarzane*. Qui et ipse jam pridem defecerat. De quo conf. ad c. II, not. 5. — *Manum comparat*. Copias scilicet; exiguas autem, si cum exercitu, quem reliquerat, conferantur. Hinc *manum*.

procedebant. Audit Pisidas[1] quasdam copias adversus se parare. Filium eo Arsidæum cum exercitu mittit: cadit in prælio adolescens. Proficiscitur eo pater, non ita cum magna manu, celans quantum vulnus[2] accepisset; quod prius ad hostem pervenire cupiebat, quam de re male gesta fama ad suos perveniret, ne, cognita filii morte, animi debilitarentur militum. Quo contenderat, pervenit; hisque locis castra ponit, ut neque circumiri multitudine adversariorum posset, neque impediri, quominus ad dimicandum manum haberet expeditam. Erat cum eo Mithrobarzanes, socer ejus, præfectus equitum: is, desperatis generi rebus, ad hostes transfugit. Id Datames ut audivit, sensit, si in turbam exisset[3], ab homine tam necessario se relictum, futurum, ut ceteri consilium sequerentur. In vulgus edit[4]: « suo jussu Mithrobarzanem profectum pro perfuga, quo facilius receptus interficeret hostes: quare relinqui eum non par esse, sed omnes confestim sequi. Quod si animo strenuo fecissent, futurum, ut adversarii non possent resistere, quum et intra vallum et foris cæderentur. » Hac re probata, exercitum educit, Mithrobarzanem persequitur: qui tantum quod[5] ad hostes pervenerat, Datames signa inferri jubet. Pisidæ, nova re commoti, in opinionem adducuntur, perfugas mala fide compositoque fecisse, ut[6], recepti, essent majori calamitati:

Cap. VI. 1. *Audit Pisidas*, etc. Aliter Diodorus Siculus, XV, 9. Artabazum enim Cappadociam cum magno Persarum exercitu invasisse, Datamemque adversus eum pugnasse narrat.

2. *Vulnus*. De acri et mordaci dolore. Ita Dione, VI: « Accepit gravissimum parens vulnus morte filii. »

3. *Si in turbam exisset*. Si hujusce defectionis rumor apud milites vulgaretur. — *Turbam*. Λαός, Hom.

4. *In vulgus edit*. Apud milites rumorem spargit.

5. *Qui tantum quod*. Alii, *qui dum ad hostes pervenerat*. Sed *tantum quod*, græca locutio; τοσοῦτον ὅσον, vix, commodum quum, ut Plut. in Sylla, c. XXXVIII. Non rarus is apud Ciceronem ἑλληνισμός.

6. *Mala fide, compositoque fecisse, ut*, etc. Composita cum hostibus fraude venisse, ut, admissi in castra, majorem perniciem afferrent.

primum eos adoriuntur. Illi quum quid ageretur, aut quare fieret, ignorarent, coacti sunt cum eis pugnare, ad quos transierant[7]; ab hisque stare, quos reliquerant. Quibus quum neutri[8] parcerent, celeriter sunt concisi. Reliquos Pisidas resistentes Datames invadit, primo impetu pellit, fugientes persequitur, multos interficit, castra hostium capit. Tali consilio[9] uno tempore et proditores perculit, et hostes profligavit; et, quod ad perniciem fuerat cogitatum, id ad salutem convertit: quo neque acutius ullius imperatoris cogitatum, neque celerius factum usquam legimus.

VII. Ab hoc tamen viro Scismas, maximo natu filius, desciit, ad regemque transiit, et de defectione patris detulit[1]. Quo nuntio Artaxerxes commotus, quod intelligebat, sibi cum viro forti ac strenuo negotium esse[2], qui, quum cogitasset, facere auderet, et prius cogitare, quam conari

7. *Ad quos transierant.* Pro transfugerant. — *Ab hisque stare, quos reliquerant.* Eorumque, quos deseruerant, partes tueri. *Relinquere*, pro deserere, usurpat in primis Tacitus. Sallustius quoque Catilina, IX, *signa relinquere.*

8. *Neutri.* Scilicet neque hostis, neque Datames.

9. *Tali consilio.* Quod quidem referunt Frontinus, Strateg. II, 7, 9; Polyæn. VII, 21, 7, et Diod. Siculus, XV, 91. Hi autem a nostro et ipsi inter se tum nominibus, tum etiam totius rei gestæ narratione discrepant. Frontinus, exempli gratia: « Datames, inquit, dux Persarum adversus Autophradatem in Cappadocia, quum partem equitum suorum transfugere comperisset; ceteros omnes venire secum jussit, assecutusque transfugas, laudavit, quod eum acriter præcessissent, hortatusque est eos, ut fortiter hostem adorirentur. Pudor transfugis attulit pœnitentiam, et consilium suum, quia non putabant deprehensum, mutaverunt. » — *Acutius cogitatum.* Strategema callidius repertum. Notanda crebra ejusdem verbi repetitio, quum paulo ante legatur *cogitatum.*

Cap. VII. 1. *Et de defectione patris detulit.* Defectionemque patris sui regi aperuit. *Detulit.* Unde apud Latinos *delator*, gallice *délateur.*

2. *Sibi negotium esse.* Pro decertandum sibi fore: eodem sensu gallice dicimus *avoir affaire à.* — *Qui, quum cogitasset, facere auderet.* Id est, qui, quum cogitasset, rem deliberatam auderet efficere, et nunquam efficeret, antequam cogitasset. Eadem apud Sallustium, Cat. I, sententia: « Priusquam incipias, consulto; et ubi consulueris, mature

consuesset; Autophradatem in Cappadociam mittit. Hic ne intrare posset[3], saltum, in quo Ciliciæ portæ sunt sitæ, Datames præoccupare studuit. Sed tam subito copias contrahere non potuit. A qua re depulsus[4], cum ea manu, quam contraxerat, locum delegit talem, ut neque circumiretur ab hostibus, neque præteriret adversarius, quin ancipitibus locis premeretur; et, si dimicare cum eo vellet, non multum obesse multitudo hostium suæ paucitati posset.

VIII. Hæc etsi Autophradates videbat, tamen statuit congredi, quam cum tantis copiis refugere, aut tam diu uno loco sedere[1]. Habebat barbarorum equitum viginti, peditum centum millia, quos illi Cardacas[2] appellant; ejusdemque generis III funditorum; præterea Cappadocum octo, Armeniorum decem, Paphlagonum quinque, Phrygum decem, Lydorum quinque, Aspendiorum et Pisidarum circiter tria, Cilicum duo, Captianorum totidem, ex

facto opus est.» Quæ quidem γνώμη e prima Demosthenis adversus Philipp. oratione omnino expressa videtur: Δεῖ μὲν βουλεύεσθαι ἐφ' ἡσυχίας, ποιεῖν δὲ τὰ δόξαντα μετὰ σπουδῆς. Isocrates multo brevius, in orat. ad Demonicum: Βουλεύου μὲν βραδέως, ἐπιτέλει δὲ ταχέως τὰ δόξαντα. — *Autophradatem*. Satrapem Lydiæ, de quo supra, II, not. 1.

3. *Ne intrare posset*. Scilicet in Cappadociam. — *Portæ*. Angustiæ viarum, arctissimæ fauces, per quas, tanquam per portas, in latius spatium exitur. Græc. πύλαι, quod verbum exceperunt etiam Latini, ut Mela. Nos *enge Pässe;* Gallo-Franci, *défilés*. Nempe Cilicia Tauro et Amano montibus a Cappadocia dirimitur. Ex Ciliciæ autem versus Cappadociam situ apparet, portas fuisse septentrionales. Tzschuck.

4. *A qua re depulsus*. Eleganter, quum consilio dimoveretur. — *Ancipitibus locis premeretur*. Quin a fronte et a tergo urgeretur. Curt. III, 17, de his pylis: « Ubi circumiri (regis copiæ), ubi ancipiti acie opprimi possent.» — *Suæ paucitati*. Cui eleganter opponitur *multitudo*.

Cap. VIII. 1. *Sedere*. Morari. *Sedere* autem de castris dicitur.

2. *Cardacas*. Hosce Asiæ minoris populos tradunt Polybius et Ælianus. Cardacas autem Strabo, XV, fuisse tradit apud Persas militum genus, qui ex raptis vixerint. Nempe κάρδα apud Persas virile et bellicosum, ut Suidas, in fine libr. XV. Vide et Eustathium ad Homer. Il. II, 867. — *Ejusdem generis tria funditorum*. Supple millia. — *Præterea Cappadocum, Armeniorum*, etc. De his omnibus populis vide Indicem.

Græcia conductorum tria millia; levis armaturæ maximum numerum. Has adversus copias spes omnis consistebat Datami in se locique natura: namque hujus [3] partem non habebat vicesimam militum. Quibus fretus conflixit, adversariorumque multa millia concidit; quum de ipsius exercitu non amplius hominum mille cecidisset: quam ob causam postero die tropæum posuit, quo loco pridie pugnatum erat. Hinc quum castra movisset, semperque inferior copiis, superior omnibus præliis discederet, quod nunquam manum consereret, nisi quum adversarios locorum angustiis clausisset, quod perito regionum [4] callideque cogitanti sæpe accidebat; Autophradates, quum bellum duci majore regis calamitate, quam adversariorum, videret, ad pacem amicitiamque hortatus est, ut cum rege in gratiam rediret. Quam ille etsi fidam non fore putabat; tamen conditionem accepit, seque ad Artaxerxem legatos missurum dixit. Sic bellum, quod rex adversus Datamem susceperat sedatum: Autophradates in Phrygiam se recepit.

IX. At rex, quod implacabile odium in Datamem susceperat, postquam bello eum opprimi non posse animadvertit, insidiis interficere studuit: quas ille plerasque vitavit. Sicut [1] quum nuntiatum esset, quosdam sibi insidiari, qui in amicorum erant numero (de quibus, quod inimici detulerant, neque credendum, neque negligendum putavit); experiri voluit, verum falsumne esset relatum. Itaque eo profectus est, quo itinere futuras insidias dixerant. Sed elegit corpore et statura simillimum sui [2], eique vestitum

3. *Namque hujus partem. Hujus*, supple numeri, seu exercitus.

4. *Perito regionum*. Id est, ut ait Sallustius passim, *locorum scienti*. Quorum admodum duci prodest peritia. — *Duci*, ut passim, pro *trahi*.

Cap. IX. 1. *Sicut*. Exempli gratia. — *Quum nuntiatum esset, quosdam sibi insidiari*. Vide Polyænum, VII, 21, 4. — *Quod inimici detulerant*. Id est, amicorum suorum inimici.

2. *Elegit corpore et statura simillimum sui*. Utraque apta ad fallendum, præsertim quibus et statura

suum dedit, atque eo loco ire, quo ipse consueverat, jussit: ipse autem ornatu vestituque militari inter corporis custodes iter facere cœpit. At insidiatores, postquam in eum locum agmen pervenit, decepti ordine atque vestitu, in eum faciunt impetum, qui suppositus erat[3]. Prædixerat autem his Datames, cum quibus iter faciebat, ut parati essent facere[4], quod ipsum vidissent. Ipse, ut concurrentes insidiatores animadvertit, tela in eos conjecit. Hoc idem quum universi fecissent, priusquam pervenirent ad eum, quem aggredi volebant, confixi ceciderunt.

X. Hic tamen tam callidus vir extremo tempore captus est Mithridatis, Ariobarzanis filii, dolo[1]. Namque is pollicitus est regi, se[2] eum interfecturum, si ei rex permitteret, ut, quodcunque vellet, liceret impune facere, fidemque de ea re, more Persarum, dextra dedisset. Hanc

et vestitus non erant incognita. Curtius, VIII, 44: « Attalum et æqualem sibi, et haud disparem habitu oris et corporis, utique quum procul viseretur, veste regia exornat, præbiturum speciem ipsum regem illi ripæ præsidere, nec agitare de transitu. » Gebhard. *Simillimum sui.* Præter vulgarem usum, quod ad externam speciem referatur, pro *sibi* dictum esse volunt. Recte id quidem, sed promiscui usus exempla sunt satis multa. Tzs. — *Eo loco.* In eo agminis ordine, quo ipse dux alias conspici solebat.

3. *In eum faciunt impetum, qui suppositus erat.* Repente adoriuntur eum, qui loco habituque Datamis ire jussus erat.

4. *Ut parati essent facere.* Pro *ad faciendum*, ut fit passim apud poetas. Permulta vero apud Sallustium occurrunt exempla: « Nisi forte animus fallit, et vos servire magis, quam imperare parati estis. Cat. XX. « Parati frumentum dare, commeatum portare, etc. » Jugurth. XLVI. « Proinde parati intentique essent, signo dato, Romanos invadere. Jug. XLIX. « Illi omnia perpeti parati. » Cæsar, de Bell. Civ. III, 9. Hic vero molesta sane ejusdem verbi *facere* repetitio.

Cap. X. 1. *Captus est Mithridatis, Ariobarzanis filii, dolo.* Rem, sed paulo aliter, narrat Polyænus quoque, lib. VII, in Mithrid. comm. 1. Bosius.

2. *Namque is pollicitus est regi, se*, etc. Hac de re nihil Polyænus. Mithridatem tantum ait a rege jussum aut occidere Datamem, aut adducere. — *Dextra dedisset.* Mos enim erat apud Persas, ut, quemcumque rex in fidem reciperet, ipsi dextram daret, ut supra in Themistocle;

ut recepit a rege missam, copias parat, et absens amicitiam cum Datame facit, regis provincias vexat, castella expugnat, magnas prædas capit : quarum partem suis dispertit, partem ad Datamem mittit; pari modo complura castella ei tradit. Hæc diu faciendo persuasit homini[3], se infinitum adversus regem suscepisse bellum : quum nihilo magis, ne quam suspicionem illi præberet insidiarum, neque colloquium ejus petivit, neque in conspectum venire studuit. Sic absens amicitiam gerebat[4], ut non beneficiis mutuis, sed odio communi, quod erga regem susceperant, contineri viderentur.

XI. Id quum satis se confirmasse arbitratus est, certiorem facit Datamem, tempus esse majores exercitus[1] parari, bellum cum ipso rege suscipi; deque ea re, si ei videretur, quo loco vellet, in colloquium veniret. Probata re, colloquendi tempus sumitur, locusque quo conveniretur. Huc Mithridates cum uno, cui maximam habebat fidem, ante aliquot dies[2] venit, compluribusque locis separatim gladios

illudque omni sacramento sanctius ducebatur, atque observabatur. Sic Auctor scholiorum in Aristophanis Nub. Item docet Diodor. XVI, 34. Court. De missis dextris, vid. interpretes Taciti, Hist. I, 54.

3. *Homini.* Datami. *Homo* autem de summis viris, veluti de Pompeio, Cæsare et aliis occurrit, in primis ubi conditionem notat. Vide in Eumene, IV : « Pro hominis dignitate. » — *Infinitum.* Sine fine. Implacabile. — *Suscepisse.* Atqui nondum bellum susceperat, inquit Lambinus, quia, cap. XI, « certiorem facit Datamem, tempus esse bellum cum ipso rege suscipi. » Quare corrigit *suscepisse odium.* Verum vox *ipso* satis indicat, ibi de nova ratione belli suscipiendi sermonem esse. Nempe hactenus provincias vexaverat, castella expugnaverat, prædas ceperat : nunc ipsum regem aggrediendum esse monet. Bosius.

4. *Amicitiam gerebat.* Exercebat. Apte autem *gerebat* de externa specie. — *Contineri viderentur.* Id est, arctissime cohærere viderentur. Confer ad Lysandrum, I, not. 7.

Cap. XI. 1. *Tempus esse majores exercitus parari.* Pro parandi, ut fit passim.

2. *Ante aliquot dies.* Non satis accurate Nepotem hic locutum esse monet Bremius, quum nexus et latini sermonis indoles requirat *aliquot diebus ante*, quia illud respiciat loquentem, hoc rem narratam. Notandus certe videtur hic

obruit, eaque loca diligenter notat. Ipso autem colloquendi die, utrique, locum qui explorarent, atque ipsos scrutarentur[3], mittunt. Deinde ipsi sunt congressi. Hic quum aliquandiu in colloquio fuissent, et diversi[4] discessissent, jamque procul Datames abesset; Mithridates, priusquam ad suos perveniret, ne quam suspicionem pareret, in eumdem locum revertitur, atque ibi, ubi telum erat impositum, resedit, ut si a lassitudine cuperet acquiescere; Datamemque revocavit, simulans se quiddam in colloquio esse oblitum. Interim telum, quod latebat, protulit[5], nudatumque vagina veste texit, ac Datami venienti ait, di-

locus. Tzs. — *Obruit.* Terra operit, abscondit.

3. *Atque ipsos scrutarentur.* Nullum colloquium unquam commissum sine excussione, seu scrutatione, antiquitus fuit, ne quis sicam aliudve telum occulto abditum loco stringeret; quod Latini *scrutari*, *prætentare* atque *excutere*, Græci ἐξερευνᾷν, ἰχσείειν et ἐκτινάσσειν appellant. Vide Sueton. Claudio, cap. XXXV. Scrutatio autem ista fiebat per delectos invicem utriusque partis. Verbi gratia, Datamis delectus excutiebat Mithridatem, et contra hujus explorator Datamem. Isti officio destinatos Polyænus vocat ἀγγέλους, qui non solum vestes pertrectabant, sed penitus detrahebant. Docet me hoc Polyæn. III, in Iphicrate, comm. 40, et l. VII, in Mithrid. comm. 1. Just. XXXVIII, 1: « Sollicitato juvene ad colloquium, quum ferrum occultatum inter fascias gereret, scrutatori ab Ariarathe regio more misso, curiosius imum ventrem pertrectanti, ait, caveret ne aliud telum inveniret, quam quæreret. » Sic pædagogus Sarpedon Catonem ad Syllam semper excussum adduxit. Valer. Maxim. III, 3, 3. Imo ex perpetuo metu Alexander Pheræus non prius se lecto uxoris Thisbes committebat, quam a stipatoribus diligenter esset scrutatus. Item Dionysius superior neutrius unquam, sive Aristomaches Syracusanæ, sive Chloridis Locrensis, nisi excussæ complexum petiit, ut refert idem, IX, 13, ext. 4. GEBHARD.

4. *Diversi discessissent.* In diversas partes, alter huc, alter illuc. Ita apud Sall. Jug. LXXXVII: « At reges ubi de adventu Marii cognoverunt, divorsi in locos difficilis abeunt. » — *Simulans, se quiddam.... oblitum.* Sic passim oblivisci cum accusativo usurpant. « Et artificium obliviscatur. » Cic. pro Roscio Amer.

Quisquis es, amissos hinc jam obliviscere Graios.

Virg. Æneid. II, v. 148.


5. *Telum, quod latebat, protulit.* Telum obrutum eruit. Hic autem telum pro ferro quocumque accipitur. Supra in hoc capite: « Compluribusque locis separatim *gladios* obruit. »

gredientem se animadvertisse locum quemdam, qui erat in conspectu, ad castra ponenda esse idoneum. Quem quum digito demonstraret, et ille conspiceret; aversum[6] ferro transfixit, priusque, quam quisquam posset succurrere, interfecit. Ita vir, qui multos consilio, neminem perfidia ceperat, simulata captus est[7] amicitia.*

6. *Aversum.* Datamem scilicet averso corpore stantem; hinc per tergum.

7. *Captus est.* Deceptus et interemptus est.

* De Datamis rebus quædam vide apud Diodorum Siculum, XV; Polyænum, VII; Frontin. II, 7, 9. Bosclea. Meminit ejus et Æneas in Commentar. Poliorcertico, cap. XL. Bosius. Adde *Rollin, Histoire Ancienne*, liv. IX, ch. 3; etc.



XV.

EPAMINONDAS.

ARGUMENTUM.

CAP. I; De moribus Græcorum animadversio. — II; Epaminondæ pueritia et adolescentia. — III; Ejus animi virtutes. — IV; Ejus abstinentiæ exemplum. — V; Arguta ejus contra Meneclidem dicta. — VI; Ejus dicta contra Callistratum, maxime contra Spartanos. — VII; Injuriarum immemor, exercitum incolumem domum reducit. In Peloponneso bellum gerit. — VIII; Accusati defensio. — IX; Apud Mantineam invictus moritur. — X; Cœlibatus criminatio diluta. Horror a civili victoria. Thebarum gloria.

EPAMINONDAS, Polymni filius, Thebanus. De hoc priusquam scribamus, hæc præcipienda [1] videntur lectoribus, ne alienos mores ad suos referant; neve ea, quæ ipsis leviora sunt, pari modo apud ceteros fuisse arbitrentur. Scimus enim, musicen nostris moribus abesse a principis persona [2]; saltare vero etiam in vitiis poni : quæ

CAP. I. *Præcipienda*. Edocenda, præmonenda. Ne quis tamen cum Magio Nepotem putet præfationis oblitum hoc scripsisse : absoluto enim, ut fieri solet, operi accessit præfatio. — *Ne alienos mores ad suos referant*. Ne ex patriis moribus alienos metiantur mores. Cf. ad Præf.

2. *Scimus enim, musicen nostris moribus abesse a principis persona*. Id est, principem non decere. De *persona* confer ad Præf. not. 4. Hæc autem ad vetus ævum spectant; nam postea mutatum fuit. In his artibus omnibus eruditus fuit Antoninus philosophus et Alexander Severus.

omnia apud Græcos et grata, et laude digna [3] ducuntur. Quum autem exprimere imaginem consuetudinis atque vitæ velimus Epaminondæ, nihil videmur debere prætermittere, quod pertineat ad eam declarandam. Quare [4] dicemus primum de genere ejus; deinde quibus disciplinis, et a quibus, sit eruditus; tum de moribus, ingeniique facultatibus, et si qua alia digna memoria erunt; postremo de rebus gestis, quæ a plurimis omnium anteponuntur virtutibus.

II. Natus igitur patre, quo diximus, honesto [1] genere, pauper jam a majoribus relictus. Eruditus autem sic, ut

BUCHNER. — *Saltare vero etiam in vitiis poni.* Confer ad Præfat. not. 6. Non tamen ubique et apud omnes vitio ducebatur; quin inter conspicuos et probos viros aliqua ejus cura fuit, sed non curiosa usque ad artis perfectionem. Unde illud est Sallustii de Sempronia, Cat. XXV: « Psallere et saltare elegantius, quam necesse est probæ. » Vide etiam Horat. III, Od. 6. LOCCENIUS.

3. *Quæ omnia apud Græcos et grata, et laude digna ducuntur.* Confer iterum ad Præfat. not. 5 et 6.

4. *Quare dicemus*, etc. Vide quam accurate de Epaminonda dicturum se promittat: quod in aliis non fecit. Sed majore diligentia opus erat, quod major esset qui describebatur. Sane Cicero Epaminondam principem Græciæ appellat, Tuscul. I, 2, et summum omnis Græciæ virum, de Orat. III, 34. BUCHNER. — *Si qua alia.* Veluti acute dicta, qualia servavit Plutarchus. Tzs. Vide in Apophthegmatis et in Pelopida. — *Quæ a plurimis.* In primis a Cicerone, de quo supra. — *Omnium.* Scilicet Græcorum imperatorum.

CAP. II. 1. *Honesto genere.* Quod quidam referebant ad *Spartos* illos in Cadmi historia. Pausan. VIII, 11. *Honestus* minus quidem est quam *nobilis*, neque tamen mediocris vel adeo humilis, quod olim volebat Gebhard. Γένους δόξαν diserte notat Pausan. IX, 13; etsi πατέρα ἀφανῆ illi tribuit Ælian. V. H. XII, 43, extr. Quod tamen ad res gestas, vel paupertatem, quam et alii cum nostro memorant, referri potest. Tzs. — *Eruditus autem sic, ut nemo Thebanus magis.* Luculentior et efficacior superlativi periphrasis. Idem testatur Justin. VI, 8: « Jam litterarum studium, jam philosophiæ doctrina tanta, ut mirabile videretur, unde tam insignis militiæ scientia homini inter litteras nato. » Adde Diodorum, XV; Cicer. III, de Oratore, et de Officiis, I; Plutarchum in Pelopida; Diogenem Laertium in Pythagora. Inter philosophos, qui militarunt, et rem publicam simul gesserunt, Epaminondam etiam recenset Ælianus, Variarum historiarum l. III, c. 17, et l. VII, c. 14,

nemo Thebanus magis : nam et citharizare[2], et cantare ad chordarum sonum doctus est a Dionysio, qui non minore fuit in musicis gloria, quam Damon, aut Lamprus, quorum pervulgata sunt nomina ; carmina cantare tibiis ab Olympiodoro; saltare a Calliphrone. At philosophiæ præceptorem habuit Lysim[3] Tarentinum, Pythagoreum : cui quidem sic fuit deditus, ut adolescens tristem et severum senem omnibus æqualibus suis in familiaritate anteposuerit; neque prius eum a se dimiserit, quam in doctrinis tanto antecesserit condiscipulos, ut facile intelligi posset, pari modo superaturum omnes in ceteris artibus. Atque hæc ad nostram consuetudinem sunt levia, et potius contemnenda ; at in Græcia utique[4] olim magnæ laudi erant. Postquam ephebus factus est[5], et palæstræ dare operam cœpit; non tam magnitudini virium servivit, quam

2. *Citharizare.* Pro citharam tangere, verbum minus obvium : κιθαρῳδεῖν. — *A Dionysio.* Lyrista Thebano valde perito. Auctor Plutarchus, de Musica. —*Damon, aut Lamprus.* 1° Damonis meminerunt Plato, de Republica, III, 11; Alcib. I; Plutarch. in Pericl. IV; Diog. Laert. II, 19; et Athenæus, XIV, 11. Huncque Lydiam harmoniam remissam excogitasse testatur Plutarchus, de Musica; solitumque ebrios ac petulantes homines harmonia sua ad modestiam reducere. 2° Lamprus ab eodem Plutarcho, ibid., inter eos, qui recte movendis instrumentis lyricis excelluerunt, annumeratur ; quamvis a Platone imperitus dicatur musicus in Menexeno : qua in re non consentit Athenæus, I, 16 et II, 2. Courtin. — *Olympiodoro.* Viro in sua arte versatissimo, præter quem tamen et ab Orthagora Epaminondam doctum fuisse testatur Athenæus, l. IV, cap. ultimo. Court. — *Calliphrone.* Id nomen alibi mihi occurrisse non memini. Idem.

3. *Lysim.* Quem Laertius, in vita Pythagoræ, Lysiden vocat. Lysis autem ille Epaminondam, Philippumque, Amyntæ filium, philosophiam Pythagoricam docuit. — *Tristem et severum senem.* Cui opponitur *adolescens.* Attamen Van Staveren Lysim a nostro *senem* non propter ætatem vocatum existimat, sed quia philosophus fuit. Ita, inquit, Phædrus, II, in prol. v. 8:

Equidem omni cura morem servabo senis, etc.

— *Doctrinis.* Nempe, ut videtur, philosophicis.

4. *Utique.* Certe, ut ut sit, utcumque.

5. *Postquam ephebus factus est,* etc. Græc. ἔφηβος. Postquam pubes factus est. — *Palæstræ dare operam cœpit.* Ludicris scilicet corporis ex-

velocitati. Illam[6] enim ad athletarum usum, hanc ad belli existimabat utilitatem pertinere. Itaque exercebatur plurimum currendo et luctando, ad eum finem, quoad[7] stans complecti posset, atque contendere. In armis plurimum studii consumebat.

III. Ad hanc corporis firmitatem plura etiam animi[1] bona accesserant. Erat enim modestus[2], prudens, gravis, temporibus sapienter utens, peritus belli, fortis manu, animo

ercitationibus. Gymnasticam enim apud Græcos pueri artem edocebantur. Vide Vossium, lib. De quatuor artibus popular. cap. 3.—*Non tam magnitudini virium servivit, quam velocitati.* Non tam studuit ut robustus, quam ut agilis, inde fieret.

6. *Illam.* Virium magnitudo. *Hanc.* Scilicet velocitas.

7. *Ad eum finem, quoad.* Usque eo quoad. Ita cap. IX: « Ferrum usque eo retinuit, *quoad* renunciatum est vicisse Bœotios. » Sensus igitur est: Epaminondas eatenus currebat et luctabatur, quatenus astans complecti posset adversarium atque cum illo contendere. *Stans* ad luctationem *erectam* pertinet; quum alia esset *volutatoria* jacentium, a qua, ut videtur, abstinuit.

Cap. III. 1. *Plura etiam animi bona.* « Tria genera bonorum, maxima animi, secunda corporis, externa tertia. » Cicer. Tuscul. V, 30. *I'ay aultrefois logé Épaminondas au premier reng des hommes excellents, et ne m'en desdis pas.... Voylà une âme de riche composition: il marioit, aux plus rudes et violentes actions humaines, la bonté et l'humanité, voire mesme la plus delicate qui se treuve en l'eschole de la philosophie.... Horrible de fer et de sang, il va fracassant et rompant une armée invincible contre tout aultre que contre luy seul; et gauchit au milieu d'une telle meslée, au rencontre de son hoste et de son amy. Vrayment celuylà commandoit bien à la guerre, qui luy faisoit souffrir le mors de la benignité sur le poinct de sa plus forte chaleur, ainsi enflammée qu'elle estoit, et toute escumeuse de fureur et de meurtres.* Montaigne, *Essais*, III, 1.

2. *Modestus.* Epaminondas modestus fuit in muniis citra ambitum et fastum susceptis gestisque, in cultu corporis, et sensu de se moderato. Munia humiliora non sprevit, donec ad majora se præpararet, et ascenderet. Eadem ita gessit, ut ornamentum non accipere, sed dare ipsi dignitati videretur. Justinus, VI, 8; Valer. Max. III, 7, ext. 5. Simplici veste et victu utebatur. Æl. V. H. V, 5; Plut. in Lyc. Arma magis ad usum, quam ornamentum, habebat. Attico adolescente ensis Epaminondæ capulum irridente, velut ex vilissimo ligno, rudem et inchoatum: « Atqui, inquit Epaminondas, dum pugnabimus, capuli quidem periculum non facies; ferrum autem non pœnitendum tibi videbitur. Syn. in Orat. de Regno. Postridie pugnæ Leuctricæ, quum ante serena et expor-

maximo; adeo veritatis diligens, ut ne joco quidem mentiretur. Idem continens, clemens, patiensque admirandum in modum; non solum populi, sed etiam amicorum ferens injurias; in primisque commissa celans, quod interdum non minus prodest, quam diserte dicere; studiosus audiendi[3]: ex hoc enim facillime disci arbitrabatur. Itaque quum in circulum venisset, in quo aut de republica disputaretur, aut de philosophia sermo haberetur; nunquam inde prius discessit, quam ad finem sermo esset adductus. Paupertatem adeo facile perpessus est[4], ut de republica nihil, præter gloriam, ceperit. Amicorum in se tuendo caruit facultatibus[5]; fide ad alios sublevandos sæpe sic usus est, ut possit judicari, omnia ei cum amicis fuisse

recta fronte solitus esset in publicum prodire, subtristis et humilis processit. Interrogantibus amicis « Numquid ipsi adversum accidisset, » ille: « Nihil, inquit; sed heri me sensi animo fuisse, quam par sit, solutiore et lætiore: quocirca hesterni gaudii intemperantiam hodierna castigo tristitia. » Plut. Apophtheg. Hæc de modestiæ ejus exemplis. Loccenius. — *Adeo veritatis diligens, ut ne joco quidem mentiretur.* Simile quidpiam de Ptolemæo Arrianus; de Juliano Mamertinus; de Aristide Plutarchus, in vita; de Attico idem Nepos, Attic. c. XV.

3. *Studiosus audiendi.* Ex consuetudine enim fortasse, licet jam eruditus, morem tacendi in disciplina Pythagorica receptum libenter servabat; et silentio facile disci arbitrabatur: nam silentio parari sapientiam Pythagorici censuerunt; ideoque non minus quam biennium discentes audiendo tacebant. Lege A. Gellium, I, 9. Magius. Imo plerique quinquennium integrum silebant. De quo silentio post alios accurate egit celeberr. Schefferus noster, lib. de Natura et Constit. philosophiæ Pythagor. c. XII. Plutarchus, in Socratis genio, ait Epaminondam fuisse ἄπληςον τοῦ μανθάνειν καὶ ἀκροᾶσθαι. Bosius.

4. *Paupertatem adeo facile perpessus est.* Ejus paupertatem testantur Justinus, VI, 8; Frontinus, IV, 3; Ælian. V, 5; II, 43; et IX, 11. *Facile perpessus est.* Hanc levem ac tolerabilem philosophando faciens, ut ait Plutarchus, Pelopida, ubi plura in hanc rem. Hinc Apuleius, in Apologia, ei *strenuam paupertatem* tribuit.

5. *Amicorum in se tuendo caruit facultatibus.* Necessariorum suorum opibus, quibus se sustentaret, uti noluit. Pelopidæ quidem, suas offerenti, morem gerere noluit. Vide Plut. in Pelopida. — *Fide ad alios sublevandos.* Id est, ubi de aliis sublevandis ageretur, tunc demum fide sua usus est. Gallice, *employer son crédit.*

communia. Nam quum aut civium suorum aliquis ab hostibus esset captus, aut virgo amici nubilis propter paupertatem collocari non posset; amicorum concilium habebat, et quantum quisque daret, pro cujusque facultatibus imperabat[6]. Eamque summam quum fecerat[7], priusquam acciperet pecuniam, adducebat eum, qui quærebat, ad eos qui conferebant, eique ut ipsi numerarent, faciebat; ut ille, ad quem ea res perveniebat, sciret, quantum cuique deberet.

IV. Tentata autem ejus est abstinentia a Diomedonte Cyziceno[1]. Namque is, rogatu Artaxerxis[2], Epaminondam pecunia corrumpendum susceperat. Hic magno cum pondere auri Thebas venit, et Micythum adolescentulum quinque talentis ad suam perduxit voluntatem: quem tum Epaminondas plurimum diligebat. Micythus Epaminondam convenit, et causam adventus Diomedontis ostendit. At ille, Diomedonte coram: « Nihil[3], inquit, opus pecunia est; nam si ea rex vult, quæ Thebanis sint utilia, gratis facere sum paratus; sin autem contraria, non habet auri atque argenti satis: namque orbis terrarum divitias accipere nolo pro[4] patriæ caritate. Te, quod me incognitum tentasti, tuique similem existimasti, non miror, tibique ignosco; sed egredere propere, ne alios corrumpas, quum me non potueris. Tu, Micythe, argentum huic redde: nisi id confestim facis, ego te tradam magistratui ». Hunc

6. *Imperabat*. Sæpe leni et amico sensu accipi debet, ut græce κελεύειν.

7. *Quum fecerat*. Collegerat. — *Eum, qui quærebat*. Id est, virginis sponsum. Alii malunt, qui ab amicis opitulantibus aliquid petebat.

Cap. IV. 1. *A Diomedonte. C.* Idem testantur Plutarchus, Apophtheg. Reg. et Ælianus, V. H. V, 5. A Jasone quoque, Thessalorum tyranno, tentatum narrant Plutarch. l. c. et Ælianus, II, 9, ubi et de Pelopida, Phocione, et Ephialte similia refert. Bosius. *Cyziceno*. Id est, ex Cyzico, urbe Bithyniæ.

2. *Artaxerxis*. Mnemonis scilicet, qui multum auri Epaminondæ misisse dicitur ab Æliano, V, 5.

3. *Nihil*. Minime, Græcorum οὐδέν. Tzs.

4. *Pro*. Commutationem notat. Græcor. ἀντί. *Te, quod*, etc. Al. *Tu*.

Diomedon quum rogaret, ut tuto exire, suaque, quæ attulisset, liceret efferre : « Istud, inquit, faciam, neque tua causa, sed mea ; ne, si tibi sit pecunia adempta, aliquis dicat, id ad me ereptum pervenisse, quod delatum accipere noluissem ». A quo quum quæsisset, quo se deduci[5] vellet, et ille Athenas dixisset; præsidium dedit, ut eo tuto perveniret. Neque vero id satis habuit; sed etiam, ut inviolatus in navem ascenderet, per Chabriam Atheniensem, de quo supra mentionem fecimus, effecit. Abstinentiæ[6] erit hoc satis testimonium. Plurima quidem proferre possemus; sed modus adhibendus est, quoniam uno hoc volumine vitas excellentium virorum concludere constituimus, quorum separatim multis millibus[7] versuum complures scriptores ante nos explicarunt.

V. Fuit etiam disertus[1], ut nemo Thebanus ei par esset eloquentia : neque minus concinnus in brevitate respondendi, quam in perpetua oratione ornatus. Habuit obtrectatorem Meneclidem quemdam[2] indidem Thebis, et adversarium in administranda republica, satis exercitatum in dicendo, ut Thebanum scilicet. Namque illi genti plus

5. *Deduci.* Ut jam vidimus, de comitatu e loco in locum. Al. *duci.*

6. *Abstinentiæ.* De hac abstinentia sua ipse Epaminondas præclare disputat apud Plutarchum, de genio Socratis. Imitatus eam Philopœmen est, sicut in aliis etiam hunc virum exemplum sibi proposuit vitæ. Fuit ei et fortuna et morte similis. Vide Plutarchum, Philopœmen. Buchner.

7. *Multis millibus versuum.* Hi versus sunt lineæ, quarum numero metiri libros solebant, eumque in ultima cera adscribebant. Ea scilicet mente librorum magnitudinem metiebantur veteres, ne quid alienum inculcaretur vel quid detraheretur.

Cap. V. 1. *Fuit etiam disertus.* Idem Plutarchus in Præceptis politic. testatur : « Quod si forte, causam dicturus, vel legationem obiturus, tu te ipsum ad dicendum intelligas parum idoneum, virum dicendi peritum adjutorem tibi, sociumque muneris adsciscas, ut Pelopidas Epaminondam. » — *Neque minus concinnus.* Responsiones ejus breves et congruentes, conciones ornatæ erant.

2. *Meneclidem quemdam.* De quo Plutarchus in Pelopida. — *Indidem Thebis.* Qui pariter Thebis natus erat. *Indidem.* Ex eodem loco. — *Ut Thebanum scilicet.* Id est, quoad de homine Thebano id prædicare licet.

inest virium, quam ingenii[3]. Is, quod in re militari florere Epaminondam videbat, hortari solebat Thebanos, ut pacem bello anteferrent, ne illius imperatoris opera desideraretur. Huic ille : « Fallis, inquit, verbo cives tuos, quod hos a bello avocas; otii enim nomine servitutem concilias[4]. Nam paritur pax bello[5]. Itaque qui ea diutina volunt frui[6], bello exercitati esse debent. Quare, si principes Græciæ esse vultis, castris est vobis utendum, non palæstra ». Idem ille Meneclides quum huic objiceret, quod liberos non haberet, neque uxorem[7] duxisset; maximeque insolentiam, quod sibi Agamemnonis belli gloriam videretur consecutus; at ille : « Desine, inquit, Meneclida, de uxore mihi exprobrare; nam nullius in ista re minus uti consilio volo. (Habebat enim Meneclides suspicionem adulterii[8]). Quod autem me Agamemnonem æmulari putas, falleris : namque ille cum universa Græcia vix decem annis unam cepit urbem ; ego contra ea, una

3. *Namque illi genti plus inest virium, quam ingenii.* Ob crassum, ut volunt, aerem.

Bœotum in crasso jurares aere natum.

Horat. epist. II, 1, 224. « Thebis hebetes et brutos nasci relatum est. » Tertullian. de Anima, cap. 20. Pindarus apud Strabon., lib. VII, olim *porcos* inde dictos notat. Confer notam in Alcibiad. cap. XI. Attamen Epaminondas, Pelopidas, Ismenias, Cebes, Pindarus, omnes Thebani, satis ingeniosi fuerunt. Hic autem, ut in ceteris, plurimum valet primæ ætatis institutio.

4. *Otii enim nomine servitutem concilias.* Pacis falso nomine cives tuos dominationi alienæ subjicis. Ita M. Lepidus ad populum in Sallustii Fragm. XXIII : « Ne, nomina rerum ad ignaviam mutantes, otium pro servitio appellent. » Pariter Petronius Turpilianus apud Tacitum, Ann. XIV, 39 : « Honestum pacis nomen segni otio imposuit. »

5. *Nam paritur pax bello.* Ita fere apud Sallustium, Catil. cap. LVIII : « Nemo, nisi victor, pace bellum mutavit. » Qui fortasse locum Thucydid. I, 124, expressere : Ἐκ πολέμου μὲν γὰρ εἰρήνη μᾶλλον βεβαιοῦται.

6. *Qui ea diutina volunt frui.* Elegans adverbii *diutius* in adjectivum mutatio.

7. *Neque uxorem duxisset.* Uxorem vero commemorant Polyænus, II, 3, in. et Plutarchus in Parallelis. — *Nam nullius in ista re minus uti consilio volo.* Nam tu is omnium es, cujus sententia hoc in negotio minus apud me valeat.

8. *Suspicionem adulterii.* Vel a se vel ab uxore admissi. *Suspicio* et a Cicerone sæpius passive usurpatur.

urbe nostra, dieque uno, totam Græciam, Lacedæmoniis fugatis, liberavi. »

VI. Idem quum in conventum venisset Arcadum [1], petens, ut societatem cum Thebanis et Argivis facerent; contraque Callistratus, Atheniensium legatus, qui eloquentia omnes eo præstabat tempore, postularet, ut potius amicitiam sequerentur Atticorum; et in oratione sua multa invectus esset in Thebanos et Argivos, in eisque hoc posuisset, « animadvertere debere Arcadas, quales utraque civitas cives procreasset, ex quibus de ceteris possent judicare. Argivos enim fuisse Orestem [2] et Alcmæonem matricidas; Thebis Œdipum natum, qui, quum patrem

— *Una urbe nostra, dieque uno.* De pugna Leuctrica hic loquitur, in qua, intra unum diem, soli Thebani, duce Epaminonda, omnes Lacedæmoniorum vires fregerunt. Courtin.

Cap. VI. 1. *In conventum v. Arcadum.* Εἰς τοὺς μυρίους. Sic enim dicebatur Arcadum conventus; quippe quod legatis decem millibus constaret. Megalopoli autem fiebat conventus. Vide Harpocrat. — *Callistratus.* De quo Xenophon, VI, de Reb. Gr., cujusque ibid. extat oratio apud Lacedæmonios habita. — *Multa invectus esset in Thebanos.* Pari modo infra loquitur, XX, 4: « Nonnulla inveheretur in Timoleonta. » Eodem modo *multa gemens, multa querens*, dixere. Ita Sallust. Catil. XXVII: « Multa de ignavia eorum questus. » Scilicet adverbii vicem, ex græca ratione, talia sæpe sustinent. — *Ex quibus de ceteris possent judicare.* « Ab uno disce omnes. » Æn. II, 65.

2. *Orestem.* Orestes, Agamemnonis et Clytemnestræ filius, qui, cruentam patris mortem ulturus, matrem interfecit; propter quod parricidium furiis agitatus est, quibus non ante purgari potuit, quam ad aram Dianæ Tauricæ perpetratum scelus expiaverit. Courtin. Vide Æschyli Eumenid.; Euripidis Orest. — *Alcmæonem.* Alcmæon, Amphiarai et Eriphyles filius, qui pariter matrem interfecit, quod illa, monili aureo corrupta, Amphiaraum maritum suum, qui in bello Thebano hiatu terræ absorptus est, prodidisset Polynici. Courtin. — *Thebis Œdipum natum.* Pater ejus Laïus, quem nescius occidit; mater vero Jocasta, Creontis Thebanorum regis filia, quam, soluto Sphingis ænigmate, uxorem quoque nescius duxit, ex qua Eteoclem et Polynicem suscepit, qui de regno disceptantes mutuis se vulneribus confoderunt. Hæc sunt ipsiusmet verba apud Senec. in Thebaide, v. 261:

Occidi patrem,
Sed matrem amavi; proh! loqui hymenæum pudet.
Courtin.

suum interfecisset, ex matre liberos procreasset; » hic in respondendo Epaminondas, quum de ceteris perorasset, postquam ad illa duo opprobria pervenit : « Admirari se, dixit, stultitiam rhetoris Attici, qui non animadverterit innocentes illos natos, domi scelere admisso, quum patria essent expulsi, receptos esse ab Atheniensibus[3]. » Sed maxime ejus eloquentia eluxit Spartæ legati, ante pugnam Leuctricam. Quo quum omnium sociorum convenissent legati, coram frequentissimo legationum[4] conventu sic Lacedæmoniorum tyrannidem coarguit, ut non minus illa oratione opes eorum concusserit, quam Leuctrica pugna. Tum enim perfecit, quod post apparuit, ut auxilio sociorum[5] Lacedæmonii privarentur.

VII. Fuisse patientem[1], suorumque injurias ferentem civium, quod se patriæ irasci nefas esse duceret, hæc sunt testimonia. Quum eum propter invidiam[2] cives præficere exercitui noluissent; duxque esset delectus belli imperitus,

3. *Receptos esse ab Atheniensibus.* Idem testatur Valer. Max. V, 3, ext. 3.

4. *Legationum.* Pro legatorum.— *Sic Lacedæmoniorum tyrannidem coarguit.* Lacedæmonios, exprobratione adhibita, tyrannidis convicit. Hanc vero illi tyrannidem, sive in ceteros Græcos superbum dominatum, post victoriam ad Ægos flumen reportatam affectabant.—*Quam Leuctrica pugna.* De qua Diodorus, XV; Xenophon, VI, Hist. Græc.; Plutarchus, Pelopida; Pausanias, Bœoticis. Polyænus, lib. II, aliquot Epaminondæ in hoc prælio refert strategemata. Lambin.

5. *Sociorum.* Quales erant Elei, Argivi, Arcades. Vide Plutarchum in Pelopida, cap. XXIV, et Xenophont. in Agesilao, II, 23. Tzs.

Cap. VII. 1. *Fuisse patientem.* Luculentum quoque exemplum præbet Valerius Max. III, 7, ext. 5: « Siquidem Epaminondas, quum ei cives irati, sternendarum in oppido viarum, contumeliæ causa, curam mandarent (erat enim illud ministerium apud eos sordidum); sine ulla cunctatione id recepit, daturumque se operam, ut brevi speciosissimum fieret, asseveravit. Mirifica deinde procuratione, abjectissimum negotium pro amplissimo ornamento expetendum Thebis reddidit. »

2. *Propter invidiam.* In primis, quod, in prælio ad Corinthum, repressa cæde, Lacedæmoniis pepercerat. Diodorus, XV, 72. Tzs. —*Duxque esset delectus belli imperitus.* Quem Cleomenem vocat Pau-

cujus errore eo esset deducta illa multitudo militum, ut omnes de salute pertimescerent, quod locorum angustiis clausi ab hostibus obsidebantur; desiderari cœpta est Epaminondæ diligentia. Erat enim ibi privatus, numero militis[3]. A quo quum peterent opem, nullam adhibuit memoriam contumeliæ; et exercitum, obsidione liberatum, domum reduxit incolumem. Neque vero hoc semel fecit, sed sæpius. Maxime autem fuit illustre, quum in Peloponnesum exercitum duxisset adversus Lacedæmonios, haberetque collegas duos[4], quorum alter erat Pelopidas, vir fortis ac strenuus. Hic quum criminibus[5] adversariorum omnes in invidiam venissent, ob eamque rem imperium his esset abrogatum, atque in eorum locum alii prætores successissent; Epaminondas populiscito non paruit, idemque ut facerent, persuasit collegis, et bellum, quod susceperat, gessit. Namque animadvertebat, nisi id fecisset, totum exercitum propter prætorum imprudentiam inscientiamque belli[6] periturum. Lex erat Thebis[7], quæ morte

sanias, Bœoticis, IX, 15. De bello agitur, quod susceperunt Thebani adversus Alexandrum Pheræum, Thessaliæ tyrannum, qui mala fraude Pelopidam in vincula conjectum tenebat. Vide Diodorum, XV, 71, et nostrum in Pelopida, V.

3. *Erat enim ibi privatus, numero militis.* Nam, ut Diodorus, XV, 71, et 72, refert, populus proditionis accusato magistratum abrogaverat, privatumque fecerat. *Numero militis.* Id est, loco, conditione. Ita Cicero in Verrem, Divin. cap. 19, *parentis numero*, quum paulo ante dixisset *loco*. — *Reduxit.* Liberato Pelopida. Confer ad vitam Pelopidæ, V.

4. *Collegas duos.* Ita etiam Appianus, in Syr. c. XLI. Alii plures memorant, summum tamen Epaminondam. Tzs.

5. *Criminibus adversariorum.* Uti sæpe, criminationibus. Sallust. Cat. XXXIV: « Se falsis criminibus circumventum. » — *Imperium his esset abrogatum.* Plutarchus, in Pelopida, hoc non scribit, sed solum elapsum fuisse dicit tempus imperii a lege præfinitum. Magius. — *Atque in eorum locum alii*, etc. Diodorus, XV, nullum de aliis successoribus in eorum locum subrogandis, neque de lege verbum facit. Lambin.

6. *Inscientiamque belli.* Id est, belli imperitiam, ignorantiam. Cicero, pro Sylla, XIV: « In tantis tenebris erroris et inscientiæ. »

7. *Lex erat Thebis.* Vide Cicer. I, de Invent.; Plutarchum, Apophth.

multabat, si quis imperium diutius retinuisset, quam lege præfinitum foret : hanc Epaminondas, quum reipublicæ conservandæ causa latam videret, ad perniciem civitatis conferre noluit; et quatuor mensibus diutius, quam populus jusserat, gessit imperium.

VIII. Postquam domum reditum est, collegæ ejus[1] hoc crimine accusabantur. Quibus ille permisit, ut omnem causam in se transferrent[2], suaque opera factum contenderent, ut legi non obedirent : qua defensione illis periculo liberatis, nemo Epaminondam responsurum putabat, quod, quid diceret, non haberet. At ille in judicium venit; nihil eorum negavit, quæ adversarii crimini dabant, omniaque, quæ collegæ dixerant, confessus est; neque recusavit, quominus legis pœnam subiret; sed unum ab iis petivit, ut in periculo suo[3] inscriberent : EPAMINONDAS A THEBANIS MORTE MULTATUS EST, QUOD EOS COEGIT APUD LEUCTRA SUPERARE LACEDÆMONIOS, QUOS ANTE SE IMPERATOREM NEMO BŒOTIORUM AUSUS FUIT ASPICERE[4] IN ACIE; QUODQUE UNO PRÆLIO NON SOLUM THEBAS AB INTERITU RETRAXIT, SED ETIAM UNIVERSAM GRÆCIAM IN LIBERTATEM VINDICAVIT, EOQUE RES UTRORUMQUE PERDUXIT, UT THEBANI SPARTAM OPPUGNARENT, LACEDÆMONII SA-

et Ælian. Var. Hist. XIII. Bosius.

Cap. VIII. 1. *Collegæ ejus.* Idem Ælianus. Epaminondam tantum et Pelopidam hoc crimine accusatos testatur Plutarchus, in Apophtheg.

2. *Omnem causam in se transferrent.* Ad verbum Plutarchus, εἰς ἑαυτὸν ἀναφέρειν τὴν αἰτίαν. *Causam* cur non paruissent, hinc culpam. — *Suaque opera factum contenderent.* Id est, affirmarentque se effecisse, ut legi non parerent. Elegantius quam si dixisset, *suaque opera legi non obediisse.*

3. *In periculo suo.* In sua damnatione, vel in tabulis publicis, in quibus reorum status et causa mortis proponebatur. Alii *pariculo.*

4. *Ausus fuit aspicere.* Solo igitur, ante imperatorem Epaminondam, Lacedæmonii aspectu Bœotios debellabant. Id terroris habebant et Romani : « Viderent modo adversos, et aspicerentur, id satis ad victoriam. » Tacit. Annal. III, 45. — *Universam Græciam.* Nam Lacedæmonii, clade Leuctrica et Mantineensi accepta, principatum Græciæ amiserunt; quod et Diodorus testatur, I, 15. Lambin. — *Satis*

TIS HABERENT, SI SALVI ESSE POSSENT; NEQUE PRIUS BELLARE DESTITIT, QUAM, MESSENE CONSTITUTA, URBEM EORUM OBSIDIONE CLAUSIT. Hæc quum dixisset, risus omnium cum hilaritate coortus est; neque quisquam judex ausus est de eo ferre suffragium. Sic a judicio capitis maxima discessit gloria [5].

IX. Hic extremo tempore imperator apud[1] Mantineam, quum acie instructa audacius instaret hostes, cognitus a Lacedæmoniis, quod in unius pernicie ejus patriæ sitam putabant salutem, universi in unum impetum fecerunt; neque prius abscesserunt, quam, magna cæde facta, multisque occisis, fortissime ipsum Epaminondam pugnantem, sparo eminus percussum, concidere viderunt. Hujus casu aliquantum retardati sunt Bœotii [2]: neque tamen prius pugna excesserunt, quam repugnantes profligarunt. At Epaminondas[3] quum animadverteret, mortiferum se vulnus

haberent. Eleganter pro contenti essent, nihil amplius requirerent. Ita loqui amant optimi scriptores. « Satis habebatis animam retinere. » Sallust. Jug. XXXI. — *Messene constituta.* Quæ multos annos deserta fuerat, atque adeo diruta atque eversa jacuerat, ut narrat Diodor. XV. LAMBIN. Hanc enim urbem opportuno ad invadendam Spartam situ everterant Spartani, quam de integro, revocatis Messeniis, additis coloniis et republica constituta, condiderat Epaminondas.

5. *Sic a judicio capitis maxima discessit gloria.* Simile ferme exemplum extat de Scipione apud Livium, l. XXXVIII; et Appian. in Syriac. Ælian. Var. Histor. XIII, 42, refert, quum Epaminondas domum curia regressus, et Melitensis catellus ei obviam caudablanditus esset, dixisse ad præsentes: « Hic mihi pro beneficio gratiam reponit; Thebani, de quibus sæpe præclare sum meritus, mihi capitis supplicium minabantur. » LOCCEN.

CAP. IX. 1. *Apud Mantineam.* Prolixe de hoc prælio Diodorus, XV; Strabo, IX; et Xenoph. Hist. Græc. VII, prope fin. — *Instaret hostes.* Romani veteres utrumque dicebant *insto illi* et *illum*, ut observat Priscianus, VIII. Est igitur ἀρχαϊσμός. — *Unius.* Tenenda hic oppositio et forma periodica. TZS. —*Sparo.* Sparus, inquit Servius, in Æneid. XI, 682, telum est rusticum, in modum pedis recurvum, quo frequenter Græci utebantur. COURT.

2. *Hujus casu aliquantum retardati sunt Bœotii.* Animos et ardorem pugnandi parumper remiserunt.

3. *At Epaminondas.* De vulnere, et ex eo consecuta Epaminondæ

accepisse, simulque, si ferrum, quod ex hastili in corpore remanserat, extraxisset, animam statim emissurum; usque eo retinuit, quoad renuntiatum est, vicisse Bœotios. Id postquam audivit: « Satis, inquit, vixi; invictus enim morior. » Tum, ferro extracto[4], confestim exanimatus est.

X. Hic uxorem nunquam duxit[1]. In quo quum reprehenderetur [quod liberos non relinqueret] a Pelopida, qui filium habebat infamem[2]; maleque eum in eo patriæ consulere diceret: « Vide, inquit, ne tu pejus consulas, qui talem ex te natum relicturus sis. Neque vero stirps mihi potest deesse; namque ex me natam relinquo pugnam Leuctricam, quæ non modo mihi superstes, sed etiam immortalis sit necesse est ». Quo tempore, duce Pelopida, exules Thebas occuparunt, et præsidium Lacedæmoniorum ex arce[3] expulerunt, Epaminondas, quamdiu facta est cædes civium, domo se tenuit; quod neque malos defendere volebat, neque impugnare, ne manus suorum sanguine cruentaret: namque omnem civilem victoriam

morte, paullo aliter narrat Pausanias, in Arcadicis. Sed cum nostro convenit Diodorus, XV; itemque Cicero, Fam. epist. V, 12. Buchner. Consuli et Ælianus potest, XII, 3; ac Valer. Max. III, 2, ext. 5; itemque Plutarchus in Apopht.; et Justinus, VI, 8. Bosius. — *Vicisse Bœotios*. Dubiam tamen alii faciunt victoriam. Testis Xenophon, qui hoc prælio suæ rerum Græcarum historiæ finem imposuit.

4. *Tum, ferro extracto, confestim exanimatus est.* « E corpore deinde suo hastam educi jussit, eoque vulnere expiravit. » Valer. Max. l. c. Lethali nempe hæmorragiæ ferrum, dum fuit infixum, obstitit.

Cap. X. 1. *Hic uxorem nunquam duxit.* Polyænus tamen, II, 2, illi dat γυναῖκα, quod vel suspectum habent, vel de meretrice explicant. Filium ejus Stesimbrotum memorat Plutarchus, in Parallelis.

2. *Qui filium habebat infamem.* Ex Plutarcho cognoscere licet, filios aliquot Pelopidam ex uxore sua habuisse. Sed neque quot fuerint, neque ullum ex iis infamem fuisse narrat. Lambin. — *Ex me natam relinquo pugnam Leuctricam.* Hæc est concinnitas in brevitate respondendi, quam supra, V, de eo prædicavit. Tzs. « Orbus quoque, non tamen sine liberis morior, quoniam mirificas filias Leuctra et Mantineam relinquo. » Valer. Max. III, 2, extr. 5. Mantineæ victoriam addunt pariter Diodor. et Xenoph.

3. *Ex arce.* Cadmea, scilicet.

funestam putabat. Idem, postquam apud Cadmeam[4] pugnari cum Lacedæmoniis cœpit, in primis stetit. Hujus de virtutibus vitaque satis erit dictum, si hoc unum adjunxero, quod nemo eat inficias[5], Thebas et ante Epaminondam natum, et post ejus interitum, perpetuo alieno paruisse imperio; contrà ea, quamdiu ille præfuerit reipublicæ, caput fuisse totius Græciæ: ex quo intelligi potest, unum hominem pluris, quam civitatem fuisse[6].

4. *Apud Cadmeam.* Thebarum arcem, a Cadmo conditore.

5. *Quod nemo eat inficias.* Quod nemo negaverit. Ita multi: Terentius, Adelph. III, 2; Aul. Gell. XVI, 19; et Quintilianus, III, 7.—*Post ejus interitum*, etc. Similia tradit Diodorus.

6. *Unum hominem pluris, quam civitatem fuisse.* Ita fere Sallust. Cat. LIII: « Mihi multa agitanti constat paucorum civium egregiam virtutem cuncta patrasse, etc. » *Ainsi tout le royaume pleure la mort de son défenseur, et la perte d'un seul homme est une calamité publique. Fléchier, Orais. fun. de Turenne.*

* Epaminondam memorant Plutarchus in Pelopida, et passim; Diodorus Siculus, XV; Xenophon, VI et VII Hist. Græc.; Pausanias, in Arcadicis; Ælianus, Var. Histor.; Cicero, sæpius; Polyænus, l. II; Front., sæpe; Justinus, VI, 4; idem, VI, 7 et 8; Val. Max. III, 2, ext. 5; III, 7 ext. 5. Boecler. His adde Suidam, in voce Ἐπαμινώνδας, et ibidem notas Æmilii Porti. Ernst. Adde et Polybium, IX, qui eum cum Hannibale comparat; Diodor. Sicul. lib. VI, in Excerptis Peirescianis, ubi elogium ejus habes; Nonnum, in collectione historiarum ad στηλιτευτικὴν Gregorii Nazianzeni, pag. 133 edition. anglic. Nummus penes me est elegantissimus, sed recentior, ut arbitror, in cujus antica parte caput Epaminondæ cum litteris, ΕΠΑΜΙΝΟΝΔΑΣ ΘΗΒΑΙΟΣ; in postica, figura militaris ad arma sedens, ac sinistra lauream tenens; ante eam, columna, cui galea imposita, et serpens circumvolvitur, cum armis: subtus, ΚΑΤΑ ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝ. Bosius. De Epaminondæ rebus adde in primis apud nos *Montaigne, Essais*, I, 1 et 18; II, 8 et 36; III, 1; *Rollin, Hist. Anc.* liv. XII; *Barthélemy, Voyage d'Anach.*, etc.



XVI.

PELOPIDAS.

ARGUMENTUM.

Cap. I; In exilium ejicitur. — II; Cum duodecim adolescentibus clam Thebas revertitur. — III; Interfectis tyrannis, libertatem patriæ restituit. — IV; Reliquæ ejus expeditiones communes cum Epaminonda. — V; Prælio adversus Alexandrum Pheræum cadit.

Pelopidas, Thebanus[1], magis historicis, quam vulgo notus. Cujus de virtutibus dubito quemadmodum exponam, quod vereor, ne, si res explicare incipiam, non vitam ejus enarrare, sed historiam[2] videar scribere; si tantummodo summas attigero, ne rudibus litterarum Græcarum minus lucide appareat, quantus fuerit ille vir. Itaque utrique rei occurram, quantum potero; et medebor quum satietati, tum ignorantiæ lectorum. Phœbidas Lace-

Cap. I. 1. *Pelopidas Thebanus.* Hippocli filius, nobili Thebis genere. Vide Plutarch. in vita, c. III. Non igitur ad nostrum Pelopidam pertinet, quod e Suida adducit Ernstius. — *Historicis.* Alii *historiis.* Id est, doctis, litteratis, quos Cic. pro Murena, c. VII, cum historicis conjungit, populoque opponit.

2. *Sed historiam.* Quæ, ut apprime animadvertit Tzschuck., plura dat plurium, dum *vita* ad unum, de quo agitur, omnia maxime refert. Quod si historiam scripsisset noster, ea, quæ superius de Epaminonda dicta, aliaque non pauca ab eo gesta, hic repetere debuisset, quæ, ut ipse memorat, communia cum eo habuit Pelopidas. Ita Plut. in Alex.: Οὔτε γὰρ ἱστορίας γράφομεν, ἀλλὰ βίους. — *Summas.* Res præcipuas.—*Attigero* opponitur *explicare*.

dæmonius, quum exercitum Olynthum duceret[3], iterque per Thebas faceret, arcem oppidi, quæ Cadmea nominatur, occupavit impulsu perpaucorum Thebanorum, qui, adversariæ factioni quo facilius resisterent, Laconum rebus studebant; idque suo privato, non publico fecit consilio. Quo facto eum Lacedæmonii ab exercitu removerunt, pecuniaque multarunt[4]. Neque eo magis arcem Thebanis reddiderunt; quod, susceptis inimicitiis[5], satius ducebant eos obsideri, quam liberari. Nam post Peloponnesium bellum, Athenasque devictas, cum Thebanis sibi rem esse[6] existimabant, et eos esse solos, qui adversus resistere auderent. Hac mente amicis suis[7] summas potestates dederant, alteriusque factionis principes partim inter-

3. *Quum exercitum Olynthum duceret.* Ut Amyntæ, Macedonum regi, opem ferret, qui, quum ei satisfacere recusassent Olynthii, eorum urbem oppugnare meditabatur. Diod. Sic. XV, 19. Paullo aliter Xenophon in Histor. Græc. V, 2. — *Arcem oppidi, quæ Cadmea nominatur.* Ita, ut supra diximus, vocata, quod a Cadmo, Agenoris, Phœnicum regis, filio fuerat extructa. Prolixe de hoc Xenophon et Plutarchus; brevius Diodorus, XV, 20, aliique. — *Impulsu perpaucorum.* Qui fuerunt Archias, Leontides et Philippus, viri, teste Plutarcho, principatu quidem et divitiis clari, sed nihil modestum sentientes. — *Adversariæ factioni.* In qua numerabantur Ismenias, Pelopidas, Pherenicus, Androclides, Epaminondas. — *Non publico.* Diodorus contra, XV, 20, Ephoros narrat clam ei mandasse, ut, opportunitatem nactus, arcem occuparet. Adde Polybium, IV.

4. *Pecuniaque multarunt.* Decem myriadibus drachmarum, ut Plut. ait, Pelopida. Imo ab interitu eum servavit Agesilaus; quippe qui id factum probaret, atque ideo mandasse vulgo crederetur, quum patriæ utilitati magis quam justitiæ consuleret.

5. *Quod, susceptis inimicitiis*, etc. Hoc est, quod, quum jam propter istud facinus inter se commotæ essent inimicitiæ, satius ducebant Thebanos obsideri, quam liberari. Courtin.

6. *Sibi rem esse.* Sibi esse contentionem. — *Adversus.* Absolute, ut in Ages. IV: « Iratus videbatur omnibus, qui adversus arma tulerant. »

7. *Amicis suis.* Id est, civibus Thebanis, suæ potentiæ fautoribus. — *Alteriusque factionis principes.* Ismeniam, capitis accusatum, damnarunt. Androclides, Pelopidas, Pherenicus, et multi alii plus cccc, Athenas profugerant, ex quibus Androclidem Leontides dolo interficiendum curavit, ut Xenophon et Plutarchus narrant. Lambin. — *Partim.* Debebat sequi *partim*, ut c. III: quod alibi dicitur *alii, alii.*

fecerant, alios in exilium ejecerant: in quibus Pelopidas hic, de quo scribere exorsi sumus, pulsus patria carebat.

II. Hi omnes fere Athenas se contulerant, non quo sequerentur otium, sed ut, quemque ex proximo[1] locum fors obtulisset, eo patriam recuperare niterentur. Itaque quum tempus est visum rei gerendæ, communiter[2] cum his, qui Thebis idem sentiebant, diem delegerunt, ad inimicos opprimendos civitatemque liberandam, eum, quo maximi magistratus simul consueverant epulari. Magnæ sæpe res non ita magnis copiis sunt gestæ; sed profecto nunquam ab tam tenui initio tantæ opes sunt profligatæ. Nam duodecim adolescentuli coierunt[3] ex his, qui exilio erant multati, quum omnino non essent amplius centum, qui tanto se offerrent periculo. Qua paucitate perculsa est Lacedæmoniorum potentia[4]. Hi enim non magis adversariorum factioni, quam Spartanis[5] eo tempore bellum intulerunt, qui principes erant totius Græciæ: quorum

Sed ita passim deflectunt auctores et latini et græci. Tzs.

Cap. II. 1. *Sed ut... quemque ex proximo*, etc. Scil., ut, quam primam occasionem fortuna dedisset, ea ad patriam recuperandam uterentur.

2. *Communiter*. Communi consilio. Hanc vocem in primis adhibere solet Cicero: « Conscripseruntcommuniter edictum; idque, quod communiter compositum fuerat, solus edixit. » De Offic. III, 20: « Rosc. omnia cum Chrysogono communiter possidet. » Pro Rosc. Am. XXXVII. — *Eum*. (diem scil.), *quo maximi magistratus*... Quam rem fuse narrat Xenophon, de Reb. Græc. V, 14, aitque eum diem fuisse, quo Veneris celebrabatur festum, quoque suum Polemarchi imperium deponere solebant. Plutarchus autem, quum in Pelopida, tum in Genio Socratis, maximos magistratus a Phyllida, eorum scriba, convivio exceptos narrat.

3. *Duodecim adolescentuli coierunt*. Id est, conspirarunt. Quorum de numero cum Nepote consentit Plutarchus. Xenophon vero sex duntaxat exules fuisse tradit cum Mellone, qui erat septimus.

4. *Perculsa est Lacedæmoniorum potentia*. Nam bellum, quod Spartæ dignitatem ac majestatem fregit, quodque Lacedæmonios maris et terræ imperio spoliavit, ex illa nocte, qua hi duodecim juvenes Thebani tyrannos oppresserunt, natum est. Sic Plutarchus, Pelopida, et Diodorus, XV. Lambin.

5. *Spartanis*. Qui Cadmeam tenebant, hancque factionem tuebantur.

imperii majestas, neque ita multo post, Leuctrica pugna, ab hoc initio perculsa, concidit. Illi igitur duodecim, quorum erat dux Pelopidas, quum Athenis interdiu exissent, ut vesperascente cœlo Thebas possent pervenire, cum canibus venaticis[6] exierunt, retia ferentes, vestitu agresti, quo minore suspicione facerent iter. Qui quum tempore ipso, quo studuerant[7], pervenissent, domum Charonis devenerunt, a quo et tempus et dies erat datus.

III. Hoc loco libet interponere[1], etsi sejunctum ab re proposita est, nimia fiducia quantæ calamitati soleat esse. Nam magistratuum Thebanorum statim ad aures pervenit, exules in urbem devenisse. Id illi, vino epulisque dediti, usque eo despexerunt, ut ne quærere quidem de tanta re laborarint. Accessit etiam, quod magis aperiret eorum dementiam : allata est enim epistola Athenis ab Archia hierophante[2], uni ex his, Archiæ, qui tum maxi-

6. *Cum canibus venaticis*... Hoc sc. consilio, ut venatores mentirentur.

7. *Quo studuerant.* Pervenire scilicet. Xenophon tradit eos ea hora ad urbis portas venisse, qua ab opere rustico in urbem ii redeunt, qui postremi et maxime sero redeunt. Lamb. Diodorus noctu rediisse ait; Plutarchus, ἔτι ἡμέρας οὔσης, et aere ob ventum et nivem mutari incipiente, eoque plerisque civium in sedes suas ob tempestatem reversis. Bosius. Plutarchus, De Socratis genio, rem latius scribit. — *Charonis.* Charon autem potens et dives fuit Thebis, qui domum conjuratis obtulerat, et ad Platæas feliciter pugnaverat. Ad quem etiam Leuctricæ pugnæ laudem Meneclides orator invidiose transferebat. Plutarchus auctor. Schottus. — *Et tempus et dies.* Et dies et tempus diei.

Cap. III. 1. *Hoc loco libet interponere.* Id est, hanc sententiam, licet ab historia simpliciter pertexenda alienam, me juvat hoc loco inserere. — *Nimia fiducia*..... Congruit illud Velleii Paterculi, II, 118 : « Neminem celerius opprimi, quam qui nihil timet, et frequentissimum initium esse calamitatis securitatem. »

2. *Ab Archia hierophante, uni ex his*, etc. Ita Plutarchus : ἧκέ τις ἐξ Ἀθηνῶν παρ' Ἀρχίου τοῦ ἱεροφάντου πρὸς Ἀρχίαν, τὸν ὁμώνυμον ξένον ὄντα καὶ φίλον, ἐπιστολὴν κομίζων. Ergo Atheniensis ille, qui scripsit, Archias nomine, et hierophantes erat; et ille, cui scribebatur, Archias etiam, Polemarchi munere Thebis fungebatur. Hierophantæ autem sacerdotes erant Atheniensium, qui sacrorum custodiæ præfecti erant, et, ut addit Tzschuck., maxime cærimoniis Eleusiniis præe-

mum magistratum Thebis obtinebat : in qua omnia de profectione exulum perscripta erant. Quæ quum jam accubanti in convivio esset data, sicut erat signata, sub pulvinum[3] subjiciens: « In crastinum, inquit, differo res severas.» At illi omnes, quum jam nox processisset[4], vinolenti ab exulibus, duce Pelopida, sunt interfecti. Quibus rebus confectis, vulgo ad arma libertatemque vocato, non solum qui in urbe erant, sed etiam undique ex agris concurrerunt, præsidium Lacedæmoniorum ex arce pepulerunt, patriam obsidione liberaverunt[5], auctores Cadmeæ occupandæ partim occiderunt, partim in exilium ejecerunt.

IV. Hoc tam turbido tempore, sicut supra[1] docuimus, Epaminondas, quoad cum civibus dimicatum est, domi quietus fuit. Itaque hæc liberandarum[2] Thebarum propria

rant. Alii *Hierophante* Archiæ cognomen volunt. — *Maximum magistratum.* Nempe erat Polemarchus cum Philippo et Leontide. Hi autem Polemarchi a Plutarcho, Agesil., τῶν πραγμάτων καὶ τῆς πολιτείας κύριοι vocantur. Plerumque duo; summa tamen urgente necessitate, tres creabantur. Vide Plut. Pelop. Apud Ætolos Polem. claudendarum portarum et urbis curam gerebat, claves noctu detinebat ; interdiu autem custodiis portarum assidebat.

3. *Sub pulvinum.* Cui incumbebat.

4. *Quum jam nox processisset.* Ita Sallust. Jugurth. XXI : « Ubi plerumque noctis processit. » Nullum hic scriptor de exulibus vestitu muliebri ornatis verbum facit, neque Diodorus. Ceteri, Xenophon, Plutarchus, Polyænus, mulierum nobilium noctes promissas fuisse, et juvenes exules muliebri ornatu intromissos esse in domos tyrannorum, Lacedæmoniorum rebus studentium, congruentes inter se narrant. Lambin.

5. *Patriam obsidione liberaverunt.* Non quod eam obsiderent, sed quod tenerent arcem Lacedæmonii, quo fiebat, ut obsessa urbs Thebanorum et clausa videretur. Sic jam, c. I : « Satius ducebant eos obsideri. » — *Auctores.* Quorum impulsu res gesta erat. Vide supra, I.

Cap. IV. 1. *Supra.* In Epaminonda, X. Plutarchus autem, in Pelopid. II, et passim, tradit eum cum Gorgia populum congregasse, et auxilio venisse. Neque tamen ille in exilium missus erat; sed, ob paupertatem et philosophiæ studium, quum minus timeretur, domi manere potuerat.

2. *Liberandarum.* De consilio. Poterat utique dicere *liberatarum.* Hæc autem sæpe mutantur participia. Vide Perizonium, ad Sanctii Minervam, I, 15, not. 8. — *Propria laus est Pelopidæ.* Gloria ex com-

laus est Pelopidæ : ceteræ fere omnes communes cum Epaminonda. Namque Leuctrica pugna, imperatore Epaminonda, hic fuit dux delectæ manus [3], quæ prima phalangem prostravit Laconum. Omnibus præterea periculis affuit : sicut [4] Spartam quum oppugnavit, alterum tenuit cornu ; quoque Messena celerius restitueretur, legatus in Persas est profectus. Denique [5] hæc fuit altera persona Thebis, sed tamen secunda, ita ut proxima esset Epaminondæ.

V. Conflictatus autem est cum adversa fortuna : nam et initio, sicut ostendimus, exul patria caruit [1] ; et quum Thessaliam in potestatem Thebanorum cuperet redigere, legationisque jure satis tectum se arbitraretur, quod apud omnes gentes sanctum esse consuesset, a tyranno Alexandro Pheræo simul cum Ismenia comprehensus, in vincula conjectus est. Hunc Epaminondas recuperavit [2], bello

mendatione hujusce liberationis soli Pelopidæ, tanquam facti auctori, debetur.

3. *Delectæ manus.* Ἱεροῦ λόχου, sacræ cohortis, Diodor. XV, 81, quæ trecentis, ut plurimi tradunt, viris fortissimis constabat, aut vincere aut una perire conjuratis. Hæc autem cohors a Gorgia fuit instituta. Vid. Polyæn. II. De cohorte hac multa Plutarchus, Pelopida.

4. *Sicut.* Exempli gratia.—*Legatus.* Effecit auctoritate et nominis gloria, ut legatio Lacedæmoniorum et Atheniensium, de societate ineunda ad Artaxerxem missa, irrita caderet, et Messene αὐτονόμος ἀπὸ Λακεδαιμονίων restitui posset. Ita Plutarchus, in vita, c. XXX, aliique. Tzs.

5. *Denique.* Breviter, omnino ; ubi, prætermissis pluribus, ad summam reliqua redigimus. Idem. — *Hæc fuit altera persona*, etc. Translatio e scena sumpta. Sensus autem est : Thebis, hac tempestate, duo viri extiterunt, qui eminerent et præcipuas partes agerent, Epaminondas scilicet et Pelopidas ; ita tamen ut ille priorem locum teneret, proxime sequeretur Pelopidas.

Cap. V. 1. *Exul patria caruit.* Eleganter pro *fuit*. Sic supra, *pulsus patria carebat.* — *Legationisque jure.* Vide Plutarchum, in Pelop. Alexandrum Pheræum, quem immanem tyrannum fuisse constat, accusaverant Thessali, quod civitates eorum vexasset.

2. *Hunc Epaminondas recuperavit.* Cum Ismenia. Vide Plutarch. in Pelopida c. XXIX. Notandum autem *recuperare* de hominibus hic usurpatum, quum vulgo ad res referatur. Iterum in Ages. VI : « Adolescentulos simulata laudatione recuperavit. »

persequens Alexandrum. Post id factum, nunquam is animo placari potuit in eum, a quo erat violatus. Itaque persuasit Thebanis[3], ut subsidio Thessaliæ proficiscerentur, tyrannosque ejus expellerent. Cujus belli quum ei summa esset data, eoque cum exercitu profectus esset; non dubitavit, simul ac conspexit hostem[4], confligere. In quo prælio Alexandrum ut animadvertit, incensus ira[5], equum in eum concitavit, proculque digressus a suis, conjectu telorum confossus concidit. Atque hoc secunda victoria[6] accidit: nam jam inclinatæ erant tyrannorum copiæ. Quo facto, omnes Thessaliæ civitates[7] interfectum Pelopidam coronis aureis, et statuis æneis, liberosque ejus multo agro donarunt.

3. *Persuasit Thebanis*. Expetitus a Thessalis, quos iterum vexabat Alexander, uti narrant Plutarchus et Diodorus.

4. *Simul ac conspexit hostem*. Sic Diodorus et Plutarchus, licet, Diodoro teste, militum amplius viginti millia haberet Alexander.

5. *Incensus ira*, etc. Plutarchus ob id factum Pelopidæ temeritatis notam inurit. Magius.

6. *Secunda victoria*. Propitia, quum jam se ad Thessalos inclinasset victoria, ut quidam interpretantur. Tzschucke *secunda* ex propria vocis significatione intelligit, cujus sententiam confirmat Diodorus: ὁ Ἀλέξανδρος δευτέρᾳ μάχῃ λειφθείς.

7. *Omnes Thessaliæ civitates*. Quibus honoribus et studiis prosecutæ sint Pelopidæ funus, docet Plutarchus in vita, non minus eleganter quam copiose. — *Coronis aureis*. Quæ etiam mortuis imponi solebant, ut docet Cicero, pro Flacco.

* Pelopidam narravere Plutarch. in vita; Xenophon, Histor. Græc. V; Diodorus, XV; Polyænus, II; Frontinus, I, 5, 2; II, 3, 8; IV, 7, 28; Ælianus, Var. Hist. XI, 9; Polybius, VI et VIII; Pausanias, in Bœoticis. Boecler. Adde *Rollin*, *Histoire Ancienne*, livre XII; *Barthélemy*, *Voyage d'Anacharsis*; etc.



XVII.

AGESILAUS.

ARGUMENTUM.

Cap. I; Cum fratris filio de honore regni contendit Agesilaus. — II; Pactas cum Tissapherne inducias religiose servat. — III; Phrygiam depopulatur. Ephesi hiemat, et militem exercet. Alio it, alio se iturum simulat. Semper in Asia victor. — IV; Domum revocatur. Bœotios vincit, iisque parcit. — V; Bello circa Corinthum victor, miseratur cædem Græcorum. — VI; Ad pugnam Leuctricam ire recusat. Spartam a Thebanis oppugnatam singulari servat commento. — VII; Patriam sublevat pecunia. — VIII; Corpore deformis, apparatuque utens vulgari, contemnitur a Barbaris. In portu Menelai moritur.

Agesilaus, Lacedæmonius, quum a ceteris scriptoribus, tum eximie a Xenophonte Socratico collaudatus[1] est: eo enim usus est familiarissime. Hic primum de regno cum

Cap. I. 1. *A Xenophonte Socratico collaudatus est. Socratico*, quippe qui Socrate præceptore et duce usus fuisset. Ita Xenophontem appellat Cicero, de Officiis, II, 24. *Collaudatus est.* Id est, maxime fuit laudatus. Extat adhuc laudatio hæc præstantissimi philosophi ac ducis, Λόγος εἰς Ἀγησίλαον. Hunc quidem libellum nonnulli, et in primis Walkenaer, a sophista aliquo profectum putant; videndum vero, quid viri clariss. Weiske et Schneider pro ejusdem operis auctoritate disputaverint. — *Eo enim usus est familiarissime.* Uter altero? Etsi omnino parum refert. Sine dubio, in hac scripturæ continua serie, Agesilaus Xenophonte. Eum enim in magno honore habuisse

Leotychide [2], fratris filio, habuit contentionem. Mos est enim a majoribus Lacedæmoniis traditus, ut duos haberent semper reges, nomine magis quam imperio [3], ex duabus familiis Proclis et Eurysthenis, qui principes ex progenie Herculis Spartæ reges fuerunt. Harum ex altera in alterius familiæ locum fieri non licebat [4]. Itaque utraque suum retinebat ordinem [5]. Primum ratio habebatur [6], qui maximus natu esset ex liberis ejus, qui regnans decessisset. Sin is [7] virilem sexum non reliquisset, tum deligebatur, qui proximus esset propinquitate. Mortuus erat Agis rex [8], frater Agesilai; filium reliquerat Leotychidem, quem ille natum non agnorat [9], eumdem moriens suum esse dixerat. Is de honore regni cum Agesilao, suo patruo, contendit; neque id, quod petivit, consecutus est. Nam

affirmat Plutarchus in vita Agesil. c. XX, et Apophtheg. Lacon. Tzs.

2. *Leotychide.* Λευτυχίδεα perpetuo hunc vocat *Herodotus*.

3. *Nomine magis quam imperio.* Quippe Spartanorum regum imperium Ephororum et senatus auctoritate circumscriptum erat. Quod pluribus exponunt Aristoteles, Politic. II, 4, 7, 10; Xenophon, Cragius, Ubo Emmius, de Repub. Lacedæmon.; Polybius, liber VI, et alii. Loccen. Ita de Regibus, I, Agesilaum *nomine, non potestate* fuisse regem tradit. Quorum regum alter exercitui, alter civitati præerat. — *Qui principes ex progenie Herculis*, etc. *Principes*. Id est, primi. De *duabus familiis* inter se non consentiunt ipsi veteres.

4. *Harum ex altera in alterius familiæ locum fieri non licebat.* Sensus est: Qui ex Proclidarum familia erat, non poterat rex fieri in locum ejus, qui ex Eurysthenidarum familia ortus esset, et vice versa. Alii legunt *horum*, scilicet Proclis et Eurysthenis.

5. *Suum retinebat ordinem.* In successione scilicet, et jure familiæ.

6. *Primum ratio habebatur*, etc. Regis extincti puerorum natu maximus patri suo primus sufficiebatur. Sumpta est autem ab usu Romanorum locutio.

7. *Sin is.* Rex, qui decesserat.

8. *Mortuus erat Agis rex.* De morte et sepultura Agidis lege Xenophontem, Hist. Gr. III, 3.

9. *Non agnorat.* Scilicet pro legitimo partu. Leotychides enim ex Alcibiade, qui Timæam, Agidis uxorem, corrupisset, susceptus credebatur. Plut. in Lysandr. et Athænum, XII. *Agnorat.* Ita apud nos, *reconnaître un enfant.* — *Suum esse dixerat.* Nempe filium. Pueri, teste Plutarcho, precibus ac lacrymis expugnatus; vel, ut tradit Pausanias, III, 8, pœnitentia ductus.

Lysandro suffragante[10], homine, ut ostendimus supra, factioso, et his temporibus potente, Agesilaus antelatus est.

II. Hic, simul atque imperii potitus est[1], persuasit Lacedæmoniis, ut exercitum emitterent in Asiam, bellumque regi facerent, docens satius esse in Asia, quam in Europa dimicare. Namque fama exierat Artaxerxem comparare classes, pedestresque exercitus[2], quos in Græciam mitteret. Data potestate[3], tanta celeritate usus est, ut prius in Asiam cum copiis pervenerit, quam regii satrapæ eum scirent profectum. Quo factum est, ut omnes imparatos imprudentesque offenderet. Id ut cognovit Tissaphernes[4], qui summum imperium tum inter præfectos habebat regios, inducias a Lacone petivit, simulans se dare ope-

10. *Lysandro suffragante.* Qui, teste Plutarch. in Ages. et Lysandr., puerum Agesilaum amaverat.—*Ut ostendimus supra*, in ejus vita, I et II.

Cap. II. 1. *Imperii potitus est.* Alias imperio. — *Persuasit Lacedæmoniis.* Impellente Lysandro. Xenoph. in Hist. Græc. III, 4; Plutarchus in Lysandro, XXIII, et Agesilao, VI; sed, ut noster, Xenophon. in Agesil. I. Contra, jussum esse Agesilaum exercitum in Asiam trajicere, scribit Pausanias, III, 9. Tzs. — *Exercitum.* Exercitus fuit sex M militum, qui numerus postea crevit, ut omnino essent decem millia pedites, equites quadringenti. Diod. Sic. XIV, 70. Minuit tamen hunc numerum Xenophon in Hist. Gr. III, 4, a se ipse discrepans, si recte legitur in Agesilao, ubi etiam omnino octo militum millibus constitisse tradit. Tzs.—*Bellumque regi facerent.* Hanc etiam locutionem usurpat Sallust. Cat. XXVI: *Constituit bellum facere.* Adde Tacitum, Ann. III, 18: « Quando M. Antonii, qui bellum patriæ fecisset, nomen maneret, etc. »

2. *Pedestresque exercitus.* Pro *terrestres* Latini usurpant.

3. *Data potestate.* Belli scilicet gerendi.— *Tanta celeritate usus est.* Impeditus quidem a Bœotarchis, quominus sacrificiis circa Aulidem immoraretur. De quo Xenophon, Histor. Græc. III, 4, et prolixius Plut. in vita, c. VI. Tzs. Magna autem Agesilai iter facientis celeritas celebratur, ita ut aliquando iter duorum dierum uno confecisse dicatur, teste Polyæn. II, 1, 11.

4. *Tissaphernes.* Ille, Cyrum minorem apud Artaxerxem fratrem criminando, causa fuit ejus belli, quod postea inter fratres exarsit: occisus est tandem ejusdem Artaxerxis jussu, quod adversus Agesilaum rem perfide gerere videretur. Vide Xenophont. de Reb. Gr. l. III, c. 11. Courtin. — *Inducias a Lacone petivit. Lacone*, i. e., Agesilao. Ita Sall.

ram, ut Lacedæmoniis cum rege conveniret; re autem vera ad copias comparandas: easque impetravit trimestres. Juravit autem uterque, se sine dolo inducias conservaturum; in qua pactione summa fide mansit Agesilaus: contra ea Tissaphernes nihil aliud, quam bellum comparavit. Id etsi sentiebat Laco, tamen jusjurandum servabat, multumque in eo se consequi[5] dicebat, quod Tissaphernes perjurio suo et homines suis rebus abalienaret, et Deos sibi iratos redderet; se autem, servata religione, confirmare exercitum, quum animadverteret Deorum numen facere secum; hominesque sibi conciliari amiciores, quod his studere consuessent, quos conservare fidem viderent.

III. Postquam induciarum præteriit dies[1], Barbarus, non dubitans, quod ipsius erant plurima domicilia in Caria, et ea regio his temporibus multo putabatur locupletissima, eo potissimum hostes impetum facturos; omnes suas copias eo contraxerat. At Agesilaus in Phrygiam[2] se convertit, eamque prius depopulatus est,

Jugurtham *Numidam*, Boechum passim *Maurum* vocat. De iisdem induciis mala fide a Tissapherne factis loquitur Xenoph. III, 8. — *Ut Lacedæmoniis cum rege conveniret.* Utpax inter utrosque conciliaretur. *Convenire* pro *pacisci.* Tunc autem Græcarum civitatum in Asia αὐτονομία agebatur, Xenoph. III, 4.

5. *Consequi.* Id est, lucrari. — *Quum animadverteret.* Exercitus scilicet. — *Deorum numen facere secum. Numen.* Sic, in Timoleonte, IV, noster, et alii. Id est, auspicium, potestatem, auxilium, vel omnino ex periphrasi, pro *deos.* Tzs. *Facere secum*, pro favere, tueri, partes suas sequi. Cic. pro Quint. c. 3: « Veritas cum illo facit. » Ov. de Arte, III, 762: Cum Veneris puéro non male, Bacche, facis.

Cap. III. 1. *Dies.* Terminus ultimus. — *Barbarus.* De more, Persa, Tissaphernes. — *Domicilia in Caria.* Diodorus refert, lib. XIV, in ejusmodi domiciliis, seu castellis, hortos fuisse amœnissimos, omnibusque rebus ad voluptatem et delicias comparatis instructos. Court.

2. *In Phrygiam.* Sic quoque Xenophon, etsi rem paullo aliter narrans, et Plutarchus, in Agesilao. Neque, uti Magio ac Lambino visum est, a nostro discrepant Polyænus, II, 8, et Frontinus, I, 8, 12; qui Agesilaum in Lydiam irrupisse scribunt. Illi enim de alte-

quam Tissaphernes usquam se moveret. Magna præda militibus locupletatis, Ephesum hiematum exercitum reduxit[3]; atque ibi, officinis armorum institutis, magna industria bellum apparavit. Et quo studiosius armarentur, insigniusque ornarentur, præmia proposuit[4], quibus donarentur, quorum egregia in ea re fuisset industria. Fecit idem in exercitationum generibus[5], ut, qui ceteris præstitissent, eos magnis afficeret muneribus. His igitur rebus effecit, ut et ornatissimum et exercitatissimum haberet exercitum. Huic quum tempus esset visum, copias extrahere ex hibernaculis; vidit, si, quo esset iter facturus, palam pronuntiasset, hostes non credituros, aliasque regiones præsidiis occupaturos, nec dubitaturos aliud esse facturum, ac pronuntiasset. Itaque, quum ille Sardis iturum se dixisset[6], Tissaphernes eamdem Cariam defendendam putavit. In quo quum eum opinio fefellisset, victumque se vidisset consilio; sero suis præsidio profectus est[7]: nam quum illo venisset, jam Agesilaus, multis locis expugnatis, magna erat præda potitus. Laco autem, quum videret hostes equitatu superare, nunquam in campo sui

ro loquuntur strategemate, de quo mox noster. Infra enim, *quum ille Sardis iturum se dixisset*. Sardes autem urbs Lydiæ primaria fuit.

3. *Exercitum reduxit*. Quia exta sacrificanti parum læta fuerant, et victimæ sine fibris etiam extiterant, ideo longius non progressus est. Sic refert Diodorus, lib. XIV; alteram adde caussam, quia ipsi deerat equitatus, cujus defectu barbaris impar esse videbatur. Xenophon. III, 4. — *Magna industria*. Equos cum sessoribus eo bello extorsit ditioribus, qui, misso vicario milite, vacationem militiæ impetrabant. Vid. Plut. in vita, et Apophth. Lacon.; et Xenophon. in Agesilao.

4. *Præmia proposuit*. De hac re vide Xenophont. l. c.

5. *Fecit idem in exercitationum generibus*. Hoc pluribus verbis persequitur Xenophon in Agesilao, et de Reb. Gr. III, 4, 6. Lambin.

6. *Quum ille Sardis iturum se dixisset*. Confer ad Polyæn. II, in Agesilao, comm. 9, et ad Frontinum, I, 8, ex. 12. — *Eamdem Cariam*. Quam antea tutatus erat.

7. *Sero suis præsidio profectus est*. Quarto scilicet die, postquam in Lydiam ingressus hanc jam populatus erat Agesilaus, ut tradit Xenophon, Ages. I, 11; Hist. Gr. III, 4.

fecit potestatem, et his locis manum conseruit[8], quibus plus pedestres copiæ valerent. Pepulit ergo, quotiescumque congressus est, multo majores adversariorum copias, et sic in Asia versatus est, ut omnium opinione victor duceretur[9].

IV. Hic quum jam animo meditaretur proficisci in Persas, et ipsum regem adoriri; nuntius[1] ei domo venit ephororum jussu, bellum Athenienses et Bœotios indixisse Lacedæmoniis; quare venire ne dubitaret. In hoc non minus ejus pietas suspicienda est[2], quam virtus bellica : qui, quum victori præesset exercitui, maximamque haberet fiduciam regni Persarum potiundi, tanta modestia dicto audiens fuit jussis absentium magistratuum, ut si privatus

8. *Et his locis manum conseruit.* Conflixit tamen ad Mæandrum Agesilaus, quod videbat nondum peditatum hostium adesse; et quum hostes præmissi ab Agesilao equitatus, interea dum pedestres copias instruit ac disponit, impetum satis fortiter excepissent, reliquo jam exercitu producto, illi statim terga dederunt, etc. Agesilaus autem castris hostium potitus est, et plus quam septuaginta talenta prædæ nactus est, etc. Sic Xen. de Reb. Græc. III, 4. Addunt alii scriptores, hac victoria parta, Agesilaum facultatem adeptum esse Asiæ diripiendæ, etc. LAMBIN.

9. *Victor duceretur.* Imo revera esset, nisi *victor* latius valeat.

CAP. IV. 1. *Nuntius.* Id est, scytala, vel epistola. Agesilao enim missam fuisse Scytalam narrant Plut. et Xen. IV, 4. — *Bellum.... indixisse Lacedæmoniis.* Quod bellum dictum fuit Corinthiacum. Confer ad c. V, et ad Pausaniam, c. IV. Diodorus et Xenophon regem Persarum narrant pecunia urbium græcarum præsides corrupisse, ut Lacedæmoniis bellum inferrent. Suasu et auctoritate Cononis, per oratores Græciæ Persico auro corruptos, hoc bellum conflatum refert Polyænus, I, in Conon. comm. 3.

2. *Pietas suspicienda est.* Admirandum est in patriam obsequium. — *Victori præesset exercitui.* Ita sæpe *victor* tanquam adjectivum substantivis adjungitur, ut *victrix*, aliaque substantiva, quæ usu cognoscuntur, bellator, contemptor, hortator, doctor, arator, consultor, monitor, largitor, amator, extinctor, etc. Ita Sallustius, Jug. LVIII : « Obsecrat, ne quam contumeliam remanere in exercitu victore..... sinat. » Idem, c. LXIV : « (Metello) inerat contemptor animus. » et LXXXVI : « Ut sumat aliquem ex populo monitorem officii. » — *Tanta modestia.* Valde extollunt hoc factum, laudantque

in comitio esset Spartæ. Cujus exemplum utinam[3] imperatores nostri sequi voluissent! Sed illuc redeamus. Agesilaus opulentissimo regno præposuit bonam existimationem; multoque gloriosius duxit, si institutis patriæ paruisset, quam si bello superasset Asiam. Hac igitur mente Hellespontum copias trajecit, tantaque usus est celeritate, ut, quod iter Xerxes anno vertente[4] confecerat, hic transierit triginta diebus. Quum jam haud ita longe abesset a Peloponneso, obsistere ei conati sunt Athenienses et Bœotii, ceterique eorum socii[5], apud Coroneam: quos omnes gravi prælio vicit. Hujus victoriæ vel maxima fuit

Xenophon et Plutarchus, quos semper in fidem advocare longum esset. — *In comitio.* Id est, in loco ubi comitia habebantur.

3. *Cujus exemplum utinam*, etc. Hæc in Julium Cæsarem perspicue dicuntur, qui invito senatu et contra leges exercitum retinuit, unde natum est bellum civile inter eum et Pompeium. Verba autem sequentia e Xenophonte sunt: Ἐλόμενος, ἀντὶ τοῦ μέγιςος εἶναι ἐν τῇ Ἀσίᾳ, οἴκοι τὰ νόμιμα μὲν ἄρχειν, τὰ νόμιμα δὲ ἄρχεσθαι.

4. *Anno vertente.* Id est, anni circulo circumacto, sive anni spatio. In re consentit Xenophon, Agesil. II, 1; a se ipse dissidet noster, quum in Themistocle, V, dixerit: « Itaque, qua sex mensibus Xerxes iter fecerat. » — *Triginta diebus.* Mirum, nam obsistere ei conati sunt Thraces, quos gravi prælio superavit, ut testatur Plutarchus in Agesilao; idémque conati sunt et Thessali, quorum dux erat Polycharmus Pharsalius: quos etiam in fugam vertit, alios interfecit, alios cepit, in eaque Thessalorum fuga et clade Polycharmus ipse occubuit. Itaque tropæum inter Prantem et Narthacium constituit, ut tradit Xenoph. in Agesil. II, 5, et l. IV, de Reb. Gr.; neque prætermisit Plut. Lamb. Imo Xen. in Ages. II, 1, minori quam mensis spatio, μεῖον ἢ ἐν μηνὶ, hoc iter confectum narrat.

5. *Ceterique eorum socii.* Hos numerat Xenophon in Agesilao, II, 6; et IV, de Rebus Græcis: Argivos, Corinthios, Ænianas, Eubœenses, Locros utrosque; et multis verbis prælium illud ejusque eventum narrat. Diodorus, ut fere in ceteris, summam brevitatem adhibuit. Multa autem profert Polyænus, lib. III, strategemata, quibus usus sit Agesilaus adversus Thebanos sibi obsistere conantes. Lambin. — *Coroneam.* Græc. Κορώνεια, urbs Bœotiæ, quæ non debet confundi, ut fit passim, cum Chæronea haud procul inde dissita, ubi Philippus insignem illam de Græcis victoriam reportavit. Tzs. — *Gravi prælio.* Xenophon, qui, auctore Plutarcho, c. XVIII, ipse illi interfuit, vivide descripsit in Hist. Græca, IV, 3, 16, sqq. et in Agesilao, cap. II, 9, sqq. Tzs.

laus, quod, quum plerique[6] ex fuga se in templum Minervæ conjecissent, quæreretur que ab eo, quid his fieri vellet; etsi aliquot vulnera acceperat eo prælio, et iratus videbatur omnibus, qui adversus arma tulerant, tamen antetulit iræ religionem, et eos vetuit violari. Neque vero hoc solum in Græcia fecit, ut templa Deorum sancta[7] haberet; sed etiam apud barbaros summa religione omnia simulacra arasque conservavit. Itaque prædicabat mirari se, non sacrilegorum numero haberi, qui supplicibus eorum[8] nocuissent; aut non gravioribus pœnis affici, qui religionem minuerent, quam qui fana spoliarent.

V. Post prælium collatum est omne bellum circa Corinthum, ideoque Corinthium est appellatum. Hic quum una pugna decem millia hostium, Agesilao duce[1], cecidissent, eoque facto opes adversariorum debilitatæ viderentur; tantum abfuit ab insolentia gloriæ, ut commise-

6. *Plerique*. Mirum, quum Xenophon, Agesil. II, 13, tantum dixerit octoginta, τῶν πολεμίων ὀγδοήκοντα σὺν τοῖς ὅπλοις. Sed *plerique* pro *multis*. — *Se in templum Minervæ conjecissent*. Plutarchus, XIX, affirmat Minervæ templum Itoniæ prope fanum illud fuisse, in quod azyli quærendi causa confugissent. *Se... conjecissent*. Apte ad notandam fugæ trepidationem. Tzs. —*Aliquot vulnera*. Xenoph. Agesil. II, 13: Τετρωμένος δ' αὐτὸς προσηνέχθη πρὸς τὴν φάλαγγα, i. e. castra ipsa, ut probat Weiske ex Laced. Rep. XII, 3. — *Adversus*. Absolute, ut passim *contra*. Tzs. — *Religionem*. At monet Polyænus, II, 1, 4, callide id potius, cauteque fecisse: « Quod esset periculosum cum eis confligere, qui in rebus desperatis prælium de integro inirent. »

7. *Templa sancta*. Id est, inviolabilia: « Ærarium quoque sanctum, quia tardius aperiebant tribuni, jussit effringi. » Florus, IV, 2.

8. *Supplicibus eorum*. Id est, templorum supplicibus, vel potius ipsorum Deorum. Ita Xenophon in Agesilao, XI, 1, Θεῶν ἱκέτας, Deorum supplices vocat.

Cap. V. 1. *Agesilao duce*. Dubitatur, an prælio interfuerit, quia scriptores Græci narrant, de clade nuntium ad eum venisse; quæ tamen sic componi possunt, ut ad cladem hoc referatur, pugna confecta, quod quidam volunt, aut potius auspiciis ejus pugnatum fuerit. Ceterum illud prælium fusius describit Xenoph. in Histor. Græc. IV, 4. Neglexit plane, quod mirum, Plutarchus in vita, forte, quia proxime ad res ab Agesilao gestas non referret. Tzs. —*Tantum abfuit ab insolentia gloriæ*. Id est, a

ratus sit fortunam Græciæ, quod tam multi a se victi vitio adversariorum concidissent: namque illa multitudine, si sana mens esset Græciæ, supplicium Persas dare potuisse. Idem quum adversarios intra mœnia compulisset, et, ut Corinthum oppugnaret, multi hortarentur; negavit id suæ virtuti convenire [2]; se enim eum esse, dixit, qui ad officium peccantes redire cogeret, non qui urbes nobilissimas expugnaret Græciæ. « Nam si, inquit, eos extinguere voluerimus, qui nobiscum adversus barbaros steterunt, nosmetipsi nos expugnaverimus, illis quiescentibus [3]: quo facto sine negotio, quum voluerint, nos opprriment. »

VI. Interim [1] accidit illa calamitas apud Leuctra Lacedæmoniis: quo ne proficisceretur, quum a plerisque ad exeundum premeretur, ut si de exitu divinaret, exire noluit. Idem, quum Epaminondas Spartam oppugnaret, es-

superbienti gloriatione. — *Vitio adversariorum.* Pertinacia et culpa ceterorum Græcorum, qui fœdus adversus Lacedæmonios inierant. — *Namque illa multitudine, si sana mens esset Græciæ,* etc. Id est, namque per hanc multitudinem, si Græci saperent, Persas supplicio affici potuisse, e Xenoph. Agesil. VII, 5. *Si sana mens esset.* Proverbialis fere locutio, significans, si Græci consilii non fuissent expertes. *Mens sana* alibi mens bona vocatur, cui opponitur *mens mala*, et *læva*, ut in Virg. Eclog. I, 16: « Si mens non læva fuisset. »

2. *Negavit id suæ virtuti convenire.* Vide Xenoph. in Agesil. VII, 6, qui rem paulo aliter narrat. — *Eum esse.* Id est, talem, ejusmodi hominem, tali animo præditum.

3. *Illis quiescentibus.* Non se moventibus, donec partes collisæ inter se imminuerentur. Ejusmodi arte Græcos inter se collisit Artaxerxes, uti regno suo otium ab ipsis constitueret. — *Sine negotio.* Scilicet sine labore, facillime, quippe bello civili fractos.

Cap. VI. 1. *Interim.* Adverbium *interim*, ut passim temporis vocabula, latius valere recte animadvertit Schmied. Duo enim et viginti annis post bellum Corinthium consecuta est pugna Leuctrica. Vid. Cors. in Fast. Att. t. IV. — *Quo ne proficisceretur.* Lege *proficiscerentur.* Sensus est: quem in locum ne illi pergerent, ipse, quasi eventum præsentiret, pluribus ad proficiscendum illum urgentibus, proficisci recusavit. — *Ut si*, pro *quasi* usurpatur. Ita in Dione, IX; et Datame, XI. Molesta autem ea ter occurrunt, *exeundum*, *exitu*, *exire*. Unde Ricleffius omnia hæc corrupta jure putat.

setque sine muris oppidum [2], talem se imperatorem præbuit, ut eo tempore omnibus apparuerit, nisi ille fuisset, Spartam futuram non fuisse. In quo quidem discrimine celeritas ejus consilii [3] saluti fuit universis. Nam quum quidam adolescentuli [4], hostium adventu perterriti, ad Thebanos transfugere vellent, et locum extra urbem editum cepissent; Agesilaus, qui perniciosissimum fore videret, si animadversum esset, quemquam ad hostes transfugere conari, cum suis eo venit, atque, ut si bono animo fecissent, laudavit consilium eorum, quod eum locum occupassent, et se id quoque fieri debere animadvertisse. Sic adolescentulos simulata laudatione recuperavit [5], et, adjunctis de suis comitibus, locum tutum reliquit: namque illi, aucto numero eorum [6], qui expertes erant con-

2. *Essetque sine muris oppidum.* Extincto autem Alexandro, «Spartani urbem, quam semper armis, non muris defenderant, tum contra responsa fatorum et veterem majorum gloriam, armis diffisi, murorum præsidio includunt. Tantum eos degeneravisse a majoribus, ut, quum multis seculis murus urbi civium virtus fuerit, tunc cives salvos se fore non existimaverint, nisi intra muros laterent!» Just. XIV, 5. — *Nisi ille fuisset, Spartam futuram non fuisse.* Eleganter, ait Tzschuck., idem verbum reddit, ut quasi fatalem utriusque arctissimumque connexum indicet. *Futuram non fuisse.* Id est, perituram esse. Notum illud Virgilii, Æn. II, *fuimus Troes, fuit Ilium*, etc. Paulo aliter narrat Diodorus, III. Cum nostro autem Plutarchus magis convenit.

3. *Celeritas ejus consilii saluti fuit universis.* Quod præter nostrum referunt Polyænus, II, 14, et Plutarchus, in Ages.; sed paulo aliter.

4. *Quidam adolescentuli.* Numero fere ducenti. Plut. XXXII, in Ages. *Adolescentuli.* Mala in parte accipitur; imbelles scilicet. — *Et locum extra urbem editum cepissent.* Ἰσσώριον, locum munitum expugnatuque difficilem, ubi Dianæ templum fuit. Vid. Plut. ibid. — *Cum suis eo venit.* Plutarchus et Polyænus tradunt, solum, aut cum unico servo, et inermem eo venisse, dixisseque non illuc, nec unum in locum omnes, sed alios huc, alio loco demonstrato, alios illuc convenire jussos; ipsum vero Issorium, aliis continuo accitis, occupasse. Bosius. — *Animadvertisse.* Dixit, addidit.

5. *Recuperavit.* Ex transfugio retraxit. *Recuperare* autem notandum de hominibus, ut in Pelopida, V. Ex istis proditoribus quindecim, teste Plutarcho, necavit.

6. *Namque illi, aucto numero eorum*, etc. Sensus est: Illi perfidi nihil ultra moliti sunt, quum numerus bonorum, seu hujusce trans-

silii, commovere se non sunt ausi, eoque libentius, quod latere arbitrabantur, quæ cogitarant.

VII. Sine dubio post Leuctricam pugnam Lacedæmonii se nunquam refecerunt[1], neque pristinum imperium recuperarunt: quum interim Agesilaus non destitit, quibuscumque rebus posset, patriam juvare. Nam quum præcipue Lacedæmonii indigerent pecunia, ille omnibus, qui a rege defecerant, præsidio fuit[2]: a quibus magna donatus pecunia, patriam sublevavit. Atque in hoc illud in primis fuit admirabile, quum maxima munera ei a regibus, et dynastis, civitatibusque conferrentur: nihil unquam in domum suam contulit, nihil de victu, nihil de vestitu Laconum mutavit[3]. Domo eadem fuit contentus, qua Eurysthenes[4], progenitor majorum suorum, fuerat usus: quam qui intrarat, nullum signum libidinis, nullum luxuriæ videre poterat; contra ea, plurima patientiæ atque abstinentiæ. Sic enim erat instructa, ut nulla in re differret a cujusvis[5] inopis atque privati.

fugii non consciorum, iis augeretur, quos Agesilaus ex urbe eo miserat. — *Quæ cogitarant.* Cogitata, consilia de transfugio.

Cap. VII, 1. *Se refecerunt.* Translatio ab iis, qui a deliquio aut gravi morbo se recolligunt, aut vires reparant. Ita Sallust. Cat. XLVIII: « Quo et ceterorum animos *reficeret.* » Proprie usus est Virg. Georg. III, 235:

Post ubi collectum robur, viresque refectæ.

— *Neque pristinum imperium.* Scilicet in ceteros Græcos.

2. *Omnibus, qui a rege defecerant, præsidio fuit.* Tacho in primis Ægypti, et Mausolo Cariæ regi, a quibus etiam maxima accepit munera. Vid. Xenoph. in Agesil. II, 27.

3. *Nihil de victu, nihil de vestitu Laconum mutavit.* Eadem fere de Viriato testatur Justinus, XLIV, 2: « Cujus, inquit, ea virtus continentiaque fuit, ut, quum consulares exercitus frequenter vicerit, tantis rebus gestis, non armorum, non vestis cultum, non denique cultum mutaverit; sed in eo habitu, quo primum bellare cœpit, perseveraverit, ut quivis gregarius miles ipso imperatore opulentior videretur. »

4. *Eurysthenes.* Qui fuit Aristodemi filius, et Proclis frater. Vide Pausaniam. — *Contra ea, plurima patientiæ atque abstinentiæ.* Vide Plutarchum in Agesilao, qui de ejus frugalitate in victu, cultuque corporis, plurima verba facit. Court.

5. *A cujusvis*, etc. Supple, domo.

VIII. Atque hic tantus vir, ut naturam [1] fautricem habuerat in tribuendis animi virtutibus, sic maleficam nactus est in corpore fingendo : nam et statura fuit humili, et corpore exiguo, et claudus altero pede [2]. Quæ res etiam nonnullam afferebat deformitatem [3] : atque ignoti faciem ejus quum intuerentur, contemnebant; qui autem virtutes noverant, non poterant admirari satis. Quod ei usu venit [4], quum annorum octoginta subsidio Tacho in Ægyptum isset, et in acta cum suis accubuisset, sine ullo tecto ; stratumque haberet tale, ut terra tecta esset stramentis, neque huc amplius quam pellis esset injecta ; eodemque comites omnes accubuissent, vestitu humili atque obsoleto, ut eorum ornatus non modo in his regem neminem significaret, sed hominis non beatissimi suspicionem præberet. Hujus de adventu fama quum ad regios [5] esset perlata, celeriter munera eo cujusque generis sunt allata. His, quærentibus Agesilaum, vix fides facta est, unum esse ex his, qui tum accubabant. Qui quum regis verbis, quæ attulerant, dedissent ; ille, præter vitulina, et hujusmodi genera obsonii, quæ præsens tempus desiderabat, nihil accepit; unguenta, coronas [6], secundamque

Cap. VIII. 1. *Naturam*, etc. Elegans periodus ob formam elocutionis et oppositionis concinnitatem. Ita fere Sappho in Ovid. Epistol. XV, 31 :

Si mihi difficilis formam natura negavit,
Ingenio formæ damna rependo meæ. Tz.

2. *Claudus altero pede.* Hunc tamen sibi ducem militiæ omnium consensu decreverunt, quia in rerum difficillimo statu malebant regem claudicare, quam regnum, ut dicit Orosius, III, 1.

3. *Nonnullam afferebat deformitatem.* Hinc forte se pingi noluit. Vide Xenophontem in Agesil. et Ciceronem ad Famil. epist. V, 12.

4. *Quod ei usu venit.* Id est, quod quidem expertus est. — *Et in acta.* Adnumerandum iis vocibus græcis, quas Latini acceperunt, et suis litteris notant, ut *astu*. Est nempe Græcum ἀκτὴ, Latinis littus, quæ Cicero in eadem narratione, in Verr. V, 25 et 37, promiscue adhibet. Tzschuck.

5. *Ad regios.* Id est, ad regis Ægypti præfectos.

6. *Coronas.* Ex papyro *coronaria* vocata confectas. Refert enim Athenæus, XV, 6, ex Theopompo, Ægyptios Agesilao, in Ægyptum

mensam servis dispertiit; cetera referri jussit. Quo facto eum barbari magis etiam contempserunt[7], quod eum ignorantia bonarum rerum illa potissimum sumpsisse arbitrabantur. Hic quum ex Ægypto reverteretur, donatus a rege Nectanabide[8] ducentis viginti talentis, quæ ille muneri populo suo daret; venissetque in portum, qui Menelai vocatur, jacens inter Cyrenas et Ægyptum; in morbum implicitus decessit. Ibi eum amici, quo Spartam facilius perferre possent, quod mel non habebant, cera circumfuderunt[9]; atque ita domum retulerunt. *

proficiscenti, inter alia munera papyrum coronariam misisse. Plinius, XIII, 11, papyri florem ad Deos coronandos usui fuisse dicit. Idem XXI, 3, *Ægyptiarum coronarum* mentionem facit. MAGIUS. —*Secundamque mensam*. Secunda fercula.

7. *Magis etiam contempserunt*. Imo vero etiam irriserunt, et dictis salsis atque amaris insectati sunt, ut alii narrant, in quibus est Plutarchus et Athenæus. LAMBIN. — *Ignorantia bonarum rerum*. *Bonæ res* hic sunt ex nexu unguenta, cibi delicati, etc. Hi nempe homines immersi voluptatibus, ac veræ virtutis tanto magis ignari, quanto pluris hæc inania facerent, abstinentiam vitium ac rusticitatem existimabant.

8. *A rege Nectanabide*. Ad quem, Tacho regno pulso, desciverat Agesilaus. Vide Plutarch., Xenoph., etc. —*Ducentis viginti talentis*. Imo ducentis ac triginta talentis donatum fuisse Agesilaum refert Plutarchus.— *Quæ ille muneri populo suo daret*. Quæ Agesilaus Lacedæmoniis, ærarii inopia tunc laborantibus, daret. Vide Plut. in Agesilao, prope finem. — *Qui Menelai vocatur*. Supple *portus*. De quo vide Strabon. I, et geographos. — *Decessit*. Annos quum vixisset quatuor et octoginta, et Lacedæmone unum et quadraginta regnasset. Plutarchus.

9. *Quod mel non habebant, cera circumfuderunt*. Contra Diod. scribit, Agesilai corpus in melle Spartam deportatum esse. Nam antiquitus cadavera, quæ servari vellent, melle condiebant. Persarum tamen mos fuit non melle, sed cera circumlinire, teste Herodoto, lib. I; et Cicer. in Tuscul. I. COURTIN. — *Atque ita domum retulerunt*. Sola enim regum, teste Plutarcho, peregre mortuorum corpora Spartam referre licitum.

* Agesilaus memoratur Herodoto, lib. VII; Plutarcho, in vita, et alibi; Xenophonti, in Agesilao, et Reb. Græc.; Polyæno, II; Pausan., Laconicis; Diodoro, XIV et XV; Polybio, III; Athenæo, XIV; Æliano, Var. Hist. VII, 13; X, 20; XIV, 27; Justino, VI; Frontino, sæpius; Val. Max. VII, 2, extr. 12; Ciceroni, sæpius. BOECLER. Adde *l'Agésilas de P. Corneille; Rollin, Histoire Ancienne*, livre IX, chapitre 3, et livre XII, etc.; *Barthélemy, Voyage d'Anacharsis*, etc.

XVIII.

EUMENES.

ARGUMENTUM.

Cap. I; Eumenes primum Philippi et Alexandri scriba, postea præfectus equitum. — II; Cappadociam sortitur provinciam. Carus Perdiccæ est et fidus. — III; A Perdicca opponitur Europæis adversariis. — IV; Vincit Neoptolemum singulari pugna. Craterem amplo funere effert. — V; Absens capitis damnatur. Obsessus in Castello Nora, callide se suosque liberat. — VI; Olympiadi consulit ac liberis Alexandri. — VII; Bellum adversus Antigonum parat nomine Alexandri. — VIII; Antigoni victor, veteranorum licentia impeditur. — IX; Consilio callido, Antigoni refrenat impetum. — X; A suis proditur. Victor victo in custodiam traditur. — XI; Impatiens supplicium postulat. — XII; Fame fatigatus, jugulatur a custodibus. — XIII; Extincto Eumene, præfecti nomen regis usurpant. Honestum ejus funus.

Eumenes, Cardianus. Hujus si virtuti par data esset fortuna, non ille quidem major, sed multo illustrior, atque etiam honoratior; quod magnos homines virtute metimur, non fortuna[1]. Nam quum ætas ejus incidisset in ea tempora, quibus Macedones florerent; multum ei de-

Cap. I. 1. *Quod magnos homines virtute metimur, non fortuna.* Proprie enim homines magni, majoresve sola virtute dicuntur; at fortuna, illustriores atque honoratiores. Hinc Curtius, lib. IX, cap. 37: « Sed fortuna, quæ rebus famam pretiumque constituit, hoc quoque militiæ probrum vertit in gloriam. » Adde Sallustium in Cat. VIII: « Sed profecto fortuna in omni re dominatur; ea res cunctas ex lubidine ma-

traxit inter hos viventi, quod alienæ erat civitatis[2]; neque aliud huic defuit, quam generosa stirps. Etsi ille domestico summo genere erat[3], tamen Macedones eum sibi aliquando anteponi indigne ferebant; neque tamen non patiebantur: vincebat enim omnes cura, vigilantia, patientia, calliditate, et celeritate ingenii. Hic peradolescentulus[4] ad amicitiam accessit Philippi, Amyntæ filii, brevique tempore in intimam pervenit familiaritatem. Fulgebat enim jam in adolescentulo indoles virtutis. Itaque eum habuit ad manum scribæ loco[5]: quod multo apud Graios honorificentius est, quam apud Romanos. Nam apud nos

gis, quam ex vero celebrat, obscuratque. »

2. *Quod alienæ erat civitatis.* Apte hæc Gebh. illustrat Curt. loco, VIII, c. 27: « Callisthenem, si Macedo esset, tecum introduxissem, dignissimum te discipulo magistrum; nunc Olynthio non idem juris est. » Idem fecerunt et judicarunt Romani.

3. *Domestico summo genere erat.* Id est: domi, in Thracia, nobilis erat; generis vero nobilitatem peregrinam parvi faciebant Macedones. Hinc, quamvis *summo genere* natus esset, *stirps generosa defuit*. Eumenis vero patrem ex aurigatione victum sibi quæsivisse in Plut. legitur, quod Macedonum invidiæ et calumniæ tribuendum putat Periz.

4. *Peradolescentulus.* Ex Bosii computatione, vigesimo ejus anno inchoato sive currente. Vide infra cap. XIII. *Peradolescentulus*, vox rarior, ut *peradolescens* apud Ciceronem, pro leg. Manil. XXI; infra, in Hamilcare, I, *Admodum adolescentulus* dixit noster. Ut vero *pueri*, sic *adolescentis* ætas ulterius, quam apud nos, in primis hodie profertur; ita ut adolescens virilem etiam ætatem attingat, uti apud Ciceronem, de Senectute, II, et in Quæst. Tuscul. I, 39, ab anno 40 *vir*, ab anno 60 *senex* incipit. — *Ad amicitiam accessit Philippi.* Ait Plutarchus Philippum, quum per otium Cardiæ Eumenem strenue inter reliquos pueros decertare luctarique conspexisset, pueri prudentia et fortitudine delectatum, eum sibi desumpsisse; verum alios probabilius dicere, Eumenem hospitii et amicitiæ paternæ causa ad altiora provectum. MAGIUS.

5. *Eum habuit ad manum scribæ loco.* Id est, semper eum præsto habuit, veluti amanuensem. Quidam *ad manum* glossam putant. — *Quod multo apud Graios honorificentius est.* Itaque Phyllidas Thebanus, non contemptus civis, Archiæ Thebani et aliorum polemarchorum scriba erat, apud Xenoph. V, 4, de Reb. Græc. Et apud Isocratem, idem fungitur scribæ et quæstoris munere; et hoc utrumque munus laudi gloriæque sibi vertit. LAMBIN. Athenis tamen, pariter ut Romæ,

revera, sicut sunt, mercenarii scribæ existimantur: at apud illos contrario nemo ad id officium admittitur, nisi honesto loco, et fide et industria cognita; quod necesse est, omnium consiliorum eum esse participem. Hunc locum tenuit amicitiæ[6] apud Philippum annos septem. Illo interfecto, eodem gradu fuit apud Alexandrum annos tredecim[7]. Novissimo tempore præfuit etiam alteræ[8] equitum alæ, quæ hetærice appellabatur. Utrique autem in consilio semper affuit[9], et omnium rerum habitus est particeps.

II. Alexandro Babylone mortuo[1], quum regna singulis familiaribus dispertirentur, et summa rerum tradita esset tuenda eidem, cui Alexander moriens annulum suum dederat, Perdiccæ; ex quo omnes conjecerant, eum re-

vile fuisse scribarum munus docet Petitus, Commentar. ad leges Atticas, III, 2.

6. *Hunc locum tenuit amicitiæ*. Ad eumdem modum loquuntur purissimi scriptores, ne quis in Cornelio Nepote seculum Theodosianum agnoscere se dicat. Cæsar, lib. I, de Bello Gall. c. XX: «Quum ipse eum locum amicitiæ apud eum teneret, etc.» GEBHARD.

7. *Annos tredecim*. At Alexander regnavit tantum annos duodecim, menses octo, ut tradit Arrianus de expeditione Alexandri, VII, 28. Præterea novissimo tempore equitum alæ præfuit. Igitur minus accurate refert. Tzschuck.

8. *Alteræ*. Quæ quidem forma a grammaticis veteribus probatur. Prisc. VI. Alii, *alteri*. — *Alæ*. Ita dicuntur equitum ordines, quod alarum vice pedites tegunt. Vid. Prisc. lib. VI. — *Hetærice*. A voce græca, ἑταιρικὴ, socialis; ita apud Macedones honoris causa vocabatur ab amicitia et sodalitate regia. Vide Arrian. de Reb. Alex. Magn. VI, 18.

9. *In consilio semper affuit*. Tamen offendit Alexandrum, primo propter Hephæstionem, deinde propter simulatam argenti inopiam, ita ut tabernaculum Eumenis incendi jusserit, et mendacem fuerit expertus; quocum tamen in gratiam rediit, temporibus inservire probe doctus. Vide Plut. Eumen. VAN STAVEREN.

CAP. II. 1. *Alexandro Babylone mortuo*. Longior solito periodus, multarumque sententiarum interpositione perplexa. Connectuntur autem hæc cum verbis: *hoc tempore data est*. Ita cap. III. Tzs. *Mortuo*. E longo tempore, quo cadaver ejus insepultum jacuit, haud falso conjicitur, veneno non fuisse extinctum. Vid. Plut. Alex. — *Quum regna singulis familiaribus dispertirentur*. De regnorum Alexandri divisione, vid. Curtium, Just., Oros., Arrianum, multosque alios quum sacros tum profanos scriptores. — *Perdiccæ*. « Detractum annulum digito Perdiccæ tradidit, adjectis manda-

gnum ei commendasse, quoad liberi ejus in suam tutelam pervenissent (aberant enim Craterus et Antipater, qui antecedere hunc videbantur; mortuus erat Hephæstio, quem unum Alexander, quod facile intelligi posset, plurimi fecerat); hoc tempore data est Eumeni Cappadocia, sive potius dicta: nam tum in hostium erat potestate. Hunc sibi Perdiccas adjunxerat magno studio, quod in homine[2] fidem et industriam magnam videbat: non dubitans, si eum pellexisset, magno usui fore sibi in his rebus, quas apparabat. Cogitabat enim, quod fere omnes in magnis imperiis concupiscunt, omnium partes[3] corripere atque complecti. Neque vero hoc ille solus fecit; sed ceteri quoque omnes, qui Alexandri fuerant amici.

tis, ut corpus suum ad Ammonem ferri juberet. Quærentibus his (amicis), cui relinqueret regnum, respondit, ei qui esset optimus.» Curtius, X, 12. Unde ejusdem Curtii, cap. 25, verbis: « Jam fatis admovebantur Macedonum genti bella civilia: nam et insociabile est regnum, et a pluribus expetebatur.» —*Ex quo omnes conjecerant.* Quoniam alias annuli traditio signum imperii, aut hæreditatis traditæ, fuisse videtur. (De quo vide Kirchmann. et Licetum, de Annulis; illum, cap. XXII; hunc, cap. LI.) — *Liberi ejus.* De quibus, nec non de uxoribus Alexandri, disceptatur. Vid. Plut.; Diodorum, XIV; Arrianum, VI, etc. —*Craterus.* Quem Alexander, teste Diodoro, XIX, secundum Hephæstionem plurimum amabat, quique, Antipatro ad Alexandrum evocato subrogandus, cum veteranis et emeritis Macedoniam petebat. Just. XII, 12. —*Antipater.* Iolai fil., in urbe Macedoniæ Paliura natus; qui Macedoniæ regnum tandem obtinuit. Lamb. Tunc autem *aberat*: quippe Macedoniæ præfectus. — *Mortuus erat Hephæstio.* De morte Hephæstionis, et Alexandri ob eam luctu, Plutarchus, Alexandro, Pelopida, et Eumene; Arrianus, de Reb. Alexandr. VII, et dissert. Epicteti, II, 22; Ælianus, Var. Hist. VII, 8. Bos. Hephæstione autem omnium arcanorum arbitro usus erat Alexander, ideoque Alexandrum alterum appellaverat. Confer Curtium, III, 31. —*Cappadocia, sive potius dicta.* Id est, destinata, verbis adjudicata. Nempe Ariarathes rex illam tunc tenebat. Plut. Eum. Cappadociæ Paphlagoniam et finitimas regiones ad Trapezuntem addunt Diodorus, XVIII, 3; Plut. in Eumene, III; Justinus, XIII, 4.

2. *In homine.* Pro *eo*, ut passim. Tum de viris, etiam clarissimis, dicitur. Tzs.

3. *Omnium partes corripere*, etc. Omnium ducum et familiarium Alexandri provincias invadere.

Primus Leonnatus[4] Macedoniam præoccupare destinaverat. Is multis magnis[5] pollicitationibus persuadere Eumeni studuit, ut Perdiccam desereret, ac secum faceret societatem. Quum perducere eum non posset, interficere conatus est; et fecisset, nisi ille clam noctu ex præsidiis ejus effugisset.

III. Interim conflata sunt illa bella[1], quæ ad internecionem post Alexandri mortem gesta sunt, omnesque concurrerunt ad Perdiccam opprimendum. Quem etsi infirmum videbat, quod unus omnibus resistere cogebatur; tamen amicum non deseruit, neque salutis, quam fidei, fuit cupidior. Præfecerat eum Perdiccas ei parti Asiæ[2], quæ inter Taurum montem jacet atque Hellespontum, et illum unum opposuerat Europæis adversariis: ipse Ægyptum oppugnatum adversus Ptolemæum erat profectus. Eumenes quum neque magnas copias, neque firmas haberet, quod inexercitatæ, et non multo ante erant contractæ; adventare autem dicerentur, Hellespontumque transisse Antipater et Craterus magno cum exercitu Macedonum, viri quum claritate, tum usu belli præstantes

4. *Leonnatus*. Ex tribus, quos recenset Arrianus, is, qui Phrygiam minorem, ad Hellespontum, sortitus fuerat. Adde Justin. XIII, 4: « Leonnato minor Phrygia evenit. » — *Macedoniam præoccupare*. Specie ferendi auxilii Antipatro; revera, ut ejus possessionem sibi ipse assereret.

5. *Multis magnis*. Omissa copula, quæ duobus adjectivis, uni substantivo præmissis, interponi alias solet. Neque tamen vel sic sine exemplis. Addidit eam tamen ex duobus codd. Wetzelius. Tzs.

Cap. III. 1. *Conflata sunt illa bella*. De his bellis, quæ sane atrocissima fuerunt et imperium Macedonicum in mille partes sciderunt, lege Curtium, X; Justin. XIII; Diodor. et alios. — *Ad internecionem*. Ita gallice: *guerre à mort*.

2. *Ei parti Asiæ*. Id est, Armeniæ, Ciliciæ, et Cappadociæ, non servata prima divisione, ob turbatum discordiis statum. — *Jacet*. De locorum situ. Tzs. — *Europæis adversariis*. Antipatro sc., Cratero, Pithoni et Aridæo, Alexandri ex alia matre fratri, qui postea Philippus dictus est. Lamb. — *Ptolemæum*. Lagi filium, qui ex gregario milite inter duces et successores Alexandri habitus est, atque illo mortuo Ægyptum occupavit. A quo postea omnes Ægypti reges Ptolemæi dicti sunt. Court.

(Macedones vero milites ea tunc erant fama, qua nunc Romani feruntur : etenim semper habiti sunt fortissimi, qui summam imperii potirentur[3]); Eumenes intelligebat, si copiæ suæ cognossent, adversus quos ducerentur, non modo non ituras, sed simul cum nuntio dilapsuras. Itaque hoc ejus fuit prudentissimum consilium, ut deviis itineribus milites duceret, in quibus vera audire non possent, et his persuaderet, se contra quosdam barbaros[4] proficisci. Itaque tenuit hoc propositum[5], et prius in aciem exercitum eduxit, præliumque commisit, quam milites sui scirent, cum quibus arma conferrent. Effecit etiam illud locorum præoccupatione[6], ut equitatu potius dimicaret, quo plus valebat, quam peditatu, quo erat deterior.

IV. Quorum acerrimo concursu quum magnam partem diei esset pugnatum, cadit Craterus[1] dux, et Neoptole-

3. *Qui summam imperii potirentur.* I. e., qui ceteris imperarent. Ita Cic. XIII Philipp.: « Vincamus odium, pacemque potiamur. » Genit. igitur, ablativo et accusativo junctum *potiri* apud nostrum reperitur.—*Eumenes intelligebat.* Ἐπανάληψις, propter longam interpositionem inter ea, quæ multo ante dicta sunt. Pendet enim sententia ab illo loco, *Eumenes quum neque*, etc. Idcirco repetitione nominis utitur ad memoriam lectoris renovandam. Lambin. — *Simul cum nuntio.* Statim ac nuntiatum esset; non nuntii societatem indicat.

4. *Contra quosdam barbaros.* Plutarchus, de Garrulitate: « Eumenes quum audivisset Craterum adversus se cum copiis venire, nemini amicorum rem aperuit, sed Neoptolemum esse finxit. Hunc enim milites Eumenis contemnebant; illius et gloriam admirabantur, et virtutem diligebant. Rem ipsam, excepto Eumene, norat nemo. » Vide ibi plura. Bosius.

5. *Itaque tenuit hoc propositum.* Solemne quoque est ita loqui Cæsari, ut Bell. Civ. I, 83, pro *in proposito permanere.* Sic *tenax propositi*, apud Horat. Od. III, 3, 1; et Ovid. Met. X, 405.— *Quam milites sui scirent.* Miris hoc Eumenis consilium laudibus effert Plutarchus. Sed idem Plutarch. et Diodorus tradunt, ante hoc prælium, illud præterea commissum fuisse, in quo Neoptolemus victus cum paucis equitibus fugerit. Lambin.

6. *Locorum præoccupatione:* Præoccupatis locis æquioribus.

Cap. IV. 1. *Cadit Craterus.* A Thrace quodam vulneratus, ex equo decidit et proculcatus est, Plut. cap. VII. *Cadere* autem hoc loco non solum vulnus, sed mortem etiam significat. Narrat enim pri-

mus, qui secundum locum imperii tenebat: cum hoc concurrit ipse Eumenes. Qui quum inter se complexi [2], in terram ex equis decidissent, ut facile intelligi posset, inimica mente contendisse, animoque magis etiam pugnasse, quam corpore; non prius distracti sunt, quam alterum anima reliquerit. Ab hoc aliquot plagis [3] Eumenes vulneratur, neque eo magis ex prælio excessit, sed acrius hostis institit. Hic equitibus profligatis, interfecto duce Cratero, multis præterea et maxime nobilibus captis, pedester exercitus, quod in ea loca erat deductus, ut invito Eumene elabi non posset, pacem ab eo petiit: quam quum impetrasset, in fide non mansit, et [4] se, simul ac potuit, ad Antipatrum recepit. Eumenes Craterum, ex acie semianimem elatum, recreare [5] studuit. Quum id non posset, pro hominis dignitate, proque pristina amicitia (namque illo usus erat, Alexandro vivo, familiariter), amplo funere extulit [6], ossaque in Macedoniam uxori ejus ac liberis remisit.

mum scriptor qui fuerit certaminis eventus; tum sigillatim resumit historiam, a quo quisque, et quomodo ceciderit. — *Neoptolemus*. Huic Carmaniam, Persidis provinciam, traditam fuisse gubernandam refert Dexippus apud Photium, p. 201. — *Secundum locum imperii tenebat*. Sinistro enim cornu præerat, sicuti Craterus dextro. Diodor. XVIII, 7. Bosius.

2. *Inter se complexi*. Horum singulare certamen atque atrox pulchre appingit Plutarchus. Magius. Adde Diodorum, XVIII, 8; Justinum, XIII, 8; Arrianum. Bosius. — *Non prius distracti sunt*. Non ante divulsi sunt, quam alter (Neoptolemus) vitam amiserit.

3. *Aliquot plagis*. Tribus in brachio et feminibus, sed magis territus iis, quam læsus. Diodor. et Plut. Bosius. — *Hostis institit*. Pro hostes: *i* pro *e* vulgo usurpat in accusativo plurali tertiæ declinationis, antiquitatis amator. Instare autem hostes, idem ac stare in vel adversus hostes.

4. *Et*. Pro *sed* ponitur post præpositiones negantes, ubi contrarium subjicitur. Conf. ad Datamem, cap. VI, et infra, VI; quare etiam cum *sed* in simili nexu commutatur in Pausania, cap. III, extr. Tzs.

5. *Recreare*. Id est, reficere semianimem.

6. *Amplo funere extulit*. *Funere*, in prosaicis quidem auctoribus, constanter de pompa funebri. *Extulit* porro verbum in hac re pro

V. Hæc dum apud Hellespontum geruntur, Perdiccas apud flumen Nilum interficitur a Seleuco et[1] Antigono; rerumque summa ad Antipatrum defertur. Hic, qui deseruerant[2], exercitu suffragium ferente, capitis absentes damnantur: in his Eumenes. Hac ille perculsus plaga non succubuit, neque eo secius bellum administravit. Sed exiles res animi magnitudinem, etsi non frangebant, tamen imminuebant. Hunc persequens Antigonus, quum omni genere[3] copiarum abundaret, sæpe in itineribus vexabatur: neque unquam ad manum accedere licebat, nisi his locis, quibus pauci possent multis resistere. Sed extremo tempore, quum consilio capi non posset, multitudine circumventus est[4]. Hinc tamen, multis suis amissis, se

prium. Tzs. — *Ossaque in Macedoniam*, etc. Summus olim in patria sepeliri honos habebatur, et præsertim majorum monumentis condi; quod ex sacris ac profanis scriptoribus constat. Hinc summa votorum peregre morientibus, ut ossa in patriam reportarentur.

Cap. V. 1. *A Seleuco et Antigono.* Immo ab equitibus suis, si Diodoro, XVIII, 36, et Arriano credimus, vel, ut Pausanias, Atticis, ait, a custodibus corporis suis. Bosius. *Seleucus,* Antiochi filius, Philopator dictus, qui, mortuo Alexandro, Syria et Babylone potitus est. Vide Cedrenum, Arrianum, Diodorum, et alios. *Antigonus* vero, Philippi regis spurius, qui in Asia minore diu dominatus est. — *Rerumque summa ad Antipatrum.* Diodorus narrat, antequam hoc factum sit, imperii summam et regum curationem Pithoni et Aridæo, de sententia Ptolemæi et Macedonum, delatam esse. Lambin. Idem refert et Arrianus.

2. *Hic, qui deseruerant.* Hic, de tempore, pro *jam*, ut alia loci adverbia. Tzs. — *Qui deseruerant.* Id est, qui ab Antipatri partibus non steterant. — *Exercitu suffragium ferente.* Curtius VI, 8: « De capitalibus rebus, vetusto Macedonum more, inquirebat exercitus. » Loccenius. Vide apud Tacitum, Ann. liber I, caput 44, seditiosissimum quemque militem ab exercitu judice capitis damnatum. — *Capitis absentes damnantur.* Quinquaginta alii, alii solum Eumenem, tanquam principem, damnatum commemorant.

3. *Antigonus, quum omni genere.* Qui præfectus fuerat ab Antipatro magnæ Phrygiæ et Ciliciæ, et præterea exercitui regio præesse jussus erat, quemadmodum tradit Diodorus. Lambin.

4. *Multitudine circumventus est.* Proditionem innuit Plutarchus, c. IX; et proditorem Apollonidem producit Diodorus, XVIII, 41. Tzs.

expedivit, et in castellum Phrygiæ[5], quod Nora appellatur, confugit. In quo quum circumsederetur[6], et vereretur, ne uno loco manens equos militares perderet, quod spatium non esset agitandi; callidum fuit ejus inventum, quemadmodum stans jumentum calefieri exercerique posset, quo libentius et cibo uteretur, et a corporis motu non removeretur. Substringebat caput loro[7] altius, quam ut prioribus pedibus plane terram posset attingere. Deinde post verberibus cogebat exultare, et calces remittere[8]: qui motus non minus sudorem excutiebat, quam si in spatio decurreret. Quo factum est, quod omnibus mirabile est visum, ut jumenta æque nitida[9] ex castello educeret, quum complures menses in obsidione fuisset, ac si in campestribus ea locis habuisset. In hac conclusione[10], quotiescumque voluit, apparatum et munitiones Antigoni alias incendit, alias disjecit. Tenuit autem se uno loco[11], quamdiu fuit hiems. Sed quod castrum subsidia[12] habere

5. *In castellum Phrygiæ.* Noram in Cappadociæ ac Lycaoniæ finibus esse scribit Plutarchus; at vero juxta Taurum montem locat Strabo, lib. XII, et sua ætate Neroassam appellari dicit. COURTIN. Cur huc se contulerit, vide apud Plutarch. et Diodorum.

6. *Circumsederetur.* Ab ipso Antigono, si Plutarcho fides. — *Spatium agitandi.* Proprie de equis. « Quadrigas, bigasque, et equos desultorios agitaverunt nobilissimi juvenes. » Suetonius, in J. Cæsare, cap. 39. — *Callidum fuit ejus inventum.* De hoc Eumenis consilio vide Diodorum, XVIII; Plutarchum; et Frontinum, IV, 7, 34.

7. *Substringebat caput loro*, etc. « Certis quotidie horis ita suspendebat, ut posterioribus pedibus innixi, prioribus allevatis, quum naturalem appetunt consuetudinem, ad sudorem usque crura jactarent. » Vide Front. l. c.

8. *Calces remittere.* Id est Frontini *crura jactare.*

9. *Æque nitida.* Opponitur strigosis et mali habitus. Nempe nitor pinguitiem comitatur, atque inde pro ipsa pinguitie interdum usurpatur. Hinc Phædrus, fab. III, 21: « Unde sic, quæso, nites? »

Ce loup rencontre un dogue aussi puissant que beau,
Gras, poli. Lafont. fab. I, 5.

10. *In hac conclusione.* I. e., quamdiu hoc in castello conclusus est.

11. *Uno loco.* Hoc scilicet eodem castello.

12. *Quod castrum subsidia.* Id est, quum castrum obsessum commea-

non poterat, et ver appropinquabat; simulata deditione, dum de conditionibus tractat, præfectis Antigoni imposuit, seque ac suos omnes extraxit incolumes.

VI. Ad hunc Olympias[1], mater quæ fuerat Alexandri, quum litteras et nuntios misisset in Asiam, consultum, utrum repetitum Macedoniam veniret (nam tum in Epiro habitabat) et eas res occuparet; huic ille primum suasit, ne se moveret, et expectaret, quoad Alexandri filius regnum adipisceretur: sin aliqua cupiditate raperetur in Macedoniam, omnium injuriarum oblivisceretur, et in neminem acerbiore uteretur imperio. Horum nihil ea fecit; nam et in Macedoniam profecta est[2], et ibi crudelissime se gessit. Petiit autem ab Eumene absente, ne pateretur Philippi domus et familiæ inimicissimos stirpem quoque interimere, ferretque opem liberis Alexandri[3]: quam veniam si sibi daret, quamprimum exercitus pararet, quos sibi subsidio adduceret: id quo facilius faceret, se omnibus præfectis, qui in officio manebant, misisse lit-

tus novos accipere non poterat, ac ver (quo tempore major metuenda erat oppugnatio) adesset, ambabus hisce causis hinc se expedire cupiebat Eumenes. Aliæ edd. *quod castra sub divo... poterat. Ver*, etc. — *Simulata deditione*. Plutarchus et Diodorus paulo aliter et multo plenius. LAMBIN. Rursus aliter Justinus, XIV, 2. — *Imposuit*. Verba illis dedit, ipsos fefellit.—*Extraxit*. Apte ad notandam difficultatem; alias *expedivit*.

CAP. VI. 1. *Olympias*. Neoptolemi, Molossorum regis, filia, Myrtale prius appellata, quam Philippus Macedo uxorem habuit, ex qua Alexandrum magnum progenuit. Vide Justinum, l. IX, c. 7, COURT. — *Et expectaret*. Paulo aliter Diodorus. LAMBIN. — *Alexandri filius*. Quem Alexander ex Roxane genuerat, quemque alii Philippum, alii Herculem, alii vero, idque probabilius, ex patris nomine, Alexandrum appellatum fuisse scribunt, ut testatur Pausanias, in Atticis et Bœoticis, et Diodorus, XIX. COURT.

2. *In Macedoniam profecta est, et ibi crudelissime*, etc. Vid. Just. XIV, 5.

3. *Ferretque opem liberis Alexandri*. Ex opposito *ne*, supplendum est *ut*; tum *que* pro *sed*, ut passim *et*. De quo antea et aliquoties alibi. TZSCHUCK. — *Liberis*. Ni Barsines filium simul hic cogites, liberos de uno omnino dixit, uti volunt sup. c. II. Majori tamen ibi veri specie. TZS. *Quam veniam si sibi daret*. I. e. si annuisset. Ita Them. II; Paus. III.

teras[4], ut ei parerent, ejusque consiliis uterentur. His rebus[5] Eumenes permotus, satius duxit, si ita tulisset fortuna, perire bene meritis referentem gratiam, quam ingratum vivere.

VII. Itaque copias contraxit, bellum adversus Antigonum comparavit. Quod una erant[1] Macedonum complures nobiles, in his Peucestes, qui corporis custos fuerat Alexandri, tum autem obtinebat Persidem, Antigenes, cujus sub imperio phalanx erat Macedonum; invidiam verens (quam tamen effugere non potuit), si potius ipse alienigena summi imperii potiretur, quam alii Macedonum, quorum ibi erat multitudo; in principiis nomine Alexandri statuit tabernaculum, in eoque sellam auream cum sceptro ac diademate jussit poni, eoque omnes quotidie convenire, ut ibi de summis rebus consilia cape-

4. *Misisse litteras*. Lege Diodor. lib. XVIII, et Plutarchum, in Eumene, apud quos harum litterarum formulas et argumenta invenias. Courtin.

5. *His rebus*. Al. *His verbis*. — *Bene meritis*. Iis, qui in se beneficia contulissent; quippe qui Philippi et Alexandri beneficiis usus fuisset.

Cap. VII. 1. *Quod una erant*. Quum in exercitu suo complures adessent Macedones nobiles, etc.— *Peucestes*. Hic primum armiger, postea factus est unus ex septem Alexandri custodibus post victum Porum. Amplissima vero dignitas erat, nec nisi summis ducibus collata. Vide Arrianum, l. VI.—*Antigenes*. Præfectus fuit cum Teutamo τῶν ἀργυρασπίδων, quæ erat phalangis pars ab argenteis clypeis nomen sortita: igitur non toti phalangi præfuit. Phalanx ipsa satis ex Curtio nota. Tzs.—*Invidiam verens*. Vide Diodorum, XVIII. — *Effugere non potuit*. Aliter Diodorus et Plutarchus. Nam ille *invidiam a se depulisse* ait, hic *non acceptis pecuniis levasse*. Sed noster, ut videtur, de postremo vitæ tempore loquitur; illi, de eo, quod adventum Eumenis proxime excepit. Bosius. —*Alienigena*. Quippe, ut supra dictum, Cardianus erat. — *Summi imperii potiretur*. Uti noster ac Sallustius passim usurpant. — *In principiis*. Locus in castris princeps, unde nomen; ubi positum erat imperatoris tabernaculum, et quo principes, exercitus ac duces, deliberaturi conveniebant. Vide passim scriptores de re militari.—*Nomine Alexandri*. Commentus erat, apparuisse sibi in somnio Alexandrum, et auxilium suum promisisse. Vide, præter Plutarchum, Polyænum in Eumene, ac Diod. XVIII. — *Eoque omnes quotidie convenire*. Nam dedi-

rentur : credens minore se invidia fore, si specie imperii, nominisque simulatione Alexandri, bellum videretur administrare. Quod et fecit. Nam, quum non ad Eumenis principia, sed ad regia conveniretur, atque ibi de rebus deliberaretur, quodammodo latebat; quum tamen per eum unum gererentur omnia.

VIII. Hic in Paraetacis cum Antigono conflixit, non acie instructa [1], sed in itinere; eumque male acceptum in Mediam hiematum coegit redire. Ipse in finitima regione Persidis hiematum copias divisit, non ut voluit, sed ut militum cogebat voluntas. Namque illa phalanx Alexandri Magni, quæ Asiam peragrarat, deviceratque Persas, inveterata quum gloria, tum etiam licentia, non parere se ducibus, sed imperare postulabat : ut nunc veterani faciunt [2] nostri. Itaque periculum est, ne faciant, quod illi fecerunt, sua intemperantia nimiaque licentia ut omnia perdant; neque minus eos, cum quibus steterint [3], quam adversus quos fecerint. Quod si quis illorum veteranorum legat facta, paria horum cognoscat; neque rem ullam, nisi tempus, interesse [4]

gnabantur ad eum, tanquam inferiorem, accedere; et ipse Eumenes erubescebat ante ipsorum fores conspici. Plut. Bosius. — *Minore se invidia fore*. Supple *in*. Se minus posse peti invidia.

Cap. VIII. 1. *Non acie instructa*. Acies iter conficere non potest, sed agmen et itineri et prælio paratum. Quare, ut rei bellicæ scientiam in Eumene demonstret Nepos, ita agmine instructo iter fecisse ait, ut victoriam tam luculentam retulerit, non secus ac si summa industria et arte in campo acie dimicasset. Gebhard. — *Male acceptum*. Clade affectum. Cic. ep. fam. XI, 13 : « copiolæ meæ inopia omnium rerum pessime acceptæ. » Amiserat enim Antigonus pedites 3700; equites 540; vulnerati erant plures quam 400. Sed confer Diodorum.

2. *Ut nunc veterani faciunt nostri*. Hic veteranorum ætatis suæ ferociam et insolentiam carpit, in quam acriter etiam invehitur Cicero, Philipp. II, cap. 5, multisque aliis locis. Occiso quippe Cæsare, liberius agere et grassari veterani cœperunt.

3. *Neque minus eos, cum quibus steterint....* Scilic. periculum est, ne simul hos, quorum partibus faverint, et illos, adversus quos pugnaverint, perditum eant.

4. *Interesse*. Differentiam habere.

judicet. Sed ad illos revertar. Hiberna sumpserant [5] non ad usum belli, sed ad ipsorum luxuriam; longeque inter se discesserant. Hoc Antigonus quum comperisset, intelligeretque, se parem non esse paratis adversariis; statuit aliquid sibi consilii novi esse capiendum. Duæ erant viæ, qua ex Medis, ubi ille hiemabat, ad adversariorum hibernacula posset perveniri: quarum brevior per loca deserta, quæ nemo incolebat propter aquæ inopiam, ceterum dierum erat fere decem [6]; illa autem, qua omnes commeabant, altero tanto longiorem habebat anfractum, sed erat copiosa, omniumque rerum abundans. Hac si proficisceretur, intelligebat, prius adversarios resciturum de suo adventu, quam ipse tertiam partem confecisset itineris; sin per loca sola [7] contenderet, sperabat, se imprudentem hostem oppressurum. Ad hanc rem conficiendam, imperavit, quam plurimos utres atque etiam culleos [8] comparari; post hæc pabulum; præterea cibaria cocta dierum decem; utque quam minime fieret ignis in castris: iter, quod habebat, omnes celat. Sic paratus, qua constituerat, proficiscitur.

IX. Dimidium fere spatium confecerat, quum ex fumo castrorum ejus suspicio allata est ad Eumenem [1], hostem

5. *Sumpserant.* Cur hoc potissimum verbum usurpaverit noster, notant sequentia: *non ad usum belli, sed ad ipsorum luxuriam.* Libidinem igitur et licentiam respicit. Infra contra: *Ubi ille hiemabat.*

6. *Dierum erat fere decem.* Id est, hæc via decem diebus absolvi poterat. — *Qua omnes commeabant.* Altera trita. — *Altero tanto longiorem habebat anfractum.* Id est, duplo majorem habebat circuitum.

7. *Sola.* Hominibus destituta. « Proficiscitur in loca sola. » Sall. J. CIII.

8. *Culleos.* Saccos, coriis conflatos, quibus aqua per aridam solitudinem conveheretur. — *Post hæc pabulum.* Præterea pabulum equis paratum. — *Utque quam minime....* Scilicet, imperavit ut quam minime etc. Ignes vero nocturnos intelligit, qui in castris fieri solebant. Hoc igitur præceptum est, ne ignium indiciis proderetur adventus.

Cap. IX. 1. *Suspicio allata est ad Eumenem.* Nimirum a barbaris, qui non fumum, sed ignium fulgorem videntes, teste Plutarcho,

appropinquare. Conveniunt duces : quæritur, quid opus sit facto. Intelligebant omnes, tam celeriter copias ipsorum contrahi non posse, quam Antigonus affuturus videbatur. Hic, omnibus titubantibus [2], et de rebus summis desperantibus, Eumenes ait, si celeritatem velint adhibere, et imperata facere, quod ante non fecerint, se rem expediturum. Nam, quod diebus quinque hostis transisse posset, se effecturum, ut non minus totidem dierum spatio [3] retardaretur : quare circumirent, suas quisque copias contraheret. Ad Antigoni autem refrenandum impetum, tale capit consilium. Certos mittit homines ad infimos montes, qui obvii erant itineri adversariorum; hisque præcepit, ut prima nocte [4], quam latissime possint, ignes faciant quam maximos, atque hos secunda vigilia minuant, tertia perexiguos reddant; et, assimulata castrorum consuetudine, suspicionem injiciant hostibus, his locis esse castra, ac de eorum adventu esse prænuntiatum; idemque postera nocte faciant. Quibus imperatum erat, diligenter præceptum curant. Antigonus, tenebris obortis, ignes conspicatur; credit de suo adventu esse auditum, et adversarios illuc suas contraxisse copias.

ex summitate collium circumjacentium, camelis cursoribus nuntium Eumeni et Peucestæ attulerunt, ut refert Diodorus; Plutarch. vero, soli Peucestæ, quippe qui propior esset hostibus. COURTIN.

2. *Titubantibus*. Anxietatem consiliique ambiguitatem corporis gestu declarat, qualis apparet in incessu et lingua ebriorum. Tzs. — *Se rem expediturum*. Se negotium intricatum et anceps explicaturum.

3. *Totidem dierum spatio*. Plutarchus : « Ut tribus diebus posterius, quam expectentur, adsint. » Diodorus : « Ut tribus aut quatuor diebus tardius adveniat. » Bos. — *Quare circumirent*, etc. Id est, sua hiberna circumeundo, milites suos palantes congregarent.

4. *Ut prima nocte*.... Prima enim vigilia exercitus adhuc vigilat, curatque corpus, reficiendo se calore, adque ignem cibum præparando et sumendo; secunda vero vigilia, jam somno vacant; at tertia, vigiles tantum, ceteris quiescentibus, igne utuntur. Tres in vigilias Græci, in quatuor vero Romani noctem solebant dividere. Sic τριφυλακτικὸν νύκτα, uti explicat Eustathius, legimus in Homero, Iliad. X, 253.

Mutat consilium, et, quoniam imprudentes adoriri non posset, flectit iter suum, et illum anfractum longiorem copiosæ viæ capit, ibique diem unum opperitur, ad lassitudinem sedandam militum, ac reficienda jumenta, quo integriore[5] exercitu decerneret.

X. Hic[1] Eumenes callidum imperatorem vicit consilio, celeritatemque impedivit ejus : neque tamen multum profecit. Nam invidia ducum, cum quibus erat[2], perfidiaque militum Macedonum veteranorum, quum superior prælio discessisset, Antigono est deditus; quum exercitus ei ter ante, separatis temporibus, jurasset, se eum defensurum, nec unquam deserturum. Sed tanta fuit nonnullorum[3] virtutis obtrectatio, ut fidem amittere mallent, quam eum non prodere. Atque hunc Antigonus, quum ei fuisset infestissimus, conservasset, si per suos esset licitum ; quod ab nullo se plus adjuvari posse intelligebat in his rebus, quas impendere jam apparebat omnibus. Imminebant enim Seleucus, Lysimachus, Ptolemæus[4], opibus jam valentes, cum quibus ei de summis rebus erat dimicandum. Sed non passi sunt hi, qui circa

5. *Integriore exercitu.* Milite recollectis viribus valentiore; gallice, *avec des troupes fraîches.*

Cap. X. 1. *Hic* adverbium. Al. *Sic.* — *Vicit consilio* Idem testatur Plut.

2. *Invidia ducum, cum quibus erat.* Peucestæ, Antigenis, Teutami, Eudami, Phædrini et aliorum. Lamb. — *Perfidiaque militum.* Quos ad hanc perfidiam apud Plutarchum et Justinum impulsos fuisse narratur, ut, quæ amiserant in prælio, ab Antigono reciperent. — *Quum superior prælio discessisset.* Antigonum contra superiorem fuisse narrat Justinus. Adde Diodorum et Plutarch. Cum nostro tamen facit Polyænus. — *Quum exercitus ei ter ante.... jurasset.* Imo apud Justinum, XIV, 4: « Quater intra hunc annum in mea verba jurejurando obstricti estis. »

3. *Nonnullorum.* Duo genitivi, uti passim in nostro, quorum alter alterum regit et regitur, quod potest fieri, ubi diversa est eorum terminatio, et soni et sensus causa. Cf. infra cap. XI. Tzs.

4. *Imminebant.* Mira dicendi forma, quum, quæ de rebus præmiserat, ad homines revocat. — *Seleucus, Lysimachus,* etc. Seleucus tenebat Babyloniam, Lysimachus Thraciam, Ptolemæus Ægyptum, ut docet Diod. XVIII, 3 et 39. Tzs.

erant[5]; quod videbant, Eumene recepto, omnes præ illo parvi futuros. Ipse autem Antigonus adeo erat incensus, ut, nisi magna spe[6] maximarum rerum, leniri non posset.

XI. Itaque, quum eum in custodiam dedisset[1], et præfectus custodum quæsisset, quemadmodum servari vellet? ut acerrimum, inquit, leonem, aut ferocissimum elephantum. Nondum enim statuerat, servaret eum, nec ne. Veniebat autem ad Eumenem utrumque genus hominum[2]; et qui propter odium fructum oculis ex ejus casu capere vellent; et qui propter veterem amicitiam colloqui, consolarique cuperent: multi etiam, qui ejus formam cognoscere studebant, qualis esset, quem tamdiu, tamque valde timuissent, cujus in pernicie positam spem habuissent victoriæ. At Eumenes, quum diutius in vinculis esset, ait Onomarcho, penes quem summa imperii erat custodiæ, se mirari, quare jam tertium diem sic teneretur; non enim hoc convenire Antigoni prudentiæ, ut sic deuteretur[3] victo: quin aut interfici, aut missum fieri juberet. Hic quum ferocius Onomarcho loqui[4] videretur: « Quid? tu, inquit, animo si isto eras, cur non in prælio cecidisti potius, quam in potestatem inimici venires? » Huic Eumenes: « Utinam quidem istud

5. *Qui circa erant.* Comites, amici; paraphrasi in Græcis maxime usitata, οἱ ἀμφὶ, περί τινα. Tzschuck. — *Eumene recepto.* Scilicet in partes suas et amicitiam.

6. *Nisi magna spe*, etc. Nisi Eumenes promitteret, se ad res summas perficiendas adjumento fore.

Cap. XI. 1. *In custodiam dedisset.* Hunc, propter veterem familiaritatem, in suum conspectum venire non sustinuit Antigonus. Teste Just. et Plut. — *Præfectus custodum quæsisset.* Scilicet ab Antigono. *Præfectus* vero *custodum* infra Onomarchus dicitur. Iis nempe, qui captivos custodiebant, præerat.

2. *Utrumque genus, hominum.* Id est, diversi homines. Notandum vero *utrumque*, quod nihil, ut fit, præcedat ad quod referatur, ac simul de tribus hominum generibus contra morem usurpetur.

3. *Deuteretur.* Pro abuteretur. Uno tantum MS. legitur: *sic se uteretur.*

4. *Ferocius Onomarcho loqui.* *Ferociter loqui* dixit quoque Livius, l. II, c. 28; *ferocius* vero, passim apud Sallustium in primis, ac Tacitum, pro *arrogantius* usurpatur.

evenisset! inquit; sed eo non accidit, quod nunquam cum fortiore sum congressus. Non enim cum quoquam arma contuli, quin is mihi succubuerit: non enim virtute hostium, sed amicorum perfidia decidi[5].» Neque id falsum: nam et dignitate[6] fuit honesta, et viribus ad laborem ferendum firmis, neque tam magno corpore, quam figura venusta.

XII. De hoc Antigonus quum solus constituere non auderet, ad consilium[1] retulit. Hic, quum plerique omnes[2] primo perturbati admirarentur, non jam de eo sumptum esse supplicium, a quo tot annos adeo essent male habiti, ut sæpe ad desperationem forent adducti, quique maximos duces interfecisset; denique in quo uno esset tantum, ut, quoad ille viveret, ipsi securi esse non possent, interfecto nihil habituri negotii essent; postremo, si illi redderet salutem, quærebant, quibus amicis esset usurus? sese enim cum Eumene apud eum non futuros. Hic, cognita consilii voluntate, tamen usque ad septimum diem deliberandi sibi spatium reliquit. Tum autem, quum jam vereretur, ne qua seditio exercitus oriretur, vetuit ad eum quemquam admitti, et quotidianum victum amoveri jussit. Nam negabat[3], se ei vim al-

5. *Sed amicorum perfidia decidi.* Id est, de mea fortuna dejectus sum. *Decidi* autem dignitatis plenum. Confer ad Plutarchum, XVIII.

6. *Neque id falsum: nam et dignitate*, etc. Hæc ultima verba, ait Tzschucke, cum proximis non cohærent; nec, si *nam* transitioni, uti passim in Cicerone, inservire volueris, huc valent. — *Dignitate fuit*, etc. Id est, formæ supra vulgarem augustæ, robore ad fatigationes sustinendas firmo, et habitu non tam magno, quam congruenti.

Cap. XII. 1. *Ad consilium retulit.* Referre, verbum in hac re solemne. Unde gallice, *référer*.

2. *Plerique omnes.* Non omnes ergo: nam Eumenem servatum cupiebant Nearchus et Demetrius, ipsius Antigoni filius, teste Plutarcho, XVIII. *Plerique omnes.* Hellenismus ab Atticis, qui πλείονες πάντες usurpant. — *Maximos duces interfecisset.* Craterum scilic. et Neoptolemum. Vide supra IV. — *In quo uno esset tantum.* Qui unus tantum posset. — *Negotii.* Molestiæ.

3. *Nam negabat, se*, etc. Quamvis non esset inedia hominem exhaurire.

laturum, qui aliquando fuisset amicus. Hic tamen non amplius, quam triduum, fame fatigatus, quum castra moverentur, insciente Antigono, jugulatus est a custodibus[4].

XIII. Sic Eumenes annorum quinque et quadraginta, quum ab anno vicesimo[1], uti supra ostendimus, septem annos Philippo apparuisset; et tredecim apud Alexandrum eumdem locum obtinuisset; in his uni equitum alæ præfuisset; post autem Alexandri Magni mortem imperator exercitus duxisset, summosque duces partim repulisset, partim interfecisset; captus non Antigoni virtute, sed Macedonum perjurio, talem habuit exitum vitæ. In quo quanta fuerit omnium opinio eorum, qui post Alexandrum Magnum reges sunt appellati, ex hoc facillime potest judicari, quod nemo, Eumene vivo[2], rex appellatus est, sed præfectus; iidem, post hujus occasum, statim regium ornatum[3] nomenque sumpserunt: neque, quod initio prædica-

4. *Jugulatus est a custodibus*. Confer, præter alios, Justinum, XIV, 4, de mortis genere silentem.

Cap. XIII. 1. *Ab anno vicesimo*. Id est, anno vicesimo natus; numero autem rotundo, ut passim, utitur noster. Nempe ministerii Eumenis initium, ut supra diximus, incidit in annum vitæ vicesimum inchoatum sive currentem (XIX, ac fortassis unus alterve præterea mensis). Igitur, ex Bosii calculo, Eumenes supervixit Alexandro,

Ann. 7....... mens. 8..........
Apparuit Alexandro,
12.................4, vel 8.
Philippo, 6.................6, vel 2.
Ante ministerium vixit, 19.

— *Apparuisset*. Ministrasset. *Apparere* autem pro adesse, præsto esse, dicitur de ministris, qui magistratibus semper in conspectu sunt. « Quatuor et viginti lictores *apparere* consulibus. » Livius, II, 55. « Quid sibi autem illi scribæ, quid lictores, quid ceteri, quos apparere huic quæstioni video, volunt ? » Cicero, pro Cluent. — *Macedonum perjurio*. A quo ipse sibi postea metuit Antigonus; quare eos callida ratione separavit, et quasi ex oculis amovit. Adeo illud Taciti verum : « Proditores etiam iis, quos anteponunt, invisi sunt. » Ann. I, 58.

2. *Quod nemo, Eumene vivo*. Hoc eos non Eumenis, sed *verecundiæ* gratia fecisse ait Justinus, XV, 2.

3. *Regium ornatum*. Diadema scilicet, sceptrum, purpureamque stolam. — *Nomenque sumpserunt*. Ita Curt. quoque, IV, 2: « Ille, cujus nomen sumpsisti, Darius. » Gebhard.

rant, se Alexandri liberis regnum servare, id præstare voluerunt; et, uno propugnatore sublato, quid sentirent, aperuerunt. Hujus sceleris[4] principes fuerunt Antigonus, Ptolemæus, Seleucus, Lysimachus, Cassander. Antigonus autem Eumenem mortuum propinquis ejus sepeliendum tradidit: hi militari honesto funere, comitante toto exercitu, humaverunt[5]; ossaque ejus in Cappadociam ad matrem atque uxorem liberosque ejus deportanda curarunt.*

4. *Hujus sceleris*. Perjurii scilicet: quippe qui, quod initio prædicarant, se Alexandri liberis regnum servare, id præstare noluerint.

5. *Humaverunt*. Id est, cineres ex more collectos terra condiderunt. Nempe *sepelire*, quod multi docuerunt, more antiquo cremationem indicat; atque hinc, quod in Suetonii Augusto, c. 100, est *crematus*, ab Eutropio, VII, 8, §. 5, dicitur *sepultus*. —*Atque uxorem*. Barsinam, natione Persicam, Artabazi filiam, ex qua filium nomine Herculem susceperat Alexander. Teste Curtio, lib. X, 17. Adde Plutarch. cap. 1.

*Eumenis res pete ex Plutarch., in vita; Diodoro, XVIII et XIX; Polyæno, IV; Frontino, IV, 7, 34; Just. XIII et XIV. Est et apud Arrianum (præsertim in rebus post Alexandrum, apud Photium, cod. 92), Curtiumque, mentio viri. Boecler. Meminit et L. Ampelius, in lib. memoriali. Bosius. Adde Appianum, Alexandrin., Mithridat. p. 392, 393. Van Staveren. Adde in primis apud nos *Rollin*, *Histoire Ancienne*, livre XVI; *Voltaire*, *Olympie*; et script. de Alexandro.



XIX.

PHOCION.

ARGUMENTUM.

CAP. I; Phocion virtutibus suis clarior, quam re militari. — II; Senex in civium invidiam incurrit ob tradendam Antipatro urbem. Exilium Demosthenis. Proditum Piræum.— III; Exilio multatur. Causam dicit apud Philippum. Athenas deducitur. — IV; Damnatus, et ad supplicium datus, a servis sepelitur.

PHOCION[1], Atheniensis, etsi sæpe exercitibus præfuit, summosque magistratus cepit; tamen multo ejus notior integritas est vitæ, quam rei militaris labor. Itaque hujus memoria est nulla[2], illius autem magna fama: ex quo cognomine *Bonus* est appellatus. Fuit enim perpetuo

CAP. I. 1. *Phocion.* Hujus patrem, quem Suidas Phocum vocat, fabrum cochlearium fuisse scribit Ælianus, Var. Hist. lib. XX, cap. 43. COURTIN.— *Etsi sæpe exercitibus præfuit.* Quadragies et quinquies, auctore Plutarcho in ejus vita, VIII, quum ne semel quidem comitiis interfuisset. — *Integritas vitæ.* « Phocion vero his dotibus.... eloquentia et integritate instructissimus. » Val. Max. V, 3, ext. 3.

2. *Hujus memoria est nulla.* Nepotis forsan ætate; multas tamen ejus res militiæ gestas, muneraque imperatoria commemorat Plutarchus; ac, teste eodem, ejus uxor ornamenta sua dicebat esse viri sui consilia factaque imperatoria. At vero non raro fit, ut in viro bono si una virtus prælucens ceteras non obruat, saltem fama anteeat. Exemplum præbet Aristides. — *Bonus est appellatus.* Idem testatur Val. Max. III, 8, ext. 2: « Placidi et misericordes et liberales, omnique suavitate

pauper[3], quum divitissimus esse posset, propter frequentes delatos honores, potestatesque summas, quæ ei a populo dabantur. Hic quum a rege Philippo[4] munera magnæ pecuniæ repudiaret, legatique hortarentur accipere, simulque admonerent, si ipse his facile careret, liberis tamen suis prospiceret, quibus difficile esset in summa paupertate tantam paternam tueri gloriam; his ille: « Si mei similes erunt, idem hic, inquit, agellus illos alet, qui me ad hanc dignitatem perduxit; sin dissimiles sunt futuri, nolo meis impensis illorum ali augerique luxuriam. »

II. Idem quum prope ad annum octogesimum[1] prospera pervenisset fortuna, extremis temporibus magnum in odium pervenit suorum civium. Primo quod cum Demade[2] de urbe tradenda Antipatro consenserat; ejusque

temperati mores Phocionis, quos optime profecto consensus omnium bonitatis cognomine decorandos censuit. » Unde χρηστὸς a Suida dictus est, quia aliis omnibus magis, quam sibi consulebat. Hanc vero famam usque ad ætatis annum 75 sustinuisse refert Ælianus. In reliqua vita et cultu morosum, durum, asperumque fuisse Plutarch. addit.

3. *Fuit enim perpetuo pauper.* In pauperrimorum numero ex claris Græcis Phocionem recenset Ælian. Var. Hist. II, 43; illumque ea paupertate gloriatum esse tradit Plutarchus, XXX. Adde Athenæum, lib. X, cap. 4; et Plutarchum, περὶ φιλοπλουτίας.

4. *A rege Philippo.* Philippo scilicet Aridæo, Alexandri magni fratre, de quo infra, c. III. Non autem a Philippo, sed ab Alexandro magno munera fuisse oblata tradunt Plutarchus et Ælianus. Sed quæ de liberis hic adduntur, non memorant. Hanc historiam latius enarrat Diodorus Siculus, XVII, 15. — *Legatique hortarentur accipere.* Græco more. Usitatius, *ut acciperet.* Hæc autem constructio imprimis locum habet in verbo *hortari.* Vide Valer. Max. III, 3, 1; ac Tacitum in indice. — *Liberis tamen suis prospiceret.* De uno tantum Phoco loquitur Plutarchus, c. XXX, quem, cap. XX, vinosum ac dissolutum Spartam ad frugalitatem discendam missum fuisse scribit. Lege et Athenæum, IV, 19.

Cap. II. 1. *Quum prope ad annum octogesimum*, etc. Sic et Plutarchus, cap. XXIV. Ælianus autem, ut supra diximus, habet 75.

2. *Cum Demade.* Cum quo ad Antipatrum legatus missus fuerat. Vid. Plut. et Diod. XVIII, prolixe hæc narrantes. Demades vero Atheniensis orator fuit, Demosthenis æmulus, qui ex Macedonum gratia potestatem sibi et opes quærebat,

consilio Demosthenes cum ceteris, qui bene de republica mereri existimabantur, populiscito in exilium erant expulsi. Neque in eo solum offenderat, quod patriæ male consuluerat[3]; sed etiam, quod amicitiæ fidem non præstiterat: namque, auctus adjutusque a Demosthene, eum,

quique, reperta epistola, qua vel Perdiccam vel Antigonum ad invadendam Macedoniam instigaverat, supplicium capitis legatus adivit. Hujusce Demadis oratio aliqua, etsi dubia, inserta est oratoribus Atticis a Reisk. collectis, vol. 4. — *Ejusque consilio.* Phocionis scilicet. Id est, eo, ut ait Lambin., Phocione approbante; quia plus poterat Antipater, quam populus Atheniensis, neque aliter saluti civitatis consuli poterat. Antipater enim Græcos ad Cranonem, Thessaliæ urbem, vicerat, et pacem ea conditione, cui assensit Phocion, promiserat, ut Athenienses præsidium Macedonicum in Munychiam acciperent. Idem vero ille ab Alexandro Magno, ad expeditionem Persicam discedente, Macedoniæ præpositus erat; in eaque, Alexandro extincto, regnavit. — *Demosthenes.* Atheniensis, Græcorum oratorum longe princeps, cujus vitam scripsit Plut., laudesque Cicero sæpissime.

3. *Quod patriæ male consuluerat.* Miror hoc a Probo, seu Nepote, scriptum esse. Quid enim Phocion faceret? unusne armis Antipatri obsisteret? Præterea jam Demosth. et Hyperides, et ceteri, antequam Antipater Atticæ appropinquaret, post pugnam ad Cranonem, urbem Thessaliæ, ut tradit Plutarchus, seu ad Peneum flumen, ut scribit Diodorus, commissam, ex urbe discesserant, populo diffidentes; itaque absentes, Antipatro jam victore, et armis plus valente, damnati sunt. Lamb. — *Quod amicitiæ fidem non præstiterat.* Sed nonne patriæ jura, quam amicitiæ, sunt sanctiora? Præterea, quænam amicitia Phocioni cum Demosthene intercedebat, nisi civilis, et ex societate reipublicæ administrandæ nata? Promiseratne Phocion Demostheni, se ejus causa omnino facturum, etiam contra reipublicæ utilitatem, et contra patriæ salutem? Illa vero non jam amicitia, sed conjuratio in rempublicam fuisset. Præterea profitebatur Phocion, ut testatur Plutarchus, Apophteg. reg. et duc., sibi nihil eorum probari, quæ ab aliis et fierent et dicerentur. Postremo Demosthenes quum dicendi finem faceret, surgente ad dicendum Phocione, dicere solebat familiaribus suis prope sedentibus: « En verborum meorum bipennis. » Auctor idem Plutarchus, in Phocione. Idem iterum, in Apophteg. reg. et duc., scribit, quum aliquando Demosthenes Phocioni ita dixisset: « Interficient te Athenienses, si insanire cœperint; » respondisse: « Me quidem, si insanire; te vero, si sapere cœperint. » Ex quibus intelligere licet, non ita magnam Phocioni cum Demosthene amicitiam intercessisse, ut ea patriæ caritatem superaret. Lambin. Vide notam sequentem.

quem tenebat, ascenderat gradum, quum adversus Charetem eum subornaret[4]; ab eodem in judiciis, quum capitis causam diceret, defensus, aliquoties liberatus discesserat: hunc non solum in periculis[5] non defendit, sed etiam prodidit. Concidit autem maxime uno crimine : quod, quum apud eum summum esset imperium populi[6], et Nicanorem, Cassandri præfectum, insidiari Piræo Atheniensium a Dercyllo moneretur, idemque postularet, ut provideret, ne commeatibus civitas privaretur; hic, audiente populo, Phocion negavit esse periculum, seque ejus rei obsidem fore pollicitus est. Neque ita multo post Nicanor[7] Piræo est potitus. Ad quem recuperandum, sine

4. *Quum adversus Charetem eum subornaret.* Unde hæc sumpserit Nepos conjicere non possum, nisi forte ex Theopompo aut Timæo, maledicentissimis hominibus, ut hic scriptor fatetur, VII, 11 : nam ii, quos Plutarchus secutus est in Phocionis vita, nihil tale de Phocione, quod sciam, scripserunt. Quin Plutarchus, in Apophtegm. reg. et duc., refert contra hæc, Phocionem aliquando in Charetis locum a populo suffectum et substitutum imperatorem fuisse. Lambin. Chares autem, ut jam annotavimus, Atheniensium dux in promittendo facilis et promptus, unde *Charetis pollicitationes* apud Suidam. *Subornaret.* Nempe illi præsidia, quibus Charetem dejiceret, clam subministraret. Nec videre est, invito Lambino, quid hic pugnet cum Plutarchi testimonio.

5. *In periculis.* Id est, in judiciis : quo sensu sæpius a Cicerone usurpatur. Pericula enim recte vocantur judicia, vel accusationes, ex quibus vitæ, bonorum, honoris pericula instant. — *Sed etiam prodidit.* Non poterat Phocion, ex Lambini verbis, unus civitatis pene subactæ civis, Antipatro victore, armaque et vim intentante, et Demosthenem cum minis exposcente, multaque alia iniquissima postulante atque adeo imperante, quominus imperata faceret civitas, recusare, nedum prohibere.

6. *Summum esset imperium populi.* Στρατηγὸς καὶ ἄρχων. Lamb. — *Et Nicanorem, Cassandri præfectum.* Cassander, Antipatri filius, unus fuit ex Alexandri ducibus, qui, ipso mortuo, regium nomen accepit, et, Macedonia occupata, Olympiadem, Alexandri magni matrem, occidi jussit, et immani sævitia omnem familiam regiam abolevit. Just. XIV, 6. — *A Dercyllo.* Quem Atticæ, extra urbem, præfectum Antipater reliquerat.

7. *Neque ita multo post Nicanor. Neque,* attamen non, uti in Ages. I, et passim. Phocionem vero Nicanoris verbis, quibus nimiam fidem habebat, fuisse deceptum pluribus narrat Plutarchus, in vita, XXXI.

quo Athenæ omnino esse non possunt[8], quum populus armatus concurrisset; ille non modo neminem ad arma vocavit, sed ne armatis quidem præesse voluit.

III. Erant eo tempore Athenis duæ factiones: quarum una populi causam agebat[1], altera optimatum; in hac erat Phocion et Demetrius Phalereus. Harum utraque Macedonum patrociniis nitebatur. Nam populares Polysperchonti[2] favebant: optimates cum Cassandro sentiebant. Interim a Polysperchonte Cassander Macedonia pulsus est. Quo facto populus superior factus[3], statim duces adversariæ factionis capitis damnatos patria pepulit, in his Phocionem et Demetrium Phalereum; deque ea re legatos ad Polysperchontem misit, qui ab eo peterent,

8. *Sine quo Athenæ omnino esse non possunt.* Piræo scilicet. — *Neminem ad arma vocavit.* Quod ex decreto fieri jusserat Philomedes, Lamprensis. Plutarchus vero ait Phocionem tunc tumultuantem populum frustra conatum educere, et odio et contemptui omnibus fuisse. Mag. Male igitur Nepos Phocionem proditionis reum agere videtur.

Cap. III. 1. *Populi causam agebat.* Cui parum studebat tunc temporis Phocion, cum Demade, Demosthenis æmulo; Callimedonte, et Pericle, ut refert Plut. in Phocione. Court — *Demetrius Phalereus.* De quo in Miltiade, VI.

2. *Polysperchonti.* Qui ab Antipatro Græciæ ac Macedoniæ fuerat præpositus, et cum Neoptolemo in prælio, quod adversus Eumenem commiserunt, occisus est. Justin. XIII, 8. — *Cassandro.* Antipatri, tunc mortui, filio.

3. *Populus superior factus.* Polysperchon enim legatis Græciæ civitatum promiserat, libertatem iis, sublata paucorum potentia, ab Antipatro instituta, se redditurum. Ratus hoc pacto Cassandri res se labefacturum, multorumque benevolentiam sibi comparaturum. Refert Diod. XVIII. Bosius. — *Duces adversariæ factionis.* Magistratus in oligarchia creatos: in quorum locum suffecti alii e maxime popularibus. Ex eodem Diodor. — *Capitis damnatos patria pepulit.* Nempe capitis damnatio a jurisconsultis ad supplicium, vel exilium refertur. Demetrium, aliosque absentes, capitis damnatos fuisse tradit Plutarchus; Phocion, non tam urbe pulsus, quam a magistratu remotus, ipse inde cessit. Affirmat vero Diodorus, XVIII, 66, Phocionem urbe pulsum ad Polysperchontem confugisse, et ab eo, quum Athenas missus esset, mortis pœna affectum fuisse. — *In his Phocionem et Demetrium Phalereum.* De Demetrio silent Diodorus et Plutarchus; hic Callimedontem et Periclem ex urbe tum profugisse refert.

ut sua decreta confirmaret. Huc eodem profectus est Phocion. Quo ut venit, causam apud Philippum [4] regem verbo, re ipsa quidem apud Polysperchontem jussus est dicere : namque is tum regis rebus præerat [5]. Hic ab Agnonide [6] accusatus, quod Piræum Nicanori prodidisset, ex consilii [7] sententia in custodiam conjectus, Athenas deductus est, ut ibi de eo legibus fieret judicium.

IV. Huc ubi perventum est, quum propter ætatem pedibus jam non valeret [1], vehiculoque portaretur, magni concursus sunt facti; quum alii, reminiscentes veteris famæ, ætatis misererentur; plurimi vero ira exacuerentur, propter proditionis suspicionem Piræi, maximeque, quod adversus populi commoda in senectute steterat. Qua de re ne perorandi quidem [2] ei data est facultas, et dicendi causam. Inde judicio, legitimis quibusdam confectis [3], damnatus, traditus est undecim viris, quibus ad sup-

4. *Apud Philippum regem.* Aridæum, fratrem Alexandri Magni. Vid. Just. XIII, 3.

5. *Namque is tum regis rebus præerat.* Curator regni et administrator. Lambin.

6. *Ab Agnonide.* Rhetore et sycophanta, seu delatore, accusandi Phocionem gratia misso. V. Plut.

7. *Ex consilii*, al. *consimili sententia.* Re vera ad unum Polysperchontem rediit judicium. — *Athenas deductus.* Ut scilicet capitis causam diceret. Vide Diodor. XVIII, et Plutarchum in Phocione. Obiter observabis reos honoratiores Athenas missos fuisse, ut magistratibus traderentur, utque, legitimis confectis, aut absolverentur aut addicerentur, quod et apud Romanos invaluit. Vide not. ad Sidon. ep. 7, lib. VII. Savaro.

Cap. IV. 1. *Pedibus jam non valeret.* Pedes incedere tunc non posset. — *Vehiculoque portaretur.* Plutarchus tamen non propter infirmitatem pedum sic vectum refert, sed contumeliæ causa. Alioquin invalidi debilesque sellis gestatoriis ad supplicii locum ferebantur. Vide Ammianum, XXIX, 2.

2. *Ne perorandi quidem*, etc. Quia crebris clamoribus interpellabatur. Confer Plutarchum et Diodorum, rem copiose ac lucide narrantes. Ex eodem Diodoro proditos Athenienses fuisse a Polysperchonte constat.

3. *Legitimis quibusdam confectis.* Id est, formulis aliquot, ut in judiciis solet, observatis. Non autem omnia lege sancita secuti sunt; quippe ne dicendæ quidem causæ ei data fuerit copia. — *Undecim viris.* Judicibus, quibus cura carceris et suppliciorum demandata, ut in capitalibus rebus adessent, judi-

plicium, more Atheniensium, publice damnati tradi solent. Hic quum ad mortem duceretur [4], obvius ei fuit Emphyletus, quo familiariter fuerat usus. Is quum lacrymans dixisset, « O quam indigna perpeteris, Phocion! » huic ille : « At non inopinata, inquit; hunc enim exitum plerique clari viri [5] habuerunt Athenienses. » In hoc tantum fuit odium multitudinis, ut nemo ausus sit eum liber sepelire [6]; itaque a servis sepultus est. *

ciumque an legitime exequerentur carnifices, viderent. Conf. Aristot. Politic. VI, cap. ultimo; et Platonem in Phædone. Hosce autem a triumviris capitalibus Romanorum non multum absimiles fuisse scribit Budæus.

4. *Ad mortem duceretur. Duci* proprie de his, qui ad supplicium ducuntur. Gr. ἄγεσθαι. Gallice pariter, *conduire, mener au supplice.*

5. *Plerique clari viri.* Quorum vide catalogum apud Lucianum in dialogo, De non temere credendo calumniæ. Adde Dionem Prusæum, Orat. LXXIII; et Valerium Maxim. V, 3, ext. 3.

6. *Nemo ausus sit eum liber sepelire.* Proditores enim palam sepelire non licebat, quod ipse tradit Nepos in Themistocle, cap. X. Omnes damnatos, negata sepultura, extra fines Atticæ projectos fuisse narrat Diodorus, XVIII, 67, extr. Ultra Eleusinem corpus a vespillone portatum et crematum, a muliere Megarica cenotaphium aggestum esse scribit Plut. XXXVII, additque Athenienses paulo post, pœnitentia et desiderio tactos, ossa publice humasse, ipsi statuam æneam posuisse, et Agnonidem interfecisse. Tzs.

* De Phocione vide Plutarchum in vita, et alibi; Æschinem, de falsa legatione; Athenæum, X; Ælianum sæpius; Diodorum, XVIII; Polyænum, III; Suidam; Valer. Maxim. III, 8, ext. 2. Boecler. Adde *Rollin, Hist. Anc.* liv. XVI; *Barthél. Voy. d'Anach.; Phocion, trag.* 1688, *par Campistron;* 1818, *par Royou; Entretiens de Phocion, par Mably,* etc.



XX.

TIMOLEON.

ARGUMENTUM.

Cap. I; Timoleon, patria liberata, tyrannum tollit fratrem. — II; Dionysium Sicilia depulsum Corinthum mittit. Icetam superat. Pœnos fundit. Mamercum capit. — III; Instauratis insulæ rebus, imperium deponit. — IV; Oculis captus, reipublicæ consulit. Patientiæ ejus exempla. Funus.

Timoleon, Corinthius[1]. Sine dubio magnus omnium judicio[2] hic vir extitit: namque huic uni contigit, quod nescio an ulli, ut et patriam, in qua erat natus, oppressam a tyranno[3] liberaret; et a Syracusis, quibus auxilio erat missus, inveteratam servitutem depelleret, totamque Siciliam, multos annos bello vexatam, a barbarisque op-

Cap. I. 1. *Timoleon, Corinthius.* Cujus pater, auctore Diod. Sic. XVI, fuit Timænetus; ex Plutarcho autem, in Timoleontis vita, Timodemus, mater vero Demariste.

2. *Magnus omnium judicio.* Si Polybium, Excerptis de virtutibus et vitiis, excipias. Revera autem magnus, et in primis in eo fuit Timoleon, quod regnum sibi oblatum non acceperit, et convitia in se ingesta contemnens responderit : « Tota vita mea id egi, ut omnes liberi essemus. » Vide Ampelium. Adde Diodorum, XVI, 90

3. *A tyranno.* Scilicet, ut infra videbitur, a fratre suo Timophane. — *Inveteratam servitutem.* Quippe quæ per annos amplius sexaginta duraverit. — *Bello vexatam.* Quod gestum est a Carthaginiensibus, partim adversus Dionysium majorem, duce Dione; et, Dione interfecto, Callippum, qui menses XIII

pressam, suo adventu in pristinum restitueret. Sed in his rebus non simplici fortuna [4] conflictatus est, et, id quod difficilius putatur, multo sapientius tulit secundam, quam adversam fortunam. Nam quum frater ejus Timophanes [5], dux a Corinthiis delectus, tyrannidem per milites mercenarios occupasset, particepsque regni posset esse; tantum abfuit a societate sceleris, ut antetulerit suorum civium libertatem fratris saluti, et patriæ parere legibus, quam imperare, satius duxerit. Hac mente [6] per haruspicem, communemque affinem, cui soror, ex eisdem parentibus nata, nupta erat, fratrem tyrannum interficiendum curavit. Ipse non modo manus non attulit [7], sed

tyrannidem obtinuit, ut narrat Diodorus, XVI; et, Callippo subacto, Hipparinum, Dionysii filium, qui annos duos imperio paterno potitus est; deinde Dionysium ipsum, qui imperium amissum recuperavit. Lamb. — *A barbaris.* Scilicet a Carthaginiensibus. — *In pristinum.* Statum scilicet. Eodem modo Justinus, XXXI, 1: « Civitates... *in integrum* restitui jubet. » Adde Suetonium, in Cæsare, c. XVI.

4. *Non simplici fortuna.* Id est, varia, multiplici, mutabili fortuna: hinc bene additur *conflictatus*, quippe quod verbum difficultatem ac reluctationem indicet. — *Et, id quod difficilius putatur.....* Ita fere Aristoteles, Politic. V, 8, φέρειν εὖ παντὸς ἀνδρὸς εὐτυχίαν. Imo Sallust. Catil. XI: « Secundæ res sapientium animos fatigant. »

5. *Timophanes.* Homo nulla in re Timoleonti fratri suo similis. Vide Plut. in Timol. — *Dux a Corinthiis delectus.* In bello adversus Argivos et Cleonæos, uti refert Plutarchus, c. IV. — *Fratris saluti.* Quem quidem in superiore bello ex equo inter hostes excussum servaverat. Vide Plutarchum, cap. IV.

6. *Hac mente.* Ut passim apud Sallustium et alios, hoc consilio. — *Per haruspicem.* Μάντιν, Plutarch. l. c., qui ab aliis Satyrum, ab aliis Orthagoram vocatum esse addit. Tzs. — *Affinem.* Æschylum, fratrem uxoris Timophanis. Plut. c. l. Ipse etiam Timoleon graviter et subinde eum dehortatus est. Idem c. l. Tzs. *Communemque affinem*, id est, propinquum ex utraque parte. — *Cui soror, ex eisdem parentibus nata.* Scilicet, quibus Timoleon et Timophanes. Bosius. — *Fratrem tyrannum interficiendum curavit.* Justam censens injuste imperium aut tyrannidem occupantis interfectionem, ex veteri lege Rhadamanti, et pluribus Græcorum, de quibus Grotius, de J. B. et P. I, 4, 17. Loccen. Adde judicium Clapmarii de Arcanis rerump. IV, 20. Bosius.

7. *Manus non attulit.* Sic Plutarchus c. l. narrat, eum, quum frater dehortationes cum indignatione

ne aspicere quidem fraternum sanguinem voluit: nam, dum res conficeretur, procul in præsidio fuit, ne quis satelles posset succurrere. Hoc præclarissimum ejus facinus[8] non pari modo probatum est ab omnibus: nonnulli enim læsam ab eo pietatem putabant, et invidia laudem virtutis obterebant[9]. Mater vero, post id factum, neque domum ad se filium admisit, neque aspexit, quin eum fratricidam impiumque detestans[10] compellaret. Quibus rebus ille adeo est commotus, ut nonnunquam vitæ finem facere voluerit[11], atque ex ingratorum hominum conspectu morte decedere.

II. Interim Dione Syracusis interfecto[1], Dionysius rursus Syracusarum potitus est: cujus adversarii opem a Corinthiis petierunt, ducemque, quo in bello uterentur, postularunt. Huc Timoleon missus, incredibili[2] felicitate Dionysium tota Sicilia depulit; quum interficere posset, noluit; tutoque ut Corinthum perveniret, effecit[3]: quod

repulisset, recessisse, obvolutoque capite (*ne aspicere quidem*, Nepos) lacrymabundum constitisse. At idem in Polit. Præceptis, p. 222 (Opp. vol. IX) cædis socium et adjutorem fuisse affirmat; et Diodorus, XVI, 65, fratrem in foro deambulantem ab ipso occisum esse scribit. Tzs.

8. *Præclarissimum ejus facinus*. Ita Sallust. Cat. XX: « Maxumum atque pulcherrumum facinus incipere. » Utroque sensu dicitur *facinus*, etsi plerumque malo.

9. *Obterebant*. Ut deterere, eleganter de iis, quæ sensim sensimque repetito vel continuato tentamine imminuuntur, quod facit invidia, obtrectatio. Tzschuck.

10. *Detestans*. Addit Plutarchus eam diris filium devovisse.

11. *Vitæ finem facere voluerit*. Inedia, ut tradit Plutarchus, cap. V; quod autem ne faceret, prohibuerunt amici.

Cap. II. 1. *Interim Dione Syracusis interfecto*. Fraude nimirum ac scelere Callippi Atheniensis, quem auctor noster in Dione, c. VIII, Callicratem vocat. Diodor. Sicul. XVI, et Plut. in Dione. Ernst. —*Syracusarum potitus est*. Ita tamen, ut Iceta tyrannus Acradinam et Neapolim teneret, Dionysius insulam, ut tradit Diodorus, XVI. Lambinus. — *Opem a Corinthiis*. Quorum coloni erant Syracusani. Vide infra, cap. III.

2. *Incredibili felicitate*. Quam multa ostenta, et prodigia, et somnia præsignificarunt, ut tradunt Plutarchus ac Diodorus. Lambin.

3. *Tutoque ut Corinthum perveni-*

utrorumque Dionysiorum opibus Corinthii sæpe adjuti fuerant, cujus benignitatis memoriam volebat extare; eamque præclaram victoriam ducebat, in qua plus esset clementiæ, quam crudelitatis; postremo, ut non solum auribus acciperetur, sed etiam oculis cerneretur, quem, et ex quanto regno, ad quam fortunam detrusisset. Post Dionysii decessum[4] cum Iceta bellavit, qui adversatus fuerat Dionysio: quem non odio tyrannidis dissensisse, sed cupiditate, indicio fuit, quod ipse, expulso Dionysio, imperium dimittere noluit. Hoc superato[5], Timoleon maximas copias Carthaginiensium apud Crimessum flumen fugavit, ac satis habere coegit, si liceret Africam obtinere, qui jam complures annos possessionem Siciliæ tenebant. Cepit etiam Mamercum[6], Italicum ducem, ho-

ret, effecit. Ubi, teste Valer. Maxim. VI, 8, ext. 6, « Propter inopiam, litteras puerulos docuit. » Adde Plut. in Timol. et Cic. ad Atticum, IX. Unde proverbium, Dionysius Corinthi. *Oui, j'aime mieux cent fois le roi de Syracuse, maître d'école à Corinthe, et le roi de Macédoine, greffier à Rome, qu'un malheureux Tarquin ne sachant que devenir, s'il ne règne pas.* J. J. ROUSSEAU, *Émile.* — *Utrorumque Dionysiorum.* Pro utriusque Dionysii. Ita passim ap. Sall. et alios. — *Quem, et ex quanto regno...* Ennius, ap. Cic. Tuscul. III, 19:

Ut scias quanto e loco,
Quantis opibus, quibus de rebus lapsa fortuna occidat.

— *Detrusisset.* Dejecisset. Quo pacto autem Dionysius se et arcem totumque apparatum tyrannicum tradiderit, et e potentissimo tyranno privatus et imbecillis evaserit, docet Plutarchus. in Timol.

4. *Post Dionysii decessum.* Ex Sicilia vel Syracusis: neque enim de decessu ex vita, vel Corintho, cogitari debet. Hinc deinceps, expulso Dionysio. Cf. Plutarchum, cap. I. Nempe quum primum expulsus tyrannidem ex Italia redux recepisset, nunc iterum excedere coactus Corinthum petiit. Vide Justinum, libr. XXI. TZSCHUCK. — *Iceta.* Ex Dionis amicis uno, Leontinorum dynasta, natione Syracusano. Vide Plutarchum.

5. *Hoc superato.* Vivum cum filio cepit, et utrumque necavit. TZS. — *Maximas copias Carthaginiensium, etc. fugavit.* De hac Timoleontis victoria, qua Pœnos fugavit, conf. Diod. Sicul. XVI, a cap. 78 usque ad cap. 83, et Plutarchum in Timol. Sed Nepos non suo ordine rem refert; nam colonos hos Corintho jam ante arcessiverat Timoleon, de quibus mox capite tertio agit. VAN STAVEREN.

6. *Mamercum.* Catanæ tyrannum. Plutarchus, cap. XXX, et de re ipsa, cap. XXXIV. TZSCHUCK.

minem bellicosum et potentem, qui tyrannos adjutum in Siciliam venerat.

III. Quibus rebus confectis, quum propter diuturnitatem belli non solum regiones, sed etiam urbes desertas videret[1], conquisivit, quos potuit, primum Siculos; deinde Corintho arcessivit colonos, quod ab his initio Syracusæ erant conditæ. Civibus veteribus sua restituit, novis bello vacuefactas possessiones divisit, urbium mœnia disjecta, fanaque deserta refecit, civitatibus leges[2] libertatemque reddidit : ex maximo bello tantum otium totæ insulæ conciliavit, ut hic conditor urbium earum, non illi, qui initio deduxerant, videretur. Arcem Syracusis, quam munierat Dionysius ad urbem obsidendam, a fundamentis disjecit ; cetera tyrannidis propugnacula demolitus est; deditque operam, ut quam minime multa vestigia servitutis manerent. Quum tantis esset opibus, ut etiam invitis imperare posset; tantum autem haberet amorem omnium Siculorum, ut nullo recusante regnum obtineret[3]; maluit se diligi, quam metui. Itaque, quum primum potuit, imperium[4] deposuit, et privatus Syracusis, quod reliquum vitæ fuit, vixit. Neque vero id imperite fecit[5]: nam, quod ceteri reges imperio potuerunt, hic benevolentia tenuit. Nullus honos huic defuit : neque postea res ulla Syracusis gesta èst publice, de qua prius sit decretum, quam Ti-

Cap. III. 1. *Urbes desertas videret.* Quum, teste Plutarcho, XXII, equi in foro Syracusano pascerentur. — *Syracusæ erant conditæ.* Ab Archia Corinthio, Heraclidarum uno. Tzs.

2. *Leges.* Ἰσονομίαν Græci vocant et tyrannidi opponunt. Tzsch. — *Otium.* Pacem scilicet, quietem, opposito bello. — *Qui initio deduxerant.* Deducere, verbum de coloniis condendis solemne. Vide Servium ad Virgil. Æneid. II, 800.

3. *Regnum obtineret.* Pro obtinere posset. Sic in Eum. c. VI, *veniret.* — *Maluit se diligi, quam metui.* Melius tutiusque, quam qui vocem diram et abominandam jactavere : *Oderint, dum metuant.* Sen. de Ira, I, 16.

4. *Imperium.* Potentiam, qua ad ordinandam rempublicam fruebatur.

5. *Neque vero id imperite fecit.* Id est, sapienter et præclare fecit.

moleontis sententia cognita. Nullius unquam consilium non modo antelatum, sed ne comparatum quidem est; neque id magis benevolentia[6] factum est, quam prudentia.

IV. Hic quum ætate jam provectus esset, sine ullo morbo[1] lumina oculorum amisit; quam calamitatem ita moderate tulit, ut neque eum querentem quisquam audierit, neque eo minus privatis publicisque rebus interfuerit. Veniebat autem in theatrum[2], quum ibi concilium populi haberetur, propter valetudinem vectus jumentis junctis, atque ita de vehiculo, quæ videbantur, dicebat. Neque hoc illi quisquam tribuebat superbiæ: nihil enim unquam neque insolens, neque gloriosum, ex ore ejus exiit[3]. Qui quidem, quum suas laudes audiret prædicari, nunquam aliud dixit, quam se in ea re maximas Diis gratias agere atque habere, quod, quum Siciliam recreare[4] constituissent, tum se potissimum ducem esse voluissent. Nihil enim rerum humanarum sine Deorum numine[5] geri putabat.

6. *Benevolentia.* Qua sui favebant ei cives. — *Prudentia.* Ipsius scilicet Timoleontis.

CAP. IV. 1. *Sine ullo morbo lumina oculorum amisit.* Id est, factus est cæcus, quum prius aliunde non ægrotasset. Multos, qui et oculis capti fuerint, moderateque eum casum tulerint, enumerat Cicero, Tuscul. V, et Marcus Marullus Spalatensis. SCHOTTUS. Exempla eorum, qui non modo cæcitatem patienter tulerunt, sed etiam lumine mentis, etsi oculis capti, multum privatim publiceque profuerunt, habes in Passeratii oratione de cæcitate, quam ipse tunc cæcus habuit. LOCCENIUS.

2. *In theatrum, quum ibi concilium*, etc. Nam Græcis et Græciensibus plerisque theatrum pro curia, foro, comitio fuit, uti observarunt viri docti. — *Vectus jumentis junctis.* Sic ap. Romanos App. Claud. senex et cæcus lectica in senatum ferebatur.

3. *Ex ore ejus exiit.* Ita Cic. in Vatinium, II: « Non puto fas esse verbum ex ore exire cujusquam, quod non jucundum et honorificum ad aures tuas accidat. » Idem in Or. « Ut verbum ex ore nullum, nisi aut elegans aut grave exeat. » Adscripserat uni codicum suorum Barthius: *Phrasis biblica;* neque tamen loca citata ex bibliis desumpta sunt.

4. *Recreare.* Id est, ad pristinam libertatem revocare. Ita Cicero, de Provinc. et alibi: « Macedonia ita vexata est, ut vix possit se diuturna pace recreare. »

5. *Sine Deorum numine*, etc. *Dei* apud Plutarch. Ita sentit Sallustius,

Itaque suæ domi sacellum αὐτοματίας[6] constituerat, idque sanctissime colebat.

V. Ad hanc hominis excellentem bonitatem mirabiles accesserunt casus. Nam prælia maxima natali die suo fecit omnia[1]; quo factum est, ut ejusdem natalem festum haberet universa Sicilia. Huic quidam Lamestius[2], homo petulans et ingratus, vadimonium quum vellet imponere, quod cum illo se lege agere diceret, et complures concurrissent, qui procacitatem hominis manibus coercere conarentur; Timoleon oravit omnes, ne id facerent : namque id ut Lamestio ceterisque liceret, se maximos labores summaque adiisse pericula; hanc enim speciem libertatis esse, si omnibus, quod quisque vellet, legibus

Orat. ad Cæs. II : « Namque mihi pro vero constat, omnium mortalium vitam divino numine invisi. »

6. Αὐτοματίας. Fortis fortunæ. De divina potentia alii propter superiora intelligunt. Neque tamen illud repugnat. Plutarch. De sui laude, p. 146 (Opp. vol. VIII, Lips.), Βωμὸν Αὐτοματίας ἐπὶ ταῖς πράξεσι constituisse; domum ἀγαθῷ δαίμονι consecrasse tradit. Idem, in Politic. Præcept. p. 251, v. IX, tantum Αὐτοματίας habet ἱερόν. Tzs.

Cap. V. 1. *Nam prælia maxima natali die suo fecit omnia*. Trajanus natali die adoptatus est, et ad imperium aspiravit. Plin. Paneg. cap. 92; nisi tamen ibi *natalis* pro die, quo adoptatus est, accipi debet. Carolus V natali suo ad Ticinum vicit, et Franciscum regem Galliæ cepit anno 1525; Bononiæ eodem die coronam a pontifice accepit. Thuanus, lib. I, p. 39, 41. Augusto mense Augusto et primus consulatus, et pleræque victoriæ contigerunt. Suet. c. 31; idem Augustus sub suum natalem plerumque languit. Suet., vita ejus, cap. 81. Vid. Muret ad Tacitum, p. 116. Buchn. Memorabile quoque est, quod Condæus princeps eodem mensis et hebdomadis die, eademque hora, qua natus erat, jussu regis et reginæ captus fuit, ut refert qui longius produxit hist. Thuani, l. IX, p. 664. Fuit autem natalis Timoleontis, XXVII thargelionis (aprilis): nam eo Carthaginienses vicit, teste Plutarcho, XXVII. Bosius.

2. *Lamestius*. Alii Laphystius. — *Vadimonium quum vellet imponere*. Id est, adigere eum, ut, vadibus datis, vel se, vel vades in judicio certo die affuturos promitteret. Vadimonium enim est sponsio per vades sistendi se ad certum diem. — *Se lege agere*. Id est, ut quidam volunt, actionem intendere, et jus suum experiri apud prætorem. Rectius vero Tzs., *lege agere*, i. e. legitime. Etenim ipse mox explicat, *legibus experiri*.

experiri liceret. Idem, quum quidam Lamestii similis, nomine Demænetus, in concione populi de rebus gestis ejus detrahere cœpisset, ac nonnulla inveheretur in Timoleonta, dixit, nunc demum se voti esse[3] damnatum: namque hoc a Diis immortalibus semper precatum, ut talem libertatem restituerent Syracusanis, in qua cuivis liceret, de quo vellet, impune dicere[4]. Hic, quum diem supremum obiisset, publice[5] a Syracusanis in gymnasio, quod Timoleonteum appellatur, tota celebrante Sicilia, sepultus est.*

3. *Se voti esse damnatum.* Id est, voti compotem factum, ideoque voti persolvendi necessitate obligatum. Virg. Eclog. V, 80:

Damnabis tu quoque votis.

Id. Æneid. V, 237: *Voti reus.* Tit. Liv. VII, 28; XXVII, 45: *Voti damnari.*

4. *In qua cuivis liceret, de quo vellet, impune dicere.* Tacit. Hist. I, 1: « Rara temporum felicitate, ubi sentire, quæ velis, et, quæ sentias, dicere licet. »

5. *Publice.* Publico apparatu et sumptu. — *In gymnasio.* Corpus ejus in foro sepelierunt, eumque locum, monumenti causa, gymnasium esse voluerunt exercendæ juventuti dicatum, nomine Τιμολεόντειον. Plut. — *Tota celebrante Sicilia.* Vicini non solum, sed et peregrini confluxerunt, test. Plut. *Celebrante.* Frequentissimum concursum notat.

* Timoleontis historia peti potest ex Plutarcho, in vita, et alibi; Diodoro, XVI; Polyæno, V; Suida. Præcipuus ejus scriptor Timæus intercidit. Boecler. Hunc Timæum laudant de rebus Timoleontis Cicer. Epist. fam. V, 12; et Polybius, XII, in Excerptis Peirescianis, qui et reprehendit, quod nimium laudaverit. Fecit autem, opinor, in Σικελικοῖς, de quibus Vossius, de Histor. Græc. I, 12. De Timoleonte quædam et L. Ampelius narrat, libro memoriali, 32. Bosius. Adde *Montaigne, Essais*, I, 33, 37, et III, 1; *Rollin, Hist. Anc.* II, 2; *Barth. Voyag. d'Anach.*; *Chénier, Timoléon.*



XXI.

DE REGIBUS.

ARGUMENTUM.

Cap. I; Spartani reges nomine tales, non potestate. Excellentissimi Persarum reges. — II; Macedonum reges clariores. Unus rex Siciliæ vere illustris. — III; Reges ex Alexandri amicis.

Hi fere fuerunt Græciæ gentis duces, qui memoria digni videbantur, præter REGES: namque eos attingere noluimus, quod omnium res gestæ separatim[1] sunt relatæ. Neque tamen hi admodum sunt multi. Lacedæmonius autem Agesilaus[2], nomine, non potestate fuit rex; sicut ceteri Spartani. Ex his vero, qui dominatum imperio tenuerunt[3], excellentissimi fuerunt, ut nos judicamus, Persarum Cyrus, et Darius, Hystaspis filius: quorum uterque

Cap. I. 1. *Separatim.* Vel ab auctore, ut quidam putant; vel ab aliis, ut plerique, maxime recentiores, nec temere, quia alias addidisset *a me*, vel alio modo disertius indicasset, ut in Dione, III, et in Cat. III. Tzs.

2. *Lacedæmonius autem Agesilaus, nomine, non potestate fuit rex.* Ut excuset vitæ ejus commemorationem, supra Græcis ducibus interpositam. Tzs. Ita Ages. I: « Mos est enim...... ut duos haberent reges nomine magis, quam imperio. »

3. *Qui dominatum imperio tenuerunt.* Opposuit regibus istis *nomine magis, quam imperio*, intelligitque eos, qui in volentes nolentes dominati sunt, neque legibus alienis se constringi passi sunt. — *Cyrus.* Major, Cambysis filius, Astyagis nepos, Xenophontis Cyropedia notissimus, qui imperium a Medis ad Persas transtulit. — *Darius, Hystaspis filius.* Qui equi hinnitu rex creatus est.

privatus virtute regnum est adeptus. Prior horum apud Massagetas in prælio cecidit[4]; Darius senectute diem obiit supremum. Tres sunt præterea ejusdem generis, Xerxes, et duo Artaxerxes, Macrochir[5] et Mnemon. Xerxi maxime est illustre, quod maximis post hominum memoriam exercitibus[6] terra marique bellum intulit Græciæ. At Macrochir præcipuam habet laudem amplissimæ pulcherrimæque corporis formæ, quam incredibili ornavit virtute belli: namque illo Perses nemo fuit manu fortior. Mnemon autem justitiæ fama floruit: nam quum matris suæ[7] scelere amisisset uxorem, tantum indulsit dolori, ut eum pietas vinceret. Ex his duo eodem nomine[8], morbo naturæ

De quo vide in Miltiade, III.—*Virtute.* Studio, arte. Vide auctores supra laudatos.

4. *In prælio cecidit.* In prælio contra Scythas sive Massagetas eum cecidisse, etiam Herodotus, I; Polyæn. VIII; Just. I, 8, narrant: unus Diodorus, hunc captum et cruci affixum fuisse tradit. Aliter et Xenophon, VIII, et Ctesias in Persicis, et qui ex acie saucium elatum, et in castris, postquam filiis præcepta dedisset, mortuum aiunt. Rursus aliter Joannes Malela; et Lucianus, libro de longævis.

5. *Macrochir.* Sequior ætas Longimanum dixit. Ita vero dictum fuisse Strabo, lib. XV, sub f. affirmat, quod genua iis contingere potuerit; Plutarchus, in Apophtheg., quod alteram manum habuerit longiorem. Quæ ridet Kappius, et, quum alias pulcherrimus prædicetur, de amplissima ejus potentia explicat. Alii ab Ardschir, Persica voce, ducunt, ut sit fortissimus, ceu leo, et potentissimus; sic ut ex uno nomine duo finxerint Græci, Artaxerxes et Macrochir. Tzs. Xerxis filius fuit. — *Mnemon.* Seu memor, Cyri junioris frater. Hujus res præter Ctesiam, Diodorum, Justinum, separatim tradit Plutarch. in vita illius, et magnam partem auctor librorum septem de expeditione Cyri, fratris ejus, sive is est Xenophon, sive Themistogenes Syracusanus. Bosius.

6. *Maximis post hominum memoriam exercitibus.* De quo virium apparatu, supra in Themistocle.

7. *Quum matris suæ.* Parysatidis, quæ Statiram, uxorem ejus, veneno necavit. Vide Ctesiam et Plutarch. Bosius. — *Tantum indulsit dolori, ut eum pietas vinceret.* Hactenus matri pietatem debitam cum dolore, quem ex uxoris suæ nece capiebat, conciliavit, ut in animo vinceret pietas: quippe qui solam sceleris ministram supplicio affecit ancillam, et matrem tantum Babylonem dimisit. Vide Ctesiam. Ita vero obscurius justitiam ejus illustrat Nepos.

8. *Ex his duo eodem nomine.* Res-

debitum reddiderunt; tertius ab Artabano præfecto ferro interemptus est.

II. Ex Macedonum autem genere duo[1] multo ceteros antecesserunt rerum gestarum gloria: Philippus, Amyntæ filius, et Alexander Magnus. Horum alter Babylone morbo[2] consumptus; Philippus Ægis a Pausania, quum spectatum ludos iret, juxta theatrum occisus est. Unus Epirotes, Pyrrhus[3], qui cum populo Romano bellavit: is quum Argos oppidum oppugnaret in Peloponneso, lapide ictus interiit. Unus item Siculus, Dionysius prior[4]. Nam et manu fortis, et belli peritus fuit, et, id quod in tyranno non facile reperitur, minime libidinosus, non luxuriosus[5], non avarus, nullius rei denique cupidus, nisi singularis perpetuique imperii; ob eamque rem crudelis: nam dum id studuit munire, nullius pepercit vitæ, quem ejus insidiatorem putaret. Hic quum virtute tyrannidem sibi peperisset, magna retinuit felicitate; majorque annos sexaginta natus, decessit[6] florente regno: neque in tam multis annis

picit id, quod supra dixerat, *Tres sunt præterea*. Igitur *duo* sunt Artaxerxes, et paulo post *tertius* Xerxes est.—*Ab Artabano præfecto ferro interemptus est.* Qua de re legas Just. III, 1. *Artaxerce, tragédie par Métastase, Lemierre, Delrieu, etc.*

Cap. II. 1. *Duo.* Hinc Plinius, Nat. Hist. IV, 10: « Macedonia duobus regibus inclyta. »

2. *Morbo.* Quem ex vini immodico usu contraxerat; non veneno, quo celeriter putrescunt corpora, ut deportari alio, quod in hoc factum est, nequeant. Tzs.—*A Pausania,* juveni inter Macedones nobilitate claro, ob neglectam a Philippo vindictam, quam ab ipso de injuria sibi turpiter illata petiverat. De Philippi nece ex pluribus scriptor. conf. in primis Just. IX, 6. et 7.

3. *Unus Epirotes, Pyrrhus.* Id est, unus inclytus, illustris, inter Epirotarum reges, qui primus ex Græcis cum Romanis bellavit. Hic, quemadmodum Alexander, paterno genere ab Hercule, materno ab Achille se esse gloriabatur. Vide Justin. XVII, 3. De ejus nece, adde Justin. XXV, 5; Pausaniam, Atticis, cap. 13; Strabonem, VIII; Polyænum, VIII; Plut.; Orosium, etc.

4. *Dionysius prior.* De quo vide nostrum in Dione, I et II.

5. *Non luxuriosus.* Sunt tamen, qui de hoc et aliis dissentiant. Tzs.

6. *Decessit.* Plinius gaudio, alii vino immodice hausto, Justinus autem, XX, 5, Dionysium suorum insidiis supremum diem obiisse tra-

cujusquam ex sua stirpe funus vidit, quum ex tribus uxoribus liberos procreasset, multique ei nati essent nepotes.

III. Fuerunt præterea magni reges ex amicis Alexandri Magni, qui post obitum ejus imperia ceperunt. In his Antigonus[1], et hujus filius Demetrius; Lysimachus, Seleucus, Ptolemæus. Ex his Antigonus, quum adversus Seleucum Lysimachumque dimicaret, in prælio[2] occisus est. Pari letho affectus est Lysimachus[3] a Seleuco : nam, societate dissoluta, bellum inter se gesserunt. At Demetrius, quum filiam suam Seleuco in matrimonium dedisset, neque eo magis fida inter eos amicitia manere potuisset, captus bello[4], in custodia socer generi periit morbo. Neque ita multo post Seleucus a Ptolemæo Cerauno[5] dolo

dit. — *Ex tribus uxoribus*. Duas tantum memorant Cicero, Tuscul. V, 20; Valer. Max. IX, 13, ext. 4; Ælianus, XIII, 10, et Diod. XIV; sed uno die ductas, postquam denuo tyrannidem recepisset. Verum, quum primum eam occupasset, Hermocratis Syracusani filiam duxerat, quæ, ob immanes Syracusanorum contumelias, ipsa sibi mortem conscivit. Vide Plutarchum, principio vitæ Dionis.

Cap. III. 1. *Antigonus*. De quo supra, in Eumene, V. — *Demetrius*. Cognomine *Poliorcetes*, oppidorum expugnator, vel, ut Plaut. Mil. glor. IV, 2, 64, *urbicapus*. — *Lysimachus*. Unus quondam e custodibus Alexandri Magni, « illustri quidem Macedoniæ loco natus, sed virtutis experimentis omni nobilitate clarior; quæ tanta in illo fuit, ut animi magnitudine, philosophia ipsa, viriumque gloria omnes, per quos oriens domitus est, vicerit. » Just. XV, 3. De quo vide ex Justino, *Montesquieu, Œuvres posth. Lysimaque*. — *Seleucus*. Cognomine *Nicator*. — *Ptolemæus*. Lagi filius, cognomine *Soter*.

2. *In prælio*. De quo prolixe Plutarchus, Demetrio.

3. *Pari letho affectus est Lysimachus*. Non servat temporum ordinem Cornelius Nepos : nam, post Demetrii mortem, Lysimachus cum Seleuco conflixit. Lamb.

4. *Captus bello*. Ipse quidem necessitate coactus se dedidit. Conf. Plutarch. in vita; Just. XVI, 2. — *In cust. soc.*, etc. Peninsula Syriæ inclusus, ut Plutarchus; seu, ut Diodor. XXI, in excerptis Peirescianis, Pellæ custoditus. Bosius. — *Periit morbo*. In quem ex otio, sagina et vino delapsus erat. Plutarch. Bos.

5. *A Ptolemæo Cerauno*. Ptolemæi Lagidæ ex Eurydice filio. Cædem hanc narrant Just. XVII, 24; Appianus Syriacis; Pausanias Atticis; Memnonis excerpta apud Phot.

interfectus est, quem ille, a patre expulsum Alexandrea, alienarum opum indigentem, receperat. Ipse autem Ptolemæus, quum vivus filio regnum tradidisset, ab illo[6] eodem vita privatus dicitur. De quibus quoniam satis[7] dictum putamus, non incommodum videtur non præterire Hamilcarem et Hannibalem; quos et animi magnitudine, et calliditate, omnes in Africa natos præstitisse constat *.


cap. 13; Plinius; VI, 11. Bosius. *Cerauno.* Hoc nactus est ἀπὸ τοῦ κεραυνοῦ cognomen, quod in bello quasi fulminaret. — *Ille.* Seleucus.

6. *Ab illo.* Aut ignotum hodie scriptorem secutus est Nepos, aut erravit, quod solet in Ptolemæis. Hunc enim a Gallis captum esse, et, amputato antea capite, occisum tradit Justinus, lib. XXIV, 5. Sed Ptolemæus Lagi filio, cognomine Philadelpho, regnum tradidit, Justin. XVI, 2; et Ptolem. Evergetes a filio, cui ex facinoris crimine cognomentum Philopator datum, occisus est, Just. XXIX, 1. Quod si est, miscet diversa Nepos. Tzs.

7. *Satis.* Scilicet pro instituti ratione. Tzs. De aliis scriptoribus *satis* intelligit Ernstius.

* De Regibus adde in primis apud nos *Rollin*, passim, et præcipue liv. XVI; *Montesquieu, œuvr. posth. Lysimaque*; *Voltaire, Olympie, Antigone à Cassandre*, I, 2:

Antipatre n'est plus; vos soins, votre courage,
Sans doute achèveront son important ouvrage;
Il n'eût jamais permis que l'ingrat Séleucus,
Le Lagide insolent, le traitre Antiochus,
D'Alexandre au tombeau dévorant les conquêtes,
Osassent nous braver et marcher sur nos têtes.



XXII.

HAMILCAR.

ARGUMENTUM.

Cap. I; Hamilcar Erycem defendit. Pacem constantia sua patriæ conciliat. — II; Remotis a Carthagine militibus mercenariis, otium toti Africæ restituit. — III; Filium suum Hannibalem in Hispaniam ducit. Hasdrubal ejus gener, et in imperio successor. — IV; In Hispania prælio adversus Vettones cadit.

Hamilcar, Hannibalis[1] filius, cognomine Barcas, Carthaginiensis, primo Pœnico bello, sed temporibus extremis, admodum adolescentulus in Sicilia præesse cœpit exercitui. Quum ante ejus adventum et mari et terra male res gererentur Carthaginiensium[2]; ipse, ubi affuit, nun-

Cap. I. 1. *Hannibalis*. Eum putant, qui a Valerio Maximo, VII, 3, extr. 7, *superior Hannibal*, et ab Orosio, IV, 7, *senior* vocatur. — *Barcas*. Hinc Hannibal *Barcæ* filius a Plut. vocatur. Hinc passim in Livio *Barcina factio, familia Barcina* et *Barcini*. — *Præesse cœpit exercitui*. Carthaloni successit. Vide Polyb. I, 54-56, anno hujus primi belli Punici XVIII. Ipsum vero bellum tres et viginti annos duravit, quippe quod anno urbis conditæ 489 cœptum fuerit, et anno 512 finitum. De quo, præter Polybium, I, et Silium Italicum, VI, consuli potest Florus, II, 2, compluresque alii.

2. *Male res gererentur Carthaginiensium*. Hos enim Romani navali pugna ad Ægimurum insulam et aliquot terrestribus præliis superaverant, urbes multas ceperant, et magnam prædam fecerant. Vide auctores supra laudatos, quibus adde Diodor. XXIII; Eutrop. II.

quam hosti cessit, neque locum nocendi dedit; sæpeque contrario, occasione data, lacessivit, semperque superior discessit : quo facto, quum pene omnia in Sicilia Pœni amisissent, ille Erycem sic defendit[3], ut bellum eo loco gestum non videretur. Interim Carthaginienses, classe apud insulas Ægates a C. Lutatio consule Romanorum superati[4], statuerunt belli finem facere, eamque rem arbitrio permiserunt Hamilcaris. Ille etsi flagrabat bellandi cupiditate, tamen paci serviendum putavit[5]; quod patriam, exhaustam sumptibus, diutius calamitatem belli ferre non posse intelligebat : sed ita, ut statim mente agitaret, si paulum modo res essent refectæ, bellum renovare, Romanosque armis persequi, donicum aut certe vicissent, aut victi manus dedissent. Hoc consilio pacem conciliavit : in qua[6] tanta fuit ferocia, ut, quum Catulus negaret, « se bellum compositurum, nisi ille cum suis, qui Erycem

— *Neque locum nocendi dedit.* Id est, nunquam occasionem aperuit, qua ei hostes nocere possent. — *Semperque superior discessit.* Ejus itaque hoc bello singularem industriam et fortitudinem cum eximia prudentia conjunctam prædicat Diodorus, XXIV, in excerptis Peirescianis.

3. *Erycem sic defendit.* Non de monte Eryce, seu vertice montis, ait Bosius, cui templum Veneris Erycinæ inædificatum erat, loquitur noster, quem, et radicem montis tenebant Romani; sed de urbe, inter fastigium et radices montis sita, quam Hamilcar occupaverat, atque adversus Romanos undique prementes tuebatur. Vide Polyb. I, 58; II, 7; Diodorum, XXIV, 2.

4. *Superati.* Memorant hanc victoriam Polybius; Orosius, IV, 11; Livius, Epitom. XIX; Flor. II, 2; auctor de Viris illust., Valerius Max., Ampelius, Zonaras, etc.

5. *Paci serviendum putavit.* I. e. paci faciendæ operam dandam putavit. Quibus autem conditionibus facta fuerit, vide apud Polybium. — *Donicum*, donec; antique, ut in Lucretio, II, 1114, et Plaut. Aulul. I, 1, 16 : « Si respexis, donicum ego te jussero. » — *Aut victi manum dedissent.* Locutio a gladiatoribus victis ducta. Cicero in Consolatione, apud Lactantium, III, 28 : « Victum se a fortuna turpiter confitetur. Cedo, inquit, en manum tollo. » Ita Gallice, *donner les mains.*

6. *In qua.* Scil. conciliandæ. — *Ferocia.* Animosa scil. elatione. — *Catulus.* Q. Lutat. Catulus, consul romanus, qui victoriam reportaverat.

tenuerant, armis relictis, Sicilia decederent; succumbente patria, ipse, periturum se potius, dixerit, quam cum tanto flagitio domum rediret : non enim suæ esse virtutis, arma, a patria accepta adversus hostes, adversariis tradere. Hujus pertinaciæ cessit Catulus.

II. At ille, ut Carthaginem venit, multo aliter, ac sperabat, rempublicam se habentem cognovit : namque diuturnitate externi mali tantum exarsit intestinum bellum [1], ut nunquam pari periculo fuerit Carthago, nisi quum deleta est. Primo mercenarii milites, qui adversus Romanos fuerant, desciverunt [2]: quorum numerus erat viginti millium. Hi totam abalienarunt Africam [3], ipsam Carthaginem oppugnarunt. Quibus malis adeo sunt Pœni perterriti, ut etiam auxilia a Romanis petiverint, eaque impetrarint. Sed extremo [4], quum prope jam ad desperationem pervenissent, Hamilcarem imperatorem fecerunt. Is non solum hostes a muris Carthaginis removit, quum amplius centum millia facta essent armatorum; sed etiam eo compulit, ut locorum angustiis clausi, plures fame, quam ferro, interirent [5]; omnia oppida abalienata, in his Uticam

—*Tanto flagitio.* Cum tanta infamia, turpitudine.

Cap II. 1. *Tantum exarsit intestinum bellum.* Hujusce belli causam atque auctores narrat Polybius.

2. *Mercenarii milites, qui adversus Romanos fuerant, desciverunt.* De seditione hac, et inde orto aliquot annorum bello, quod Liv. XXII, 1, *Africanum*, Græci *Libycum* vocant, ejusque causis, prolixe Polyb. I, 66, et deinceps. Brevius id narrant Diodor. XXV, ecloga I, et in excerptis Peirescianis; Appianus, Libycis p. 3, Ibericis p. 257, Hannibalicis p. 313, et in fragm. Σικελικῶν, quod habetur ecloga legationum VIII. Bos.

3. *Totam abalienarunt Africam.* Id est, ad defectionem impulerunt.

4. *Sed extremo.* Etenim per aliquot annos graviter ab istis mercenariis sunt afflicti et in angustias coacti. Vide Polyb. Ipse vero mercenariorum iste exercitus ex variis populis, Gallis scilicet, Hispanis, Liguribus, Nomadibus, Afris, multisque aliis conflatus fuit.

5. *Plures fame, quam ferro, interirent.* Adeo, ut occisos in prælio, captos, et servos, ac denique se invicem devorarent. Testes Polybius, I, 84, 85; Porphyrius, De abstinentia, II, 57. Addit tamen Polybius, postea plures XL millibus

atque Hipponem, valentissima totius Africæ, restituit patriæ : neque eo fuit contentus, sed etiam fines imperii propagavit, tota Africa tantum otium reddidit, ut nullum in ea bellum videretur multis annis fuisse.

III. Rebus his ex sententia peractis, fidenti animo atque infesto Romanis, quo facilius causam bellandi reperiret, effecit, ut imperator cum exercitu in Hispaniam mitteretur[1], eoque secum duxit filium Hannibalem, annorum novem. Erat præterea cum eo adolescens illustris, formosus, Hasdrubal; quem nonnulli[2] diligi turpius, quam par erat, ab Hamilcare, loquebantur : non enim maledici tanto viro deesse poterant. Quo factum est, ut a præfecto morum[3] Hasdrubal cum eo vetaretur esse. Huic ille filiam suam in matrimonium dedit, quod moribus eorum non poterat interdici socero gener[4]. De hoc ideo mentionem fecimus, quod, Hamilcare occiso, ille exercitui præfuit[5], resque magnas gessit; et princeps largitione ve-

trucidatos ab exercitu Hamilcaris et elephantis. Bosius.

Cap. III. 1. *Effecit, ut imperator cum exercitu in Hispaniam mitteretur.* Ita quidem et Polybius, II, 1; et Justinus, XLIV, 5; sed Zonaras ait, contra magistratuum voluntatem in Hispaniam Hamilcarem abiisse. Diodorus et Appianus neque negant missum, neque affirmant, sed solummodo ad columnas Herculis, Gadesque transiisse, bellumque adversus Hispanos gessisse tradunt. — *Secum duxit filium Hannibalem.* Vide in Hannib. II et III.

2. *Hasdrubal; quem nonnulli*, etc. Livius, XXI, 2 : « Hasdrubal, flore ætatis, uti ferunt, primo Hamilcari conciliatus. » Idem, XXI, 3 : « Florem ætatis Hasdrubal, quem ipse patri Hannibalis fruendum præbuit. »

3. *A præfecto morum.* Alii de publico magistratu intelligunt, quales Romanis fuerunt censores, qui inde magistri morum vocantur a Cicerone, ad Divers. III, 13, f. Alii referunt ad comitem rectoremque morum Hannibalis; quod, quum ad Hispaniæ expeditionem res pertineat, non alienum a veterum disciplina videtur. Sic magistri et tutores dicuntur a Livio, XXIV, 25.

4. *Non poterat interdici socero gener.* Id est, contubernium et convictus generi socero licebat. Sed apud Romanos, non lavantur cum soceris generi. Cic. Offic. I.

5. *Ille exercitui præfuit.* Ille, Hasdrubal scilicet; quia tunc Hannibal imperio immaturus erat. — *Resque magnas gessit.* De quibus prolixius exponit Polybius, ll. cc. Strictius

tustos pervertit mores Carthaginiensium; ejusdemque post mortem Hannibal ab exercitu accepit imperium.

IV. At Hamilcar, posteaquam mare[1] transiit, in Hispaniamque venit, magnas res secunda gessit fortuna: maximas bellicosissimasque gentes subegit: equis, armis, viris, pecunia, totam locupletavit Africam. Hic quum in Italiam bellum inferre meditaretur, nono anno post, quam in Hispaniam venerat, in prælio, pugnans adversus Vettones, occisus est[2]. Hujus perpetuum odium erga Romanos maxime concitasse videtur secundum bellum Pœnicum. Namque Hannibal, filius ejus, assiduis patris obtestationibus eo est perductus[3], ut interire, quam Romanos non experiri, mallet *.

in excerptis Diodorus, XXV, 2. Exercitui præfuit per octo annos, Polyb. II, 36, vel novem, Diod. c. l. et tandem interfectus est. Tzs. Adde Livium. XXI, 2; Justinum, XLIV, 5; Silium, I, 71, seqq.; Valer. Max. III, 3, ext. 7; Appian. Ibericis et Hannib.; ac Zonaram. — *Ab exercitu accepit imperium.* Vide in Hannibale, III: « Hoc (Hasdrubale) interfecto, exercitus summam imperii ad eum detulit. »

Cap. IV. 1. *Mare.* Fretum Gaditanum, Polyb. VI, 1. Tzs. — *Magnas res secunda gessit fortuna.* De quibus consule Polybium, Diodorum, Appianum, et Zonaram.

2. *Occisus est.* Reliquitque quatuor filios, quos se veluti quatuor catulos leoninos in Romanorum perniciem alere dictitabat. Sic Val. Max. IX, 3, ext. 2.

3. *Assiduis patris obtestationibus eo est perductus*, etc. « E quibus (scilicet quatuor filiis Hamilcaris) Hannibal mature adeo patris vestigia subsecutus est, ut, eo exercitum in Hispaniam trajecturo, et ob id sacrificante, novem annorum natu, altaria tenens juraret, se, quum primum per ætatem potuisset, acerrimum hostem populi Rom. futurum; ut pertinacissimis precibus instantis belli commilitium exprimeret. Idem significare cupiens, quanto inter se odio Carthago et Roma dissiderent, inflicto in terram pede, suscitatoque pulvere, tunc inter eas fore finem belli dixit, quum alterutra urbs in habitum pulveris esset redacta. » Valer. Max. IX, 3, ext. 3. — *Experiri.* I. e. Romanorum virtutis et potentiæ periculum facere, græce, πειρᾶν.

* De Hamilcare hoc (nam plures eo nomine Pœnorum duces fuere, congesti ab Henningio, in Theatro genealogic., tomo II, p. 221 etseqq., sed aliquando, etiam a veterum nonnullis, ut videtur, non satis distincti) videndi præterea Polybius, I et II; Livius, XXI, 1; Diodorus Siculus in eclogis l. XXIV et XXV, et in excerptis Peiresc.

l. XXV et XXVI; Val. Max. VI, 6, 2, et IX, 3, ext. 2; Silius Italicus, l. I; Justinus, XLIV, 5; Appianus, principio Ibericorum et Hannibalicorum, et eclog. legat. XVIII; Porphyrius, De abstinentia, II, 57; Eutropius, II; Orosius, IV, 9, et 13; L. Ampelius, cap. XXXVI; Zonaras, tomo II; ac fortassis et Frontinus, III, 10, 9, et III, 16, 2; non item, I, 1, 2, ut Savaro voluit : nam ibi *Himilco* legendum esse viri docti recte censent. Nec certe apud Florum, quem idem laudat, ulla nostri mentio, sicuti nec apud Valer. Max. IV, 3, apud quem et qui, I, 7, ext. 8, memoratur Hamilcar, non hic, sed Gisconis filius est. Ejus caput, ut volunt, exhibetur in nummo argenteo tetradrachmo inter Imagines illustrium Fulv. Ursini, num. IX, ad quam vide commentar. Jo. Fabri. p. 9, 10. Integra vero effigies in duabus gemmis ejusdem, de quibus dicemus ad XXIII, 2. Neminem ex felicissimis etiam regibus ei comparandum esse censebat Cato, apud Plutarchum in vita, p. 340. Martem alterum a suis vocatum apparet e Livio, XXI, 10. Alia illius elogia habes apud Diodorum in excerpt. Peiresc. XXIII, XXIV; Zonaram, c. l. p. 55, aliosque. Bos. De Hamilcare alio, patrem Carthaginiensem, matrem vero Syracusanam, et ob virtutem regnum Carthaginiensium nacto, mira narrat Herodotus, lib. VIII, cap. 166, 167. Stav. De nostro Hamilcare conf. *Rollin*, *Hist. Anc. histoire des Carthaginois, sec. partie, ch.* 1 *et* 2.



XXIII.

HANNIBAL.

ARGUMENTUM.

Cap. I; Hannibal, omnibus ducibus major, suorum invidia debilitatur. — II; Capitalis Romanorum hostis. — III; Imperator Hispaniam subigit. Saguntum expugnat. Per Alpes in Italiam transit. — IV; Sæpius feliciter pugnat in Italia. — V; Reliquæ res ab eo in Italia gestæ. — VI; Patriam defensum revocatus, a Scipione vincitur. — VII; Domo ad Antiochum profugit. — VIII; Cives suos ad bellum frustra tentat inducere. Rhodiorum victor. — IX; Cretensium avaritiam deludit. — X; Regem Ponti adversus Romanos armat. — XI; Dolo pugnat adversus Eumenem. — XII; Ne Romanis tradatur, veneno hausto mori mavult. — XIII; Ejus amor litterarum.

Hannibal, Hamilcaris filius, Carthaginiensis. Si verum est, quod nemo dubitat[1], ut populus Romanus omnes gentes virtute superarit; non est inficiandum, Hannibalem tanto præstitisse ceteros imperatores prudentia, quanto

Cap. I. 1. *Quod nemo dubitat.* Alias usitate, de quo. Supple tamen sic : *quod verum esse nemo dubitat*, ex more, quo noster infinitivum huic verbo adjicit, uti ad præfationem est dictum; nisi ad accusativum græcum malis confugere. Tzs. — *Ut populus Romanus... superarit.* Pro *populum Romanum superasse.* Cujus modi exempla vel apud Ciceronem occurrunt in verbo *verisimilis*, Pro Rosc. Am. XLI; in Verr. IV, 6; pro Sext. XXXVI. — *Virtute.* Bellica scilicet, ut passim, fortitudine. — *Hannibalem tanto præstitisse... prudentia.* Hic pro

populus Romanus antecedat fortitudine cunctas nationes. Nam quotiescunque cum eo congressus est in Italia, semper[2] discessit superior. Quod nisi domi[3] civium suorum invidia debilitatus esset, Romanos videretur superare potuisse; sed multorum obtrectatio devicit unius virtutem. Hic autem velut hereditate relictum odium paternum erga Romanos sic conservavit, ut prius animam, quam id, deposuerit: qui quidem, quum patria pulsus esset, et alienarum opum indigeret, nunquam destiterit animo bellare[4] cum Romanis.

II. Nam ut omittam Philippum[1], quem absens hostem reddidit Romanis; omnium his temporibus potentissimus

artibus imperatoriis in universum ponitur. Ipse Hannibal « maximum imperatorem Alexandrum magnum, Pyrrhum secundum, tertium se ipsum esse dixit » apud Livium, XXXV, 14, et Appian. Syriacis. Adde Lucianum in Dialogis mortuorum, ubi de præstantia bellica Alexander, Hannibal et Scipio inter se contendunt.

2. *Semper.* Non simpliciter et vere, sed *fere semper;* victus enim est ad Nolam a Marcello. teste T. Livio, XXIII, 16, f. Tum *semper*, vicem tenet particulæ *toties;* et sic præcedenti *quoties* sensu, non usu, respondet. Tzschucke.

3. *Domi.* Latius de patria dicitur, et sic Justin. XXXVIII, 4, *domesticæ* æmulationi atque invidiæ tribuit. Livius, XXX, 20, sic: « Vicit Hannibalem non populus Romanus toties cæsus, fugatusque; sed senatus Carthaginiensis, obtrectatione atque invidia. » Obtrectavit autem maxime Hanno, princeps factionis Barcinis infestæ. Tzs.

4. *Nunquam destiterit animo bellare.* Id est, proposito, spe, desiderio, opinione bellare. Ita fere, apud Sallust. Jug. c. XX: « Totum ejus regnum animo jam invaserat. » *Provinces, qu'ils avaient déja ravagées dans le desir et dans la pensée, vous avez encore recueilli vos moissons. Places.... vous n'avez tremblé que sous des projets frivoles d'un vainqueur en idée. Fléchier, oraison fun. de Turenne, deuxième partie.*

Cap. II. 1. *Philippum*, Demetrii, Macedonum regis, filium, patremque Persei, quem devictum acie et captum Paulus Æmilius in triumphum Romam duxit. De hoc Philippo vide Velleium Paterculum I, 9; et Justinum, l. XXIX, c. 3. — *Quem absens hostem reddidit Romanis.* Observat Magius aliter hæc narrare Justinum, XXIX, 4, quod verum est. Ait enim Philippum legatum ad Hannibalem, jungendæ societatis gratia, misisse. Idque et Livius tradit, XXIII, 33. Neque tamen idcirco non adstipulatur nostro. Nam potuit nihilominus Philippus ab Hannibale instigari, ante quam ad

rex Antiochus fuit. Hunc tanta cupiditate incendit bellandi, ut usque a rubro mari arma conatus sit inferre Italiæ. Ad quem quum legati venissent Romani[2], qui de ejus voluntate explorarent, darentque operam consiliis clandestinis, ut Hannibalem in suspicionem regi adducerent, tanquam ab ipsis corruptum, alia, atque antea, sentire; neque id frustra fecissent, idque Hannibal comperisset, seque ab interioribus consiliis segregari vidisset; tempore dato adiit ad regem, eique quum multa de fide sua et odio in Romanos commemorasset, hoc adjunxit: « Pater, inquit, meus, Hamilcar[3], puerulo me, utpote

eum mitteret. Nec magis adversatur Florus, II, 7; cum nostro autem plane facit, quod apud Livium, XXXIII, 49, legati Romani in senatu Carthaginiensi exponunt, compertum patribus Rom. esse, Philippum regem ante ab Hannibale accensum maxime, bellum populo Rom. fecisse. Formulam fœderis cum Philippo sanciti habes apud Polybium, VII, 2. Bosius. — *Antiochus.* Cognomine magnus, rex Syriæ, de quo Justinus, XXXII et XL, et multi.

2. *Ad quem quum legati venissent Romani.* De hac legatione ejusque causa ac gestis, videndi Polybius, III, 11; Livius, XXXV, 13, et deinceps; Appianus, Syriacis, pag. 91, 92; Justinus, XXXI, c. 4; Frontinus, I, 8, 7; Zonaras, p. 102; qui tamen non parum inter se discrepant. Bosius. — *Consiliis clandestinis, ut Hannibalem.* Secretis congressibus et colloquiis cum Hannibale, ut Antiochus suspectam haberet ejus fidem. Tzs. Alii consiliis clandestinis, pro occultis machinationibus volunt. — *Alia, atque antea, sentire.* « Reconciliatam ejus cum Romanis gratiam » dixit Justinus explicatius. Bosius.

3. *Pater..... meus Hamilcar.* Narrant hanc rem etiam Polyb. III, 11; Livius, XXI, 1, et XXXV, 19; Valer. Maxim. IX, 3, ext. 3; tanguntque et scriptor de Viris illust. c. 42; Appianus, Iber. et Hannibal.; Martialis, IX, 44; Florus, II, 6; Orosius, IV, 14; et ex his alii: prolixe vero, more poetarum, describit Silius, lib. I; ad quem videndus Dausquius. Corneolam Ursini, repertam in agro Perusino prope lacum Trasimenum, ubi Hannibal tetendisse legitur, in qua a dextris Hamilcar sacra faciens sculptus erat, ipso Hannibale puero ad aram stante, a sinistris Hasdrubal galeatus, patruus ejus, memorat Jo. Faber, commentario in Imagines illustrium Ursinianas, p. 41, conjicitque Afro alicui, studioso Hannibalis, pro petra annulari fuisse. Addit et de alia gemma, utriusque capita, sed Hannibalis ut pueri, ut existimat, exhibente, conjicitque annularem ipsius Hannibalis fuisse.

non amplius novem annos nato, in Hispaniam imperator proficiscens Carthagine, Jovi optimo maximo hostias immolavit. Quæ divina res dum conficiebatur, quæsivit a me, vellemne secum in castra proficisci? Id quum libenter accepissem, atque ab eo petere cœpissem, ne dubitaret ducere; tum ille, Faciam, inquit, si fidem mihi, quam postulo, dederis. Simul me ad aram adduxit, apud quam sacrificare instituerat, eamque, ceteris remotis, tenentem[4] jurare jussit, nunquam me in amicitia cum Romanis fore. Id ego jusjurandum, patri datum, usque ad hanc ætatem ita conservavi, ut nemini dubium esse debeat, quin reliquo tempore eadem mente sim futurus. Quare, si quid amice de Romanis cogitabis, non imprudenter feceris, si me celaris; quum quidem bellum parabis, te ipsum frustraberis, si non me in eo principem posueris. »

III. Hac igitur, qua diximus, ætate cum patre in Hispaniam profectus est: cujus post obitum, Hasdrubale imperatore suffecto, equitatui omni præfuit. Hoc quoque interfecto[1], exercitus summam imperii ad eum detulit. Id, Carthaginem delatum, publice comprobatum est[2]. Sic

De quibus judicent, quibus inspiciendi copia est. Extat enim fortassis etiam nunc inter thesauros Farnesianos. Bosius. — *Proficiscens.* Profecturus; nempe in eo erat, ut proficisceretur, uti in simili nexu passim solent deponentia poni, vel etiam præteritorum vices sustinere. Tzschuck.

4. *Tenentem.* Mos enim erat antiquitus, ut a sacrificantibus et jurantibus aræ tenerentur:

Talibus orantem dictis, arasque tenentem,
Audiit omnipotens.

Virg. Æn. IV, 219. « Ergo is, cui, si aram tenens juraret, crederet nemo, per epistolam, quod volet, injuratus probabit. » Cicero, pro Flacco, XXXVI.

Cap. III. 1. *Hoc quoque interfecto.* Idem supra in vita Hamilcaris, cap. III, dictum est. Medius postquam inter patrem et filios octo ferme annos imperium obtinuerat, barbarus quidam eum palam, ob iram interfecti ab eo domini, obtruncavit; comprehensusque a circumstantibus, haud alio, quam si evasisset, vultu, tormentis quoque quum laceraretur, eo fuit habitu oris, ut, superante lætitia dolores, ridentis etiam speciem præbuerit. Livius, lib. XXI, cap. 2. Ernestius.

2. *Publice comprobatum est.* Dis-

Hannibal, minor quinque et viginti annis natus, imperator factus, proximo triennio omnes gentes Hispaniæ bello subegit[3]: Saguntum, fœderatam civitatem, vi expugnavit: tres exercitus maximos comparavit. Ex his unum in Africam misit, alterum cum Hasdrubale fratre in Hispania reliquit, tertium in Italiam secum duxit. Saltum Pyrenæum transiit[4]. Quacumque iter fecit, cum omnibus incolis conflixit[5]: neminem, nisi victum, dimisit. Ad Alpes[6] posteaquam venit, quæ Italiam ab Gallia sejungunt, quas nemo unquam cum exercitu ante eum, præter Herculem Graium, transierat (quo facto is hodie saltus Graius appellatur); Alpicos, conantes prohibere transitum,

sentiente tamen Hannone, factionis Barcinis infestæ principe, sed frustra. Vide Livium, XXI, 4.

3. *Omnes gentes Hispaniæ bello subegit*. Nempe capta excisaque Sagunto, et quum ad bellum Romanis inferendum profectus fuisset. Vid. Liv. XXI, 23; et Polybium, III, 35. Unde idem Polybius, III, 38, ait Pœnos, quum Italiæ Hannibal bellum inferret, totam usque ad Pyrenæos montes Hispaniam tenuisse. Antea vero fere intra Iberum eorum imperium consistebat, teste eodem Polyb. III, 14; et Livio, XXI, 5. — *Saguntum, fœderatam civitatem, vi expugnavit. Fœderatam.* Quæ fœdus inierat cum Romanis. Hujusce urbis interitum luget Augustinus, de Civitate Dei, III, 20, cujus verba memoria sane digna sunt. — *Tres exercitus maximos comparavit.* Vide Polybium, III, 33; Livium, XXI, 21, sqq. Bos.

4. *Saltum Pyrenæum transiit.* Vid. Polyb. III, 35; Livium, XXI, 23; Appian. Hannibalicis.

5. *Cum omnibus incolis conflixit.* Quod multis verbis docent Polybius et Livius.

6. *Ad Alpes.* Quæ *Pœninæ* ab Hannibale denominatæ sunt, Plin. lib. III Hist. Nat. c. 17; et Paulus Warnefridus, l. II, de gestis Longobard., c. 18, ait: « Alpes Apenninæ dictæ sunt a Punicis, hoc est, Hannibale et ejus exercitu. » Ernst. — *Quas nemo unquam cum exercitu ante eum*, etc. Falsum hoc esse docet Polybius, III, 48; quippe Gallos monet, Rhodani accolas, semel iterumque cum magnis exercitibus Alpes transiisse. Dein facilem ad victorias euntibus hunc transitum esse, non semel recentiores Galli documentum dederunt. — *Præter Herculem Graium.* Hunc Herculis transitum, a plurimis scriptoribus laudatum, fabulis adnumerat Livius, III, 5. Unde tamen Silius Italicus, III, 496:

Primus inexpertas adiit Tirynthius arces.

Graium addidit noster, quia plures Hercules celebrantur, veluti Ægyptius, Tyrius, etc. — *Saltus Graius appellatur.* Vel Graiæ Alpes,

concidit, loca patefecit, itinera muniit, effecitque, ut ea elephantus ornatus ire posset, qua antea unus homo inermis vix poterat repere : hac copias traduxit, in Italiamque pervenit.

IV. Conflixerat apud Rhodanum cum P. Cornelio Scipione[1] Cos. eumque pepulerat. Cum hoc eodem de Clastidio apud Padum decernit[2]: saucium inde ac fugatum dimittit. Tertio idem Scipio cum collega Tiberio Longo[3] apud Trebiam adversus eum venit : cum his

ubi hodie, ut creditur, stat *mons Sancti Bernardi*, etsi alii aliter sentiunt. — *Alpicos*. Usitatius Alpinos vocant, uti et hic probabiliter conjecit Lambinus. Mutatio facilis. Polybio, III, 50, 51, sunt Allobroges; Livio, XXI, 33, montani. Tzs. — *Patefecit*. De modo Livius, XXI, 32, et Polyb. III, 50. Nempe aceto infuso saxis, et accenso ligno ardentibus, et hinc putrefactis. Hunc vero modum veteres inter fabulas adnumerandum censeo. Quippe 1°, vix totum universæ Hispaniæ acetum ad aliquot, calcaria quidem natura, saxa solvendum satis Hannibali fuisset; 2°, hic autem tantum pro calcaria terra stant immensi syenitæ, qui *acido acetoso*, imo *acetico* acerrimo, solvi negant. — *Elephantus ornatus*. Rebus scilicet ad usum belli aptis instructus.

Cap. IV. 1. *Conflixerat apud Rhodanum cum P. Cornelio Scipione*. Unus Nepos hoc narrat, et infra, cap. VI, repetit. Pugnatum est quidem ibi cum Gallis Romanorum sociis; Scipio autem ipse huic prælio cum suis non interfuit. Polyb. III, 43; Liv. XXI, 28.

2. *Cum hoc eodem de Clastidio apud Padum decernit*. Ecce iterum Hannibal cum Scipione decernit apud Padum, propter Clastidium vicum, quo magnam frumenti copiam congesserant Romani. Scipionem vero cum Hannibale de Clastidio non decertasse ex Polybio et Livio constat. Nihil enim amplius, quam illum vicum ab Hannibale proditione captum scribunt, idque, quum jam hic ad Padum, Ticinumque, Scipionem fugasset. Liv. XXI, 47 et 48; Polyb. III, 66, 68, 69. *De Clastidio* igitur glossema suspicatur Bosius. — *Saucium inde ac fugatum dimittit*. Revera in illo certamine ad Padum, non autem, ut vult Plinius, ad Trebiam vulneratus est Scipio. « Tunc, Scipione duce, fusus exercitus; saucius et ipse venisset in manus hostium imperator, nisi protectum patrem prætextatus admodum filius ab ipsa morte rapuisset. » Florus, II, 6. Adde Livium.

3. *Longo*. Tiberio Sempronio Longo consule; absente vero propter vulnera Scipione, vel dissentiente, solum Sempronium pugnasse tradunt Polybius, III, 70, et Livius, XXI, 53; alii Scipionem fugientibus Romanis supervenisse narrant. — *Apud Trebiam*. Lamb. *ad Treb.* legit.

manum conseruit : utrosque profligavit. Inde per Ligures Apenninum transiit[4], petens Etruriam. Hoc itinere adeo gravi morbo afficitur oculorum[5], ut postea nunquam dextero æque bene usus sit. Quà valetudine quum etiam nunc premeretur, lecticaque ferretur[6], C. Flaminium Cos. apud Trasimenum cum exercitu insidiis circumventum occidit. Neque multo post C. Centenium prætorem[7], cum delecta manu saltus occupantem. Hinc in Apuliam per-

4. *Inde per Ligures Apenninum transiit.* De Hannibalis, post prælium ad Trebiam commissum, itineribus inter nostrum, Polybinm et Livium non convenit.

5. *Gravi morbo afficitur oculorum.* Alpinis frigoribus Hannibalem, elephante invectum, oculum amisisse tradunt Polybius ac Liv. Hinc lepide Satyric. Aquin., Sat. X, 157 :

O qualis facies, et quali digna tabella,
Quum Getula ducem portaret bellua luscum!

Hannibalem vero alii non in transitu Apennini, sed dum per paludes in Etruriam veniret, hunc oculorum morbum contraxisse scribunt. — *Ut postea nunquam dextero æque bene usus sit.* Pro hac locutione dicit Cicero de Divinat. I, 24 : « Oculum, quo bene videret. » Suet. Aug. cap. 79 : « Sed in senecta sinistro minus vidit. » Staveren. Hannibalem ophtalmia vehementi, quæ indolem chronicam induit, laborasse suspicor : hunc enim morbum vel albus color in oculos repercussus, ut in locis nive obductis, vel putris paludum aer, conflare ut plurimum valent.

6. *Lecticaque ferretur.* Ut solent affecti duces iter facere et exercitui circumferri. Ita apud Livium, XXIV, 42 : « Scipio in aciem illatus lecticula conflixit, nec dubia victoria fuit. » Vide passim auctores. *Trois fois le jeune vainqueur (le duc d'Englien) s'efforça de rompre ces intrépides combattants ; trois fois il fut repoussé par le valeureux comte de Fontaines, qu'on voyait porté dans sa chaise, et, malgré ses infirmités, montrer qu'une ame guerrière est maîtresse du corps qu'elle anime. Bossuet, Orais. fun.* — *Apud Trasimenum.* Lacum scilicet. De hoc prælio Liv. XXII, 7, in. : « Nobilis pugna, atque inter paucas memorata populi Romani clades. » — *Occidit.* Non ipsa Hannibalis manu, sed dolo militari, quem ipsi struxerat Hannibal, occisus est Flaminius. Hunc a Gallis Polybius, ab Insubre equite, Ducario, occisum tradit Livius.

7. *Centenium prætorem.* Proprætorem ait Livius, XXII, 8. Prætores vero et consules, ut animadverterunt viri docti, proprætorum et proconsulum vice poni solent. Sic noster Q. Fabium Maximum, cap. V, dictatorem vocat, qui a Livio prodictator dicitur. — *Cum delecta manu.* Cum quatuor millibus equitum, testibus Polybio et Livio, qui de saltibus a Centenio occupatis nihil commemorant. Cum nostro consentit Appian. de B. Han-

venit. Ibi obviam ei venerunt duo consules, C. Terentius et L. Paulus Æmilius. Utriusque exercitus uno prælio fugavit[8]: Paulum consulem occidit, et aliquot præterea consulares: in his Cn. Servilium Geminum, qui superiore anno fuerat consul.

V. Hac pugna pugnata[1], Romam profectus, nullo resistente, in propinquis urbis montibus moratus est. Quum aliquot ibi dies castra habuisset, et reverteretur Capuam;

nibal. cap. 10. Sed octo millia habet. Notandum *manus* de tam multis militibus, imo, uti passim, de exercitu magno.

8. *Utriusque exercitus uno prælio fugavit.* Ad Cannas, Apuliæ vicum ignobilem, hinc maxime celebratum, perierunt plus 50,000 Romanorum. Prolixius id describunt Polybius et Livius. Mirum igitur, quod Nepos tantum attigit. Tzs. — *Paulum consulem occidit*, etc. *Rome fut un prodige de constance. Après les journées de Tésin, de Trébie et de Trasimène, après celle de Cannes plus funeste encore, abandonnée de presque tous les peuples d'Italie, elle ne demanda point la paix. C'est que le sénat ne se départait jamais des maximes anciennes: il agissait avec Annibal comme il avait agi autrefois avec Pyrrhus... Rome fut sauvée par la force de son institution. Il ne fut point permis aux femmes mêmes de verser des larmes..... Le sénat alla au-devant de Varron, et le remercia de ce qu'il n'avait pas désespéré da la république. Ce n'est pas ordinairement la perte réelle que l'on fait dans une bataille (c'est-à-dire celle de quelques milliers d'hommes), qui est funeste à un état, mais la perte imaginaire et le découragement, qui le privent des forces mêmes que la fortune lui avait laissées. Montesquieu, Grandeur et Décadence des Romains, chapitre IV.*

Cap. V. 1. *Hac pugna pugnata.* Ex græca ratione a Latinis etiam excepta, qua voces cognatæ et affines conjunguntur. Tzs. Ita Plaut. Pseud. I, 5, 110. Et: « Quæ negotia multo magis, quam prælium male pugnatum, regem terrebant. » Sallust. Jug. LIV. Anno autem urbis 535, ad Cannas pugnatum est. Vide Chronol. — *Romam profectus est.* At in Campaniam deflexit, cujus deliciæ ac voluptates feroces suorum militum animos molliverunt. Hinc *Capuam Hannibali Cannas fuisse* dictum. Adde Livium, Florum, Polyb., Appian., Eutrop., multosque præterea scriptores. Longe autem alia mens est maximo nostro viro: *Les soldats de cette armée, devenus riches après tant de victoires, n'auraient-ils pas trouvé par-tout Capoue?* — *Q. Fabius Maximus, dictator.* Qui Hannibalis impetum mora fregit, unde cunctator dictus est. De quo Ennius:

Unus homo nobis cunctando restituit rem.

et Virg. Æn. VI, 845:

Tu maximus ille es,
Unus qui nobis cunctando restituis rem.

Hinc Scutum imperii, primusque

Q. Fabius Maximus, dictator[2] Romanus, in agro Falerno se ei objecit. Hic clausus locorum angustiis, noctu sine ullo detrimento exercitus se expedivit. Fabio, callidissimo imperatori[3], verba dedit: namque, obducta nocte[4], sarmenta in cornibus juvencorum deligata incendit, ejusque generis multitudinem magnam dispalatam immisit; quo repentino objectu viso, tantum terrorem injecit exercitui Romanorum, ut egredi extra vallum nemo sit ausus. Hanc post rem gestam non ita multis diebus, M. Minucium Rufum, magistrum equitum, pari ac dictatorem[5] imperio, dolo productum in prælium, fugavit. Tib. Sempronium Gracchum, iterum consulem, in Lucanis absens[6] in insidias inductum sustulit. M. Claudium Marcellum, quinquies consulem, apud Venusiam pari modo interfecit[7]. Longum

ex Fabiorum gente *Maximus* appellatus est.

2. *Dictator*. Prodictator a Livio, XXII, 8, dicitur: Sic sup. *prætor* loco *proprætoris*. Sed male hic noster temporis, rerumque gestarum seriem turbat, quum ante pugnam Cannensem ex Liv. XXII, 16 et 17; Polyb. III, 93; Appian. de B. Hannibal. XIV, et ex Silio Italico, VII, hoc factum esse appareat. Dictator vero summus erat reipublicæ magistratus sine provocatione, qui in magno reipublicæ periculo, et tantum semestris, creabatur.

3. *Fabio, callidissimo imperatori*. Calliditatem ei Cicero etiam tribuit, lib. I de Officiis, quod videlicet facile celaret, taceret, dissimularet, insidiaretur, hostiumque consilia præriperet. Ernst. — *Verba dedit*. Proverbiali locutione, *latuit atque obrepsit*, quemadmodum interpretatur Gellius, XVII, 2, has voces Claudii Quadrigarii: « Cominius qua escenderat, descendit, atque Gallis verba dedit. »

4. *Obducta nocte*. Id est, nebulosa, obscura. — *Sarmenta*. Arida scilicet, ut addit Livius. — *Juvencorum*. Al. *jumentorum*. Boum, ut omnes tradunt.

5. *Pari ac dictatorem imperio*. Quod nunquam antea factum erat. Vide Polyb., Livium, et alios. — *Productum*. Id est, fraude in prælium adductum. Laborantem vero Minucium servavit Fabius.

6. *Absens*. Res per Magonem gesta, absente Hannibale, ad quem ille exanimem consulem extemplo misit. — *In insidias inductum*. Fraude Flavii Lucani hospitis deceptus, et in insidias præceps datus est, ubi tamen fortiter pugnans periit. Vide Livium, XXV, 16. Confer cum ceteris.

7. *Interfecit*. De quo confer Livium, Appian., Silium Italicum, ac Plutarchum, in vita ipsius Marcelli.

est enumerare prælia. Quare hoc unum satis erit dictum, ex quo intelligi possit, quantus ille fuerit[8]. Quamdiu[9] in Italia fuit, nemo ei in acie restitit, nemo adversus eum post Cannensem pugnam in campo castra posuit.

VI. Hic invictus[1] patriam defensum revocatus, bellum gessit adversus P. Scipionem, filium ejus, quem ipse primum apud Rhodanum, iterum apud Padum, tertio apud Trebiam fugaverat. Cum hoc, exhaustis jam patriæ facultatibus[2], cupivit in præsentiarum bellum componere, quo valentior postea congrederetur. In colloquium convenit; conditiones non convenerunt. Post id factum paucis diebus[3] apud Zamam cum eodem conflixit: pulsus, incredibile dictu, biduo et duabus noctibus Adrumetum pervenit, quod abest a Zama circiter millia passuum trecenta. In hac fuga Numidæ, qui simul cum eo ex acie excesserant, insidiati sunt ei: quos non solum effugit, sed etiam ipsos oppressit[4].

8. *Intelligi possit, quantus ille fuerit. La seconde guerre Punique est si fameuse, que tout le monde la sait. Quand on examine bien cette foule d'obstacles qui se présentèrent devant Annibal, et que cet homme extraordinaire surmonta tous, on a le plus beau spectacle que nous ait fourni l'antiquité. Montesq.* l. c.

9. *Quamdiu.* Sexdecim annos Livius et alii commemorant. Viginti annos habet Seneca, de ira, II, 5, qui autem Hispaniæ bella simul complectitur; XVII. tradit Diodorus, in excerpt. de Virt. et Vit., addito forte, ut fit, anni proximi initio. — *Nemo ei in acie restitit*, etc. Plane sic Diodorus, in excerptis Peirescianis. At vero, aperto etiam marte, restiterunt Marcellus, qui ter ad Nolam cum eo pugnavit, itemque Sempronius et Licinius in agro Crotoniensi. Qua de re vid. Liv.

Cap. VI. 1. *Invictus.* Vide quæ diximus supra, cap. I. — *P. Scipionem, filium.* Eum qui, victo Hannibale, subactaque Africa, prior Africanus dictus est. Ceterum hic ἀνιςοϱησία est, vel mendum latet.

2. *Exhaustis... facultatibus.* Id est, opibus diuturno bello consumptis. — *In præsentiarum.* Ἐν τῷ παρόντι, *in præsentia rerum*, quam vocabuli hujus originem esse conjicit Vossius, in Etymolog. suo.

3. *Paucis diebus.* Imo postero die, secundum Livium et Polybium, in primis de hoc prælio consulendos. — *Conflixit.* Quanta vero atrocitate pugnatum, inde liquet judicare, quod ab iisdem auctoribus mille amplius et quingenta Romanorum, Carthaginiensium vero viginti millia cæsa dicuntur.

4. *Non solum effugit, sed etiam ipsos oppressit.* Rem ipsam narrat Appian.

Adrumeti reliquos ex fuga collegit : novis delectibus, paucis diebus, multos contraxit.

VII. Quum in apparando[1] acerrime esset occupatus, Carthaginienses bellum cum Romanis composuerunt. Ille nihilo secius exercitui postea præfuit, resque in Africa gessit[2], itemque Mago frater ejus, usque ad P. Sulpicium et C. Aurelium consules. His enim magistratibus legati Carthaginienses Romam venerunt[3], qui senatui populoque Romano gratias agerent, quod cum his pacem fecissent, ob eamque rem corona aurea eos donarent, simulque peterent, ut obsides eorum Fregellis essent, captivique redderentur. His ex senatus-consulto responsum est, munus eorum gratum acceptumque esse ; obsides, quo loco rogarent, futuros ; captivos non remissuros, quod Hannibalem, cujus opera susceptum bellum foret, inimicissimum nomini Romano[4], etiam nunc cum imperio apud exercitum haberent, itemque fratrem ejus Magonem. Hoc responso Carthaginienses cognito, Hannibalem domum Magonemque revocarunt. Huc ut rediit[5], prætor factus est, postquam rex fuerat, anno secundo

CAP. VII. 1. *In apparando*. Scilicet bello. — *Composuerunt*. Ipso, propter exhaustas patriæ vires, suadente Hannibale. Vide Polyb. XV, 19 ; Liv. XXX, 35 ; Appian. c. LV,

2. *Resque in Africa gessit*. Ab Appiano Λιβυκῇ narratas. — *Itemque Mago*. Qui in Insubrium agro sauciatus, quum Carthaginiensium jussu patriam revocatus esset, ex vulnere circa Sardiniam, auctore Livio, XXX, 18, seqq., obierat. Alium igitur auctorem secutus est noster, quippe qui infra sibi constet, cap. VIII et IX.

3. *Legati Carthaginienses Romam venerunt*. Ad annum urbis conditæ 552. Teste Livio. — *Gratias agerent, quod cum his pacem fecissent*. Sed parum bona fide, teste eodem, XXX, 16, etc. « *Carthage reçut la paix, non pas d'un ennemi, mais d'un maître.* » *Montesq*. ibid. c. V.

4. *Nomini Romano*. Pro Romanis ; qua locutione in primis delectatur Liv. Ita nomen Romanum, Etruscum, Latinum, Volscum ; imo de singulis gentibus, Fabium nomen pro Fabiis sæpe usurpat.

5. *Huc ut rediit*. Carthaginem. Hannibal ipse in concione : « Novem annorum a vobis præfectus, post trigesimum sextum annum redii. » Liv. XXX, 37. — *Prætor factus est*.

et vicesimo. Ut enim Romæ consules, sic Carthagine quotannis annui bini reges[6] creabantur. In eo magistratu pari diligentia se Hannibal præbuit, ac fuerat in bello : namque effecit, ex novis vectigalibus non solum ut esset pecunia, quæ Romanis ex fœdere penderetur, sed etiam superesset, quæ in ærario reponeretur. Deinde, anno post præturam, Marco Claudio, Lucio Furio Coss., Romani legati Carthaginem venerunt[7]. Hos Hannibal sui exposcendi gratia missos ratus, priusquam his senatus daretur[8], navem conscendit clam, atque in Syriam ad Antiochum profugit. Hac re palam facta, Pœni naves duas, quæ eum comprehenderent, si possent consequi, miserunt : bona ejus publicarunt : domum a fundamentis disjecerunt[9]: ipsum exulem judicarunt.

VIII. At Hannibal anno tertio, postquam domo profugerat, L. Cornelio, Quinto Minucio Coss., cum quinque navibus Africam accessit[1], in finibus Cyrenæorum, si forte Carthaginienses ad bellum, Antiochi spe fiduciaque, inducere posset : cui jam persuaserat, ut cum exercitibus in Italiam proficisceretur. Huc Magonem fratrem

Ita Livius, XXXIII, 46. Justinus Hannibalem consulem tum fuisse ait, XXXI, 2.

6. *Reges*. Carthaginiensium suffetes noster reges appellat. Ceterum in interpretanda voce Punica *suffes*, parum ipsos sibi constitisse veteres apparet.

7. *Legati Carthaginem venerunt*. Vide Livium, Justinum et Appianum, Syriacis.

8. *Priusquam his senatus daretur*. Aditus ad senatum. Ita Sallustius: « Die constituto, senatus utrisque datur. » Jugurth. XIII.

9. *Domum a fundamentis disjecerunt*. Tanquam majestatis rei : ita etiam solebant Romani. Lacedæmonii quoque Leotychidis profugi, eidem crimini affinis, domum exciderunt. Herod. VI, 72.

Cap. VIII. 1. *Africam accessit*. Livius, XXXIV, 61, in.; et Appian. de rebus Syriacis, c. 8, in., tantum abest ut in hac narrationis parte assentiantur, ut ne litteras quidem hac de causa scribere eum ausum affirment; sed Aristonem quemdam cum mandatis Carthaginem misisse. Alios igitur fontes, hodie incognitos, adiisse et adhibuisse videtur, ni Magones miscuit. Tzs. — *Cui jam persuaserat, ut cum exercitibus*, etc. Idem testatur Just. XXXI, 4.

excivit[2]. Id ubi Pœni resciverunt, Magonem eadem, qua fratrem, absentem pœna affecerunt. Illi, desperatis rebus, quum solvissent naves[3], ac vela ventis dedissent; Hannibal ad Antiochum pervenit. De Magonis interitu duplex memoria prodita est[4]. Namque alii naufragio, alii a servis ipsius interfectum[5] eum, scriptum reliquerunt. Antiochus autem, si tam in agendo bello[6] parere voluisset consiliis ejus, quam in suscipiendo instituerat, propius Tiberi, quam Thermopylis, de summa imperii dimicasset. Quem etsi multa stulte conari[7] videbat, tamen nulla de-

2. *Excivit.* Advocavit, arcessivit.

3. *Solvissent naves.* E portu scilicet. — *Ac vela ventis dedissent.* Poetica locutio : provecti in altum.

4. *Duplex memoria prodita est.* Rarior forma. Frequentius memoriam rei posteris tradere, prodere. Ita tamen etiam Cæsar, de B. G. I, 13, extr.; Gellius, 19, in. Tzs. Ceterum de Magonis morte vide, quæ supra, VII, notavimus.

5. *Interfectum.* Per zeugma. Naufragio enim interfici insolens locutio. Nempe, in unius verbi cum duobus etiam diversis substantivis nexu, propius spectatur. Sic in Thrasybulo, c. IV : « Quod amor civium, non vis expresserat. » Tzs.

6. *Agendo bello.* Agere bellum, pro gerere, dixere etiam Cæsar, Livius, Curtius, sicut alii pacem agere, et Græci ἄγειν πόλεμον, εἰρήνην, φιλίαν. Imo agere pro regere, administrare, poni passim ostenditur. Hic vero *agendo* continuationem, ut infra *suscipiendo* initium belli spectat. — *Parere voluisset consiliis ejus.* Sententia enim Hannibalis una atque eadem semper erat, ut in Italia bellum gereretur. Vide Livium, XXXIV; Justin. XXXI, 3. Cur autem Hannibalis consilio non paruerit Antiochus, ita docet Just. XXXI, 6 : « Huic sententiæ obtrectatores amici regis erant, non utilitatem rei cogitantes; sed verentes ne, probato consilio ejus, primum apud regem locum gratiæ occuparet. Et Antiocho non tam consilium quam auctor displicebat, ne gloria victoriæ, Hannibalis, non sua esset. » — *Propius Tiberi.* Nempe, teste eodem Justino, negabat Hannibal, « Opprimi Romanos nisi in Italia posse. »

Annibal l'a prédit, croyons-en ce grand homme:
Jamais on ne vaincra les Romains que dans Rome.

Racine, Mithridate, Act. III, *Sc.* 1. — *Quam Thermopylis.* Locus, ex Flori verbis, trecentorum Laconum speciosa cæde memorandus, II, 8.

7. *Stulte conari.* Notantur ab auctoribus maxime otia et luxus in ipso belli cursu, veluti aurea et serica tentoria, tibiarum fidiumque concentus, nuptiæ, collatæ quamvis per hiemem rosæ, convivia acta, aliæque voluptates, in quas etiam exercitus effusus ruit. Vid. Livium, XXXVI, 11; Florum, II, 8; Just. XXXI, 6. Tzs. Hac de re Aul. Gell. Noct. Att. Lib. V, c. 5 : « In libris veterum memoriarum scriptum est,

seruit in re. Præfuit paucis navibus, quas ex Syria [8] jussus erat in Asiam ducere, hisque adversus Rhodiorum classem in Pamphylio mari conflixit. Quo quum multitudine adversariorum sui superarentur; ipse, quo cornu rem gessit, fuit superior [9].

IX. Antiocho fugato [1], verens, ne dederetur, quod sine dubio accidisset, si sui fecisset potestatem, Cretam ad Gortynios venit, ut ibi, quo se conferret, consideraret. Vidit autem vir omnium callidissimus, magno se fore periculo, nisi quid providisset [2], propter avaritiam Creten-

Hannibalem Carthaginiensem apud regem Antiochum facetissime cavillatum esse. Ea cavillatio hujuscemodi fuit. Ostendebat ei Antiochus in campo copias ingentes, quas bellum populo Romano facturus comparaverat, convertebatque exercitum insignibus argenteis et aureis florentem; inducebat etiam currus cum falcibus, et elephantos cum turribus, equitatumque frenis, ephippiis, monilibus, phaleris præfulgentem. Atque ibi rex, contemplatione tanti ac tam ornati exercitus gloriabundus, Hannibalem aspicit, et, *Putasne*, inquit, *conferri posse, ac satis esse credis Romanis hæc omnia?* Tum Pœnus eludens ignaviam imbelliamque militum ejus pretiose armatorum: *Satis plane*, inquit, *satis esse credo Romanis hæc omnia, etiamsi avarissimi sint*. Nihil prorsum neque tam lepide, neque tam acerbe dici potest. Rex de numero exercitus sui, ac de æquiparatione æstimanda quæsierat: respondit Hannibal de præda. »

8. *Quas ex Syria*. Unde, teste Livio, XXXVII, 8; et Appiano, de reb. Syriacis, c. 22 f., post navalem ad Corcyrum pugnam missus erat, qui alias naves ex Phœnice et Thracia arcesseret. — *Adversus Rhodiorum classem*. Describit hanc pugnam Livius, XXXVII; 23, seqq. Meminit et Appianus, l. c.; itemque Justinus et Orosius, qui ambo, ex Bosii sententia, duo diversa prælia videntur confudisse.

9. *Fuit superior*. Initio quidem; nam et ipse postea, irruentium multitudine superatus, fugit. Livius, et Appianus, ll. cc. Tzschucke. Quare et hic alios Noster secutus est.

Cap. IX. 1. *Antiocho fugato*. Et ad pacem compulso, in cujus conditionibus hæ fuerunt, « ut Asia Romanis cederet; contentus Syriæ regno esset; naves universas, captivos et transfugas traderet; sumptumque omnem belli Romanis restitueret. » Justin. XXXI, 7 et 8. Adde Liv. XXXVII, 45 et 55; Appian. de reb. Syriacis, c. 38. — *Cretam ad Gortynios*. « Namque Hannibal, quum ab Antiocho Romani, inter ceteras conditiones pacis, deditionem ejus deposcerent, admonitus a rege, in fugam versus, Cretam defertur. » Just. XXXII, 4.

2. *Nisi quid providisset*. Nisi con-

sium : magnam enim secum pecuniam portabat, de qua sciebat exisse famam. Itaque capit tale consilium : amphoras complures complet plumbo[3]; summas operit auro et argento. Has, præsentibus principibus[4], deponit in templo Dianæ; simulans, se suas fortunas illorum fidei credere. His in errorem inductis, statuas æneas, quas secum portabat, omnes sua pecunia complet[5], easque in propatulo domi abjicit. Gortynii templum magna cura custodiunt, non tam a ceteris, quam ab Hannibale, ne quid ille, inscientibus his[6], tolleret, secumque asportaret.

X. Sic, conservatis suis rebus, Pœnus, illusis Cretensibus omnibus, ad Prusiam[1] in Pontum pervenit. Apud quem eodem animo[2] fuit erga Italiam, neque aliud quidquam egit, quam regem armavit et exercuit adversus Romanos. Quem quum videret domesticis rebus minus esse

silium quoddam reperisset, cavisset. — *Avaritiam Cretensium.* A Polybio, IV, 8 et VI, 44 et 45, graphice depictam. De Hannibalis ipsius avaritia vide Polyb. excerpt. de virtutibus et vitiis.

3. *Amphoras complures complet plumbo.* Valkenarius ad Herodotum, lib. III, cap. 123, credit, Hannibalem græce scientem, et a litteris nequaquam aversum, hoc ex Herodoto cepisse consilium, apud quem Orœtes, ad fallendum Polycratem, octo arcas lapidibus implevit præter admodum parvam partem circa ipsas oras, iisque auri nonnihil superinjecit. Ubi plura. In fictilibus amphoris, vel fideliis, aurum conflatum servare haud inusitatum fuit Persis. De Dario, Persarum rege, hoc adnotat Herodotus, l. l. c. 96. Van Staveren. De hoc Hannibalis strategemate conferri potest Justinus, lib. XXXII, c. 4.

4. *Principibus.* Gortynæ scilic. — *Deponit in templo Dianæ.* Ita solebant veteres, propter sanctitatem loci et securitatem.

5. *Pecunia complet.* Quippe cavæ erant, et caput demi poterat. Just. c. l. : « Auro suo in statuis, quas secum portabat, infuso. » — *In propatulo.* In loco aperto, et ad conspectum exposito. Sall. Catilin. XIII : « Pudicitiam in propatulo habere. »

6. *Inscientibus his.* Quasi de aliis loquatur : rectius, *se inscientibus.*

Cap. X. 1. *Ad Prusiam.* Bithyniæ regem. De quo passim Polybius, Livius, Appianus, Justinus, alii, etiam Cicero, de Divinat. II, 24, et Suidas. Extat effigies ejus in nummis vett. (unde exhibent Ursini Imagines illustrium, et Patinus in Thesauro, c. II), itemque in nonnullis gemmis annularibus, teste Jo. Fabro, Num. 120. Bosius.

2. *Eodem animo.* Semper hostili.

robustum[3], conciliabat ceteros reges, adjungebatque bellicosas nationes. Dissidebat ab eo Pergamenus rex Eumenes[4], Romanis amicissimus, bellumque inter eos gerebatur et mari et terra : quo magis cupiebat eum Hannibal opprimi. Sed utrobique[5] Eumenes plus valebat propter Romanorum societatem : quem si removisset, faciliora sibi cetera fore arbitrabatur. Ad hunc interficiendum talem iniit rationem. Classe paucis diebus erant decreturi : superabatur navium multitudine : dolo erat[6] pugnandum, quum par non esset armis. Imperavit quam plurimas venenatas serpentes vivas colligi, easque in vasa fictilia conjici. Harum quum confecisset[7] magnam multitudinem, die ipso, quo facturus erat navale prælium, classiarios convocat, hisque præcipit, omnes ut in unam Eumenis regis concurrant navem, a ceteris tantum satis habeant se defendere ; id facile illos serpentium multitudine consecuturos. Rex autem in qua nave veheretur, ut scirent, se facturum : quem si aut cepissent, aut interfecissent, magno his pollicetur præmio fore.

XI. Tali cohortatione militum facta, classis ab utrisque in prælium deducitur. Quarum[1] acie constituta, priusquam signum pugnæ daretur, Hannibal, ut palam faceret suis, quo loco Eumenes esset, tabellarium in scapha cum

3. *Domesticis rebus minus esse robustum.* Viribus scilicet propriis et intestinis non satis valere adversus Romanos.

4. *Pergamenus Rex Eumenes.* Cujus filius Attalus populum Romanum regni sui heredem instituit. Vid. Florum, II, 20. — *Romanis amicissimus.* Hunc φιλορώμαιον in Catone majore, cap. VIII, Plutarchus vocat. « Asiæ rex Eumenes, amantissimus nostræ urbis. » Val. Max. II, 9. Adde Florum, l. c. — *Bellumque inter eos gerebatur.* Quod attingunt Justinus, XXXII, 4 ; et Livius, XXXIX, 46.

5. *Utrobique.* Et mari et terra.

6. *Dolo erat pugnandum*, etc. Hoc commentum Frontinus, IV, 7, 10; et Justinus, XXXII, 4, brevius narrant.

7. *Confecisset.* Comparasset. — *Tantum satis.* Tantum omitti poterat. Sed et ita Cicero, de Finib. I, 9, improbante licet Ernestio.

Cap. XI. 1. *Quarum.* Classium

caduceo mittit: qui ubi ad naves adversariorum pervenit, epistolam ostendens, se regem professus est quærere. Statim ad Eumenem deductus est, quod nemo dubitabat aliquid de pace esse scriptum. Tabellarius, ducis nave declarata suis, eodem, unde ierat, se recepit. At Eumenes, soluta epistola, nihil in ea reperit, nisi quod ad irridendum eum[2] pertineret. Cujus etsi causam mirabatur, neque reperiebatur[3], tamen prælium statim committere non dubitavit. Horum in concursu Bithyni, Hannibalis præcepto, universi navem Eumenis adoriuntur: quorum vim quum rex sustinere non posset, fuga salutem petiit; quam consecutus non esset, nisi intra sua præsidia se recepisset, quæ in proximo littore erant collocata. Reliquæ Pergamenæ naves quum adversarios premerent acrius, repente in eas vasa fictilia, de quibus supra mentionem fecimus, conjici cœpta sunt: quæ jacta initio risum pugnantibus excitarunt, nec, quare id fieret, poterat intelligi; postquam autem naves completas conspexerunt serpentibus, nova re perterriti, quum, quid potissimum vitarent, non viderent, puppes averterunt, seque ad sua castra[4] nautica retulerunt. Sic Hannibal consilio arma Pergamenorum superavit: neque tum solum, sed sæpe alias pedestribus copiis[5] pari prudentia pepulit adversarios.

scilicet. — *Cum caduceo.* Signo legationis in prora navis defixo. Caduceus bacillum est, quod hinc inde amplectuntur angues duo, insertis transductisque decussatim in summa bacilli parte capitibus, caudis in ima; cetero in hemicyclum circa mediam virgam utrimque circumfuso. Dictum a cadendo caduceum volunt, quod ejus ope cadant bella et dirimantur.

2. *Ad irridendum eum.* Pro *se*, ut passim noster solet usurpare.

3. *Neque reperiebatur.* Scilicet causa. Regiminis mutationem molestam præterea facit soni repetitio; quum utrumque vitari facile et rectius posset. Tzs. *Reperiebat.* dedit Lambin. invitis MSS. — *Committere.* De duce, vel qui ejus jussu pugnæ signum dant. Hinc activum. Tzs.

4. *Castra nautica.* Militarem navium stationem. Confer supra in Alcibiade, VIII.

5. *Pedestribus copiis.* Ut passim apud nostrum, pro terrestribus.

XII. Quæ dum in Asia geruntur, accidit casu, ut legati Prusiæ Romæ apud L. Quintium Flamininum consularem cœnarent, atque ibi, de Hannibale mentione facta, ex his unus diceret, eum in Prusiæ regno esse. Id postero die Flamininus senatui detulit[1]. Patres conscripti, qui Hannibale vivo[2] nunquam se sine insidiis futuros existimabant, legatos in Bithyniam miserunt, in his Flamininum, qui a rege peterent, ne inimicissimum suum secum haberet, sibique dederet. His Prusias negare ausus non est : illud recusavit[3], ne id a se fieri postularent, quod adversus jus hospitii esset : ipsi, si possent, comprehenderent ; locum, ubi esset, facile inventuros. Hannibal enim uno loco se tenebat in castello[4], quod ei ab rege datum erat muneri ; idque sic ædificarat, ut in omnibus partibus ædificii exitum sibi haberet, semper verens, ne usu eveniret, quod accidit. Huc quum legati Romanorum[5] venissent, ac multitudine domum ejus circumdedissent, puer ab janua prospiciens Hannibali dixit, plures præter consuetudinem armatos apparere. Qui imperavit ei, ut omnes fores ædi-

quippe quæ et equitatum amplectantur. Confer in Agesilao, II.

Cap. XII. 1. *Senatui detulit.* Sæpius, ad senatum referre.

2. *Qui Hannibale vivo.* Romani Hannibalem, annis licet et exilio fractum, pro igne habebant, cui abesset nihil, nisi qui eum excitaret. Plut. Flaminino, c. XXXVII. — *Qui a rege peterent.* Alia de causa eo missos Hannibalem ibi deprehendisse tradunt Plutarchus in Flaminino, cap. XX, et Appianum de rebus Syriacis, cap. XI. Alii cum nostro consentiunt. Tzschuck.

3. *Illud recusavit.* Paulo aliter Livius; Prusiam pro supplice et familiari, sed frustra deprecatum scribit Plutarchus. — *Facile inventuros.* Supple dicens, subjiciens.

4. *In castello.* Libyssam vocant Plutarchus in Flaminino, Cap. XX, aliique, et vel regionem, vel vicum, vel castellum Bithyniæ faciunt. Nomen a Libysso, Bithyniæ fluvio, ducit Appian. in Syriacis, Cap. XI. Tzs. — *Exitum.* Ita Livius et Plutarchus memorant.

5. *Legati Romanorum.* Inter quos princeps erat Q. Flamininus, qui factum id Romana virtute indignum parum senatui et bonis probavit. Plutarchus Flamin.; Appianus in Syr. — *Puer.* Servus, ut apud græcos παῖς. Gallice etiam tale verbum pro servo interdum usurpamus.

ficii circumiret, ac propere sibi renuntiaret, num eodem modo undique obsideretur. Puer quum celeriter, quid esset, renuntiasset, omnesque exitus occupatos ostendisset; sensit, id non fortuito factum, sed se peti[6], neque sibi diutius vitam esse retinendam. Quam ne alieno arbitrio dimitteret, memor pristinarum virtutum, venenum[7], quod semper secum habere consueverat, sumpsit.

XIII. Sic vir fortissimus, multis variisque perfunctus laboribus, anno acquievit septuagesimo[1]. Quibus consulibus interierit, non convenit[2]: namque Atticus, Marco Claudio Marcello, Q. Fabio Labeone Coss. mortuum in annali suo scriptum reliquit; at Polybius, L. Æmilio Paulo et Cn. Bæbio Tamphilo; Sulpicius autem, P. Cornelio Cethego, M. Bæbio Tamphilo. Atque hic tantus vir, tantisque bellis districtus, nonnihil temporis tribuit litteris: namque aliquot ejus libri sunt, Græco sermone confecti; in his ad Rhodios de Cn. Manlii Vulsonis in Asia rebus gestis. Hujus bella gesta multi memoriæ prodiderunt: sed ex his duo, qui cum eo in castris fuerunt, simulque vixerunt, quamdiu fortuna passa est, Silenus[3], et Sosilus La-

6. *Se peti*. Ita in Themistocle, II: «Athenienses peti dicerentur.»

7. *Venenum*. Annulo inclusum, ut quidam tradunt. Livius, XXXIX, 51: «Poculum exhausit.» Ceterum hujus in mortis genere discrepant auctores. Suprema vero Livius Hannibalis verba hæc fuisse refert: «Solvamus diuturna cura populum Romanum, quando mortem senis expectare longum censent,» et seq.

Cap. XIII. 1. *Acquievit septuagesimo*. Acquievit, significanter de morte, tanquam vitæ laboriosæ portu. Decessisse anno 70 non constat 63 inter et 65 arbitrantur viri docti. «Insignis hic annus trium toto orbe maximorum imperatorum mortibus fuit, Hannibalis et Philopœmenis et Scipionis Africani.» Justin. XXXII, 4, e Livio.

2. *Non convenit*. Ceterum inter annos urbis conditæ 570 et 572. Quippe hi consules, ut e Cassiodori chronicis patet, annuatim et continua serie consulatum gesserunt.

3. *Silenus*. Quem et hoc nomine commemorant Livius, XXVI, 49; et Cicero, de Divin. I, 24. Revocavit hoc nomen ex aliquot MM. SS. Bosius in Ed. II, quum antea Philinus legeretur. Tzs. — *Sosilus*. Hunc res ab Hannibale gestas sep-

cedæmonius. Atque hoc Sosilo Hannibal litterarum Græcarum usus est doctore. Sed nos tempus est hujus libri facere finem, et Romanorum explicare imperatores ; quo facilius, collatis utrorumque factis, qui viri præferendi sint, possit judicari *.

tem libris scripsisse, auctor etiam est Diodor. Sic. eclog. XXVI, 3; etsi hic Iliensem facit. Polybius vero, III, 20, eum et Chæream tonsorias et plebeias fabulas divulgasse affirmat. Tzs.

* De Hannibale passim Græci, Latinique historici; sed præcipue Polybius; Appianus in Hannibalicis et alibi; Livius a l. XXI ad XL usque, etc.; compendio Florus, II, 6, 7, 8; Just. XXIX, XXX, XXXI, XXXII; et scriptor de Viris illustr. Boecler. Adde Silium Italicum toto opere de bello Punico secundo; Eutropium, III, 8; Orosium, IV, 14, et deinceps; Zonaram, tomo II. Quædam illius et Valerius Max., et Frontinus in strategematis passim; Plutarchus, Fabio, T. Flaminino, M. Marcello et alibi; Diodor. l. XXVI, in exerptis Peirescianis; et in iisdem Dio Cassius, lib. I, narrant. Effigies ejus extat in nummo, qui penes me est, cum inscriptione: ANNIBAA ΠΟΙΝΟΣ. In adversa parte conspicitur Jupiter seminudus sedens, dextra fulmen, sinistra sceptrum tenens, et, ΔΟΞΑ ΔΙΟΣ. Sed vix dubito, recentiorem ac suppostitium esse; ac vidi eumdem typum in æreo Henrici Meieri, Ecclesiastæ Lipsiensis, amici, dum viveret, conjunctissimi; sed in altera parte erat caput Aristotelis cum his circum litteris: ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΤΟΥ ΝΙΚΟΜΑΧΟΥ : plane quale est in argenteo meo, cujus adversa facies exhibet naturam multimammiam, utraque manu fructus gerentem, cum inscriptione : ΦΥΣΙΣ ΠΑΝΑΙΟΛΟΣ. Habebat item Meierus et argenteum, in quo caput Hannibalis cum hac inscriptione: ILLE HANNIBAL, detrita priore illius parte. Ejusdem caput e nummo argenteo tetradrachmo exhibent Imagines Ursini, num. 63, una cum litteris Punicis, nomen ejus (ut aiebat, cujus is nummus fuit, Petrus Contarenus) exprimentibus. Duas quoque gemmas, in quibus Hannibalis pueri effigies extet, laudat Faber in commentario. Bos. Vide sup. II, n. 3. Adde *Rollin. Hist. des Carthag.* 2[e] *partie. ch.* I *et* II; *Montesq. Grandeur et décadence des Romains, ch.* IV *et* V; *Vertot Révolutions romaines,* VIII; *Annibal tragédie de Firmin Didot,* 1820, etc.



XXIV.

M. PORCIUS CATO.

[EX LIBRO POSTERIORE CORNELII NEPOTIS.]

ARGUMENTUM.

Cap. I; Catonis ortus, adolescentia et officia. — II; Consul Hispaniam citeriorem sortitus est. Censor gravissimus. — III; Ejus elogium, studia, scripta.

Cato[1], ortus municipio Tusculo, adolescentulus, priusquam honoribus operam daret, versatus est in Sabinis, quod ibi heredium a patre relictum habebat. Hortatu L.

Cap. I. 1. *Cato*. In patria dicebatur *Priscus:* Romam deinde transgressus, ob solertiam *Catonis* cognomen accepit, ab antiqua voce *Catus*, h. e. solers, sapiens, callidus, doctus. Plutarchus, in ejus vita, c. I. — *Ortus*. Anno postquam primum consul fuerat Quintus Fabius Maximus, qui Tarentum receperat: vide Ciceronem, de senectute. Id est, anno U. C. 521. — *Municipio Tusculo*. Valer. Max. III, 4: « M. Porcius Cato, qui nomen suum Tusculi ignobile, Romæ nobilissimum reddidit. » Gentis enim nomen a *porcis* pascendis derivant. Plut. in Val. Public. II; et Varro de R. R. II, 10. Sic Taurus, Equitius, Caprilius, Ovinius, etc. *Tusculum*, civitas olim Latii celeberrima, quæ municipalis fuit, id est, suo jure et legibus utens, ad munera tamen populi Romani atque honores admissa. — *Priusquam honoribus operam daret*. Ut alias, ad rempublicam accederet, honores capesseret. — *Versatus est in Sabinis*. Sabinorum autem tristis et tetrica disciplina; unde severitas Catoni adhæsit. Vide plura, in primis, apud Schneideri comm. de M. Porcii Catonis vita, studiis et scriptis. — *Heredium a patre relictum*. Parvulum prædium avitum. Heredium

Valerii Flacci, quem in consulatu censuraque habuit collegam, ut M. Perperna Censorius narrare solitus est, Romam demigravit, in foroque esse cœpit [2]. Primum stipendium meruit annorum decem septemque [3], Q. Fabio Maximo, M. Claudio Marcello Coss. Tribunus militum in Sicilia fuit. Inde ut rediit, castra secutus est C. Claudii [4] Neronis, magnique ejus opera existimata est in prælio apud Senam, quo cecidit Hasdrubal, frater Hannibalis. Quæstor [5] obtigit P. Cornelio Scipioni Africano, consuli; cum quo non pro sortis necessitudine vixit: namque ab eo perpetua

autem vox rarior ab *herede* orta, secundum Festum, quia heredem sequitur.

2. *In foroque esse cœpit.* Id est, causas agere cœpit. Ejus orationes Ciceronis ætate ferebantur amplius 150. Vide in Bruto, c. XVII. Tzs.

3. *Primum stipendium meruit annorum decem septemque.* Ea militaris ætas, qua et toga sumebatur. Romanorum autem nulli ad magistratus urbanos patebat aditus, nisi qui ante decem stipendia fecisset. Vide Lipsium de Milit. Rom. I, dial. 2. Porro *stipendiorum* numero annos militiæ signabant Romani. *Stipendium* autem proprie est pecunia militibus in diem dari solita, *stips*, quæ illis penditur. *Annorum decem septemque.* Catonem vero ex fastis annos tunc circiter undeviginti natum fuisse contendunt viri docti. — *Tribunus militum in Sicilia.* Anno ætatis XXIV, M. Claud. Marcello V, T. Quintio Crispino Coss. Ita Lambinus, quem et Schottus in chronologia sequitur. Bos. *Tribunus* vero legioni præerat. Numerus tamen tribunorum in legione varius fuit.

4. *Claudii Neronis.* Qui Hasdrubalem, exercitu recenti cinctum, cum quinquaginta sex millibus hominum occidit ad Metaurum, Umbriæ amnem. Vide Livium, XXVII.

5. *Quæstor obtigit*, etc. Catonem Scipioni quæstorem fuisse testatur Livius, XXIX, 25. Iterumque C. Corn. Cethego, et P. Tuditano Coss., teste Cicer. in Bruto, c. XV. Quæstor autem, cum consulibus ac prætoribus, sorte mittebatur ad administrandam rem pecuniariam, et prædam ac manubias in rationes publicas referendas, ut passim apud Livium videre est. Diu quæstura patricius magistratus; deinde autem, ut ceteri omnes, penes plebem. — *Cum quo non pro sortis.....* Quandoquidem, ut refert Cicero pro Plancio, XI, et in Verrem, I, 15, prætores aut consules liberorum loco habebant quæstores, ac « nullam neque graviorem neque justiorem causam necessitudinis posse reperiri, quam conjunctionem sortis, quam provinciæ, quam officii, quam publicam muneris societatem. » — *Namque ab eo perpetua dissensit vita.* Cujus rei testimonio hæc sunt Livii verba, XXXVIII, 54: « Morte Africani crevere inimicorum animi, quorum princeps fuit M. Porcius

dissensit vita. Ædilis plebis factus est cum C. Helvio[6]. Prætor[7] provinciam obtinuit Sardiniam, ex qua quæstor superiore tempore ex Africa decedens, Q. Ennium poetam

Cato, qui, vivo quoque eo, allatrare ejus magnitudinem solitus erat. » Contra Suidas. Idem vero testantur Plutarchus et A. Gell. IV, 18. Hujusce quidem inimicitiæ causam suspicatur Lambin. ex eo, quod ad amicitiam Q. Fabii Maximi se adolescens applicasset Cato. Q. Fabio autem cum Scipione Africano non bene convenisse notum.

6. *Ædilis plebis factus est cum C. Helvio.* Hos in ædilitate pariter ac prætura commemorat Liv. XXXII, 7. Ædiles vero ab ædibus dicti sunt, quod ædes sacras et privatas curarent. Ii quoque urbis, annonæ, ludorumque solemnium curam gerebant. Duo tantum ab initio fuerunt. Pomponius, l. II de Origin. juris. Postea vero, ex Julii Cæsaris instituto, sex creati sunt, duo patricii, qui Cereales dicti sunt, et quatuor ex plebe.

7. *Prætor.* Penes prætorem omnis publici privatique juris erat facultas, ut et novum jus condere, et vetus abrogare posset. Primo quidem unus creatus est, cui alter adjunctus propter concursum advenarum; hicque *prætor extraneus* seu *peregrinus*, alter prætor *urbanus* dictus est. Deinceps autem, postquam Sardiniam, Siciliam, Hispaniam, et Narbonensem provinciam subegerunt Romani, tot instituti sunt prætores, quot erant subactæ provinciæ. — *Ennium poetam deduxerat.* Hic Tarentinus fuit, teste Eusebio; Pomponius autem Mela, II, 4, eum fuisse Calabrum scribit. Hujus in sententiam discedunt Silius, XII, 396, et Cicer. pro Archia poeta, c. X. Anno post Romam conditam quadringentesimo decimo natus est Ennius, septuagintaque annos, teste Cicer. de Senect. cap. V, vixit; ac propter suam cum Africano superiori necessitudinem, in sepulcro Scipionum putabatur is esse constitutus e marmore. Cic. pro Arch. IX; T. Liv. XXXVIII, 56; Plin. VII, 30; Val. Max. VIII, 14, 1; Ov. de Art. III, 409. Hunc a Catone quæstore Romam translatum, in Aventino habitasse, et unius ancillæ ministerio fuisse contentum ait Eusebius. Marcum deinde Fulvium Nobiliorem, cujus filium erudivit, ad bellum Ætolium secutus est. Cic. Tuscul. I, 2. Ab hoc et Cato senex dicitur græcas litteras didicisse. Scripsit plurima, inter quæ annales, et bellum Punicum secundum hexametris, quæ sane non extant. Supersunt fragmenta ap. Cic., Quintil., Senec., A. Gell. Ex iis quoque nonnulla Macrobius, quæ Virgilius ab eo mutuatus, manifestat. Virgilius enim (Donat. in vita) dicere solebat, se aurum ex Ennii stercore colligere. Quippe

Ennius ingenio maximus, arte rudis.

Ovid. Trist. II, 424. Ejus autem sepulcri elogium scribit Cicero, Tusc. Quæst. I, 15:

Nemo me lacrymis decoret, neu funera fletu
Faxit: nam volito vivu' per ora virum.

— *Quod non minoris existimamus*, etc. Quippe Ennius in primis lit-

deduxerat : quod non minoris existimamus, quam quemlibet amplissimum Sardiniensem triumphum.

II. Consulatum gessit cum L. Valerio Flacco, sorte[1] provinciam nactus Hispaniam citeriorem, exque ea triumphum deportavit. Ibi quum diutius moraretur, P. Scipio Africanus consul iterum, cujus in priore consulatu quæstor fuerat, voluit eum de provincia depellere[2], et ipse ei succedere. Neque hoc per senatum efficere potuit[3], quum quidem Scipio in civitate principatum obtineret : quod tum non potentia, sed jure, respublica administrabatur. Qua ex re iratus senatui, consulatu peracto, privatus in urbe mansit[4]. At Cato, censor cum eodem Flacco factus, severe præfuit ei potestati[5]. Nam et in complures nobiles animadvertit[6], et multas res novas in edictum addidit,

terarum amorem, sensumque pulchri in Romanis incitavit. Tzs. — *Sardiniensem triumphum.* I. e. quam si omnino devicta esset Sardinia.

Cap. II. 1. *Sorte.* Sorte enim consulibus dividebantur provinciæ, nominibus in urnam conjectis. — *Exque ea triumphum deportavit.* Triumphasse Catonem testantur Appianus in Iber., et Plutarchus in vita ejus. Una enim cum P. Scipione Nasica crebris præliis Hispanos domuit, ita ut imperata facere coacti sint. Vide Liv. XXXIV.

2. *Voluit eum de provincia depellere*, etc. Propter simultatem de qua supra, I.

3. *Neque hoc per senatum efficere potuit.* Effecisse tamen Plutarchus tradit in Catone, cap. II. Nihil Livius de illa successione. Tzs. — *Quod tum non potentia, sed jure, respublica administrabatur.* Morem ætatis suæ arguit, quippe tunc oppressa jaceret antiqua libertas, cujus noster multo studiosissimum passim se profitetur.

4. *Privatus in urbe mansit.* Quod ex Liv. XXXVIII, c. 52 et 53, suppleri potest, postea Liternum concessit. Antea tamen, cum fratre L. Cornelio Scipione Asiatico, legatus contra Antiochum Syriæ regem in Asiam profectus est. Conf. Liv. XXXVII, 1. Tzs.

5. *Severe præfuit ei potestati.* Unde illi *Censorium* nomen inditum est. Hinc Lucanus de Catone, II, 389 : « Rigidi servator honesti. » Courtin.

6. *In complures nobiles animadvertit.* L. Quintium Flamininum consularem cum sex aliis, quod multi narrant, senatu movit. Conf. Liv. XXXIX, 42. *Animadvertit* autem, proprie : unde *animadversio censoria* apud Cicer. pro Cluentio, c. 46, extr. Tzs. — *Multas res novas in edictum addidit.* Priorum censorum edicto nova quædam

qua re luxuria reprimeretur, quæ jam tum incipiebat pullulare. Circiter annos octoginta[7] usque ad extremam ætatem ab adolescentia, reipublicæ causa suscipere inimicitias non destitit. A multis tentatus[8], non modo nullum detrimentum existimationis fecit, sed, quoad vixit, virtutum laude crevit.

III. In omnibus rebus[1] singulari fuit prudentia et industria. Nam et agricola solers[2], et reipublicæ peritus, et jurisconsultus, et magnus imperator, et probabilis orator, et cupidissimus litterarum fuit. Quarum studium etsi senior[3] arripuerat, tamen tantum in eis progressum fecit, ut non facile reperire possis, neque de Græcis, neque de Italicis

adjecit, quæ ad coercendam morum luxuriem valerent. Cf. Liv. XXXIX, 44. Alias *tralatitium edictum* dicitur. Tzs. — *Pullulare*. Crescere, elegans metaphora, a pullis, et novis arborum ramis desumpta.

7. *Circiter annos octoginta*. « Octogenarius erat, quum Galbam accusavit, accusator assiduus malorum. » Aurelius Victor, in Catone Censorio. — *Reipublicæ causa suscipere inimicitias non destitit*. Inimicorum Catonis non uno loco Cicero meminit. Adde Livium, XXXIX, 40. Bosius.

8. *A multis tentatus*. Id est, in judicium vocatus, quum omnes corriperet. « Ipse quadragies quater accusatus, gloriose absolutus. » Aurel. Vict. Imo quinquagies fere ei diem dictum fuisse narrat Plut. — *Quoad vixit, virtutum laude crevit*. Quod si tamen Horatio fides,

Narratur et prisci Catonis
Sæpe mero caluisse virtus.

Od. III, 21.

La vertu du vieux Caton,
Chez les Romains tant prônée,
Était souvent, nous dit-on,
De Falerne enluminée.

J. B. Rousseau, *Od. II*, 2.

Cap. III. 1. *In omnibus rebus....* Similia habes apud Liv. XXXIX, 40. Adde Ampelium, XIX : « Hic est omnium rerum peritissimus, et, ut Sallustio Crispo videtur, Romani generis disertissimus Cato. »

2. *Nam et agricola solers*. Livius, loco citato : *Urbanas*, inquit, *rusticasque res pariter callebat*, etc. Idem de *Rebus rusticis* librum edidit; in quo, teste Plutarcho, in ejus vita, adeo laudis avidus visus est, ut in singulis rebus proprius, elegans et copiosus esse voluerit. Pighius. Adde Plinium, lib. XVII. Extant adhuc ejus *Rei rusticæ* libri, quos e græcis fontibus deprompsit. — *Et probabilis orator*. Probabilis, id est, qui probatur, laudabilis. « Cato tres summas in homine res præstitisse existimatus est, optimus orator, optimus imperator, optimus senator. » Plin. lib. VII, c. 27.

3. *Senior*. Idem affirmat Cicero de Senectute, c. I, cum aliis. Tzs.

rebus, quod ei fuerit incognitum. Ab adolescentia confecit orationes[4]. Senex scribere historias instituit[5], quarum sunt libri septem. Primus continet res gestas regum populi Romani : secundus et tertius, unde quæque civitas orta sit Italica; ob quam rem omnes Origines videtur appellasse[6] : in quarto autem bellum Pœnicum primum : in quinto secundum : atque hæc omnia capitulatim sunt dicta ; reliquaque bella pari modo persecutus est, usque ad præturam Ser. Galbæ, qui diripuit Lusitanos. Atque horum bellorum duces non nominavit[7], sed sine nominibus res notavit. In iisdem exposuit, quæ in Italia Hispaniisque viderentur admiranda. In quibus multa industria et diligentia comparet, multa doctrina. Hujus de vita et moribus plura in eo libro[8] persecuti sumus, quem separatim de eo fecimus rogatu Titi Pomponii Attici. Quare studiosos Catonis ad illud volumen relegamus. *

4. *Ab adolescentia confecit orationes.* Conscripsit; quæ a Cicerone et Gellio citantur. Catonem orationum multitudine cum Lysia confert Cic. in Bruto, XVII. Imo Plutarchus, c. IV, eum Demosthenem Romanum vocatum fuisse affirmat. Cic. quoque in Bruto, c. LXXXV, et alibi, ejus orationes, ut illis temporibus, valde laudandas censet, ingeniique quamdam formam, sed admodum impolitam ac rudem tribuit. Quarum orationum, ut et reliquorum operum, fragmenta collegit Ausonius Popma, et notis illustravit.

5. *Senex scribere historias instituit.* Instituit, pro cœpit. Sallustius, quod prisca vocabula ex libris senioris Catonis desumpsisset, graviter ab Augusto, Pollione, Quintiliano, A. Gellio vituperatus est. Notum vetus illud epigramma :

Et verba antiqui multum furate Catonis,
Crispe, Jugurthinæ conditor historiæ.

6. *Omnes Origines videtur appellasse.* De his lege Ciceronem in Catone. Courtin. — *In quinto secundum.* Tertium, sive ultimum describere non potuit; nam, ut Plutarchus scribit, suscitavit quidem tertium bellum Punicum, sed in ejus initio excessit e vita. — *Capitulatim.* Summatim, per distincta capita. Occurrit rarior alias hæc vox apud Plinium, Hist. nat. II, 12. Tzs.

7. *Non nominavit.* Idem testatur Plinius, VIII, 5 : « Imperatorum nomina annalibus detraxit. »

8. *In eo libro.* Qui cum aliis multis desideratur. Sed fragmentum elegans vide, ex Gellio, II, 8, in fragmentis.

* De Catone Plutarchus, Cicero passim, Livius, Valerius, Fronti-

nus, Orosius, et reliqui Romanæ historiæ scriptores. SAVARO. Adde scriptorem de Viris illustribus, c. XLVII; Ampelium, cap. XIX; et e junioribus, Vossium de Histor. græc. I, 4. Characterem animi habes apud Livium, XXXIX, 40; effigiem e gemma annulari inter Imagines illustrium Ursini. Isque similem in corneola habuit, teste Jo. Fabro, num. 116, qui et Hermæ illi dicati meminit, sed capite truncati, cum inscriptione : M. PORCIUS M. F. CATO CENSORIUS ; conjicitque eam ipsam esse, quam Plutarchus scribit ei in templo Sanitatis dedicatam fuisse. Est et apud me nummus mediæ magnitudinis, pulcherrimus, sed recentioris, ut arbitror, ævi, in quo caput conspicitur Catonis barbatum, his circum litteris : M. PORCIUS. CATO. CENSOR., in aversa parte ROMA, spoliis insidens, et dextra bilancem, sinistra cornu copiæ tenens. BOSIUS. Consule in primis apud nos *Montesquieu*, *Grandeur et décadence des Romains*; *Vertot*, *Révol. rom.*; *Rollin*, *Hist. romaine*; *Laharpe*, *Cours de Littérat.*, etc.



XXV.

T. POMPONII ATTICI VITA.

ARGUMENTUM.

Cap. I; Atticus, clarus parente, ingenio et studio. — II; Athenas se confert. Athenienses pecunia sublevat. — III; Athenis ante alios carissimus. — IV; Sullæ acceptus, Romam remigrat. — V; Q. Cæcilii heres ex dodrante. Ejus cum Cicerone et Hortensio rara amicitiæ copula. — VI; Honoribus, litibus, præfecturis abstinens, soli dignitati servit. — VII; In civili bello neque Pompeium, neque Cæsarem offendit. — VIII; Occiso Cæsare, Brutum pecunia adjuvat. — IX; Ne Antonio quidem infestus est; sed ejus uxori et liberis opitulatur. — X; Antonius officiorum Attici memor. — XI; Proscriptis plurimis auxilio est. — XII; Vipsanio et Antonio tantum utitur in deprecandis amicorum periculis. — XIII; De vita Attici privata. Bonus paterfamilias et civis. — XIV; Ejus cœna semper lectione condita. Prudens pecuniæ usus. — XV; Mendacii osor et laboris amans. — XVI; Senibus adolescens et adolescentibus senex pariter jucundus. — XVII; Ejus pietas in matrem. — XVIII; Antiquitatis amor. — XIX; Morum elegantia pervenit in affinitatem Octavii. — XX; Cæsaris et Antonii cum Attico familiaritas. — XXI; Extremus ejus morbus. — XXII; Ejus mors et sepultura.

T. Pomponius[1] Atticus, ab origine ultima stirpis Romanæ generatus, perpetuo a majoribus acceptam eques-

Cap. I. 1. *Pomponius*. Quippe qui esset a gente Pomponia, quæ ortus a Pompone, Numæ regis filio (Plut. in Numa, c. XXI), vel a Pompone,

trem obtinuit dignitatem. Patre usus est diligente[3], indulgente, et, ut tum erant tempora, diti, in primisque studioso litterarum. Hic, prout ipse amabat litteras, omnibus doctrinis, quibus puerilis ætas impertiri debet, filium erudivit. Erat autem in puero, præter docilitatem ingenii, summa suavitas oris[4] ac vocis, ut non solum celeriter acciperet, quæ tradebantur, sed etiam excellenter pronuntiaret. Qua ex re in pueritia nobilis inter æquales ferebatur[5], clariusque explendescebat, quam generosi con-

Numæ patre (Aurel. Vict. de V. ill. c. III), originem ducebat. — *Ultima.* Si ad primos hujusce gentis auctores ascendas, antiquissima; si ad posteros descendas, prima. Ita apud Virgilium, Æneid. VII, 49 : « Tu sanguinis *ultimus* auctor. » Sæpius autem *ultimæ stirpis homo* de vilissimo dicitur. — *Generatus.* Insolenter cum origine conjungitur; uncis igitur quidam incluserunt : quippe quod verbum salvo sensu abesse possit. — *Perpetuo.* Quamdiu vixit. — *Equestrem obtinuit dignitatem.* Hoc honore contentus, senatorium non affectavit. Equestris autem dignitatis insignia erant equus publice datus, et annulus aureus. Hic ordo patricios inter et plebeios medius erat.

3. *Diligente.* Rei familiaris et domesticæ assiduam curam indicat. — *Indulgente.* Verbum situ remotum videtur et alienum. Non male igitur codex Medicæus omittit. Tzs. — *Et, ut tum erant tempora.* Pro conditione temporum illorum. Formula elegans et antiquis usitata. Ita gallice, *riche pour le temps.* Hæc Nepos addidit, quia nondum Asiaticæ opes urbem invaserant.

4. *Oris.* De vultu quidam explicant, cujus hic ratio vix haberi potest, uti subjecta explicatio docet, in qua singulis singula respondent, nempe « docilitas ingenii — celeriter accipere; suavitas oris ac vocis — excellenter pronuntiare. » Aptissime tamen ita cohærent, ut eamdem rem uberius exponant; quare etiam alibi conjunguntur. Cf. Alcib. c. I. Locum similem exhibet Quintilianus in proœm. lib. VI, ubi nostrum egregie explicat : « Vocis jucunditas claritasque, oris suavitas, et in utraque lingua expressa proprietas omnium litterarum. » Nempe, ut excellenter aliquis pronuntiet, requiritur, præter soni ipsius gratam modulationem, apta etiam linguæ et litteris accommodata oris ejusque partium conformatio, quæ ipsam pronuntiationis facit excellentiam, ut docilitas accipiendi celeritatem. Tzs. — *Acciperet.* Ita libri scripti. Adde Quintilian. I, 3, 3 : « Puer meus, quæ tradentur, non difficulter accipiet. » Non igitur Lambino opus erat emendare *arriperet.*

5. *Nobilis inter æquales ferebatur.* Efficacius quam *erat*, *habebatur*, de aperta et manifesta significatione et prædicatione. Sic eleganter ad

discipuli animo æquo ferre possent. Itaque incitabat omnes studio suo : quo in numero fuerunt L. Torquatus[6], C. Marius filius, M. Cicero, quos consuetudine sua sic sibi devinxit, ut nemo iis perpetuo fuerit carior.

II. Pater mature[1] decessit. Ipse adolescentulus[2], propter affinitatem P. Sulpicii, qui Tribunus plebis interfectus est, non expers fuit illius periculi. Namque Anicia, Pomponii consobrina, nupserat M. Servio, fratri Sulpicii[3]. Itaque interfecto Sulpicio, posteaquam vidit, Cinnano tumultu[4] civitatem esse perturbatam, neque sibi dari facultatem pro dignitate vivendi, quin alterutram partem offenderet, dissociatis animis civium, quum alii Sullanis,

ipsum Atticum refert *explendescebat*. Tzs. *Nobilis*, clarus. — *Quam*. Suppl. *ut*. Ita in Pausania, III. — *Generosi*. Spiritu scilicet et ingenio.

6. *Torquatus*. Ejus elegantiam in dicendo, aliasque virtutes laudat Cicero in Bruto, cap. LXVIII. Periit Torquatus in bello civili. Tzs. — *C. Marius filius*. Filius scilicet Caii Marii septies consulis. Eadem forma, ait Tzs., et alii utuntur : quare non opus est legere, ut olim, *C. Marius, C. filius*. — *Cicero*. Oratorum Romanorum princeps, secundum quem Cornelius Nepos, Attici judicio, optimus scriptor ferebatur. Vide Ciceronis ad Atticum Epist. XVI, 5.

Cap. II. 1. *Mature*. Cito et ante tempus. Alias vero *mors matura* est opportuna.

2. *Adolescentulus*. Annos natus tres et viginti, quum Sulpicius occisus sit A. U. C. 665; Atticus natus A. 643. *Adolescentulus* autem sic et in Eumene, c. I, dicitur, ut alibi adeo *puer*, contra sæculi nostri morem. Cf. paulo post. Tzschucke.

3. *Sulpicii*. Clarissimi oratoris, hominisque violenti, qui, dum tribunus plebis esset, et Marium contra Syllam tueretur, hujus jussu occisus est. Vid. Cic. Cat. III, 10; de Oratore, III; adde Velleium Paterculum, II, 18. sqq.

4. *Cinnano tumultu*. Civili bello, quo Cinna consul expulsus cum Mario rediit, et in Syllanos sæviit. Quantas vero turbas istæ factiones excitaverint nemo nescit, qui vel tantillum historiæ Rom. delibaverit. — *Pro dignitate*. Juxta dignitatem ordinis equestris et vitæ honestæ. — *Quin alterutram partem offenderet*. Vel Cinnam vel Syllam, quod ipse infra explicat. Cf. *Charron, de la Sagesse, III, 4 : Advis pour les particuliers en toutes les susdictes divisions publiques. — Il y a deux questions : l'une, s'il est loisible à l'homme de bien de prendre party, ou demeurer coy; l'autre, en tous les deux cas, c'est à dire, estant d'un party, ou n'en estant point, comment on s'y doibt comporter.... 1° Or la premiere question a des raisons et des exemples con-*

alii Cinnanis faverent partibus ; idoneum tempus ratus studiis obsequendi suis, Athenas se contulit. Neque eo secius adolescentem[5] Marium, hostem judicatum, juvit opibus suis, cujus fugam pecunia sublevavit. Ac, ne illa peregrinatio detrimentum aliquod afferret rei[6] familiari, eodem magnam partem fortunarum trajecit suarum. Hic ita vixit, ut universis Atheniensibus merito esset carissimus. Nam, præter gratiam[7], quæ jam in adolescentulo magna erat, sæpe suis opibus inopiam eorum publicam levavit. Quum enim versuram facere[8] publice necesse esset, neque ejus conditionem æquam haberent ; semper se interposuit, atque ita, ut neque usuram unquam ab iis acceperit, neque longius, quam dictum esset, eos debere passus sit. Quod utrumque erat iis salutare. Nam neque indul-

traires... 2° *Venons à l'autre poinct... Or il se vuide en un mot, par l'advis et la reigle de modération, suivant l'exemple d'Atticus, tant renommé pour sa modestie et prudence en tels orages, tenu tousjours et estimé pour favoriser le bon party, toutesfois sans s'envelopper aux armes et sans offense de l'autre party.*

5. *Adolescentem.* De viro, uti passim; hic juniorem Marium notat. — *Cujus fugam.* Id est, quem fugientem et expulsum.

6. *Detrimentum aliquod afferret rei familiari.* Bona enim proscriptorum et absentium aliorum insontium vendebantur; exclusique paternis bonis liberi etiam petendorum honorum jure prohibebantur. Velleius Paterc. II, 28; Ep. Liv. LXXXIX, et alii. Ernst.

7. *Gratiam.* Ita passim, ait Tzschuck., de moribus qui placent, gratiam conciliant. Ego vero explicare malim gallico verbo *crédit.*

8. *Versuram facere.* Hoc est, mutare creditorem. Versuram ii facere dicuntur, qui, ut æs alienum dissolvant, æs alienum contrahunt, et mutuum majori fœnore sumunt ab uno creditore, ut alteri satisfaciant; quod illi dum faciunt, non solvunt debita, sed creditorem tantum mutant et vertunt, unde *versuræ* nomen. — *Neque ejus conditionem æquam haberent.* Neque hanc versuram, nisi gravissimo intolerandoque fœnore, impetrare, a fœneratoribus possent. Centesimas enim poscere fœneratores solebant. Qua de re vide Manut. Comment. in Epist. Cic. I, 10, ad Atticum. — *Semper se interposuit.* Opibus suis intervenit, pecuniam obtulit. — *Usuram unquam.... acceperit.* Contra officium esse ratus, pro eo, quod gratis erat præstandum, mercedem exigere. Pro *unquam* conjecit *iniquam* Gottschalch. — *Eos* abest a multis libris. Nonnulli *æs* habent.

gendo[9] inveterascere eorum æs alienum patiebatur, neque multiplicandis usuris crescere. Auxit hoc officium alia quoque liberalitate. Nam universos frumento donavit, ita ut singulis septem[10] modii tritici darentur : qui modus mensuræ medimnus Athenis appellatur.

III. Hic autem sic se gerebat, ut communis[1] infimis, par principibus videretur. Quo factum est, ut huic omnes honores, quos possent, publice haberent, civemque facere studerent[2]. Quo beneficio ille uti noluit[3], quod nonnulli ita interpretantur, amitti civitatem Romanam, alia adscita. Quamdiu affuit, ne qua sibi statua poneretur, restitit[4]: absens prohibere non potuit. Itaque aliquot ipsi et Piliæ[5] locis sanctissimis posuerunt. Hunc enim in omni procu-

9. *Indulgendo*. Debiti solutionem non urgendo. — *Neque multiplicandis usuris crescere*. Si ipse, ex aliorum creditorum more, tales quoque usuras petiisset : quod ipse facere noluit. Ingeniosa igitur Gottschalch. conjectura, *iniquam* ; neque necessaria tamen videtur.

10. *Septem*. Ita omnes libri scr. At, quia Veteres tradunt, medimnum sex modios æquasse, Lambin., suadente Faern., aliique posuerunt *sex*. Tzs. — *Medimnus*. Cic. *medimnum*, in Verrem, V, 47; gallice, *une mine*. Confer *Mémoire de M. Letronne sur les monnaies et les mesures Grecques et Romaines*.

Cap. III. 1. *Communis infimis*, κοινὸς, ἐπιεικής. Ita Cicer. Ep. fam. IV, 9. Frustra, apud Sueton. Claud. XXI, Vespasian. XXII, *comis* pro *communis* emendare volunt.

2. *Civemque facere studerent*. Qui singularis honos fuit, et solum iis, qui de republica præclare meriti essent, exhibitus. Vide Meursium Fortun. Attic. caput V. Bosius.

3. *Quo beneficio ille uti noluit*. Civem tamen Atticum Cicero vocat, respiciens, credo, ad cognomen, non ad jus civitatis, lib. I, Epist. 16, et lib. II, Epist. 1 : « In eis orationibus, quæ Philippicæ nominantur, enituerat civis ille tuus Demosthenes. » Schott. Recusarunt hoc beneficium et Zeno et Cleanthes, ne patriæ suæ injuriam facere viderentur. Auctor Plutarchus, de Stoicorum repugnantiis. Bosius. — *Quod nonnulli*, etc. Hæc verba, usque ad *adscita*, nonnulli recentiori manu adsuta existimant.

4. *Restitit*. Ms. cod. Medic. durius *respuit* habet.

5. *Piliæ*. Quædam edd. *Phidiæ*, quasi Attici ætate fuisset aliquis Phidias, de rebus Atheniensium bene meritus; etsi mirentur, quod unus Nepos illius viri mentionem in re tam insigni fecerit. Absurda vero lectio. *Pilia* est, uxor Attici, quam Cic. passim, Epist. ad Attic., salutat.

ratione reipublicæ auctorem actoremque[6] habebant. Igitur primum illud munus fortunæ, quod in ea potissimum urbe natus est, in qua domicilium orbis terrarum esset[7] imperii, ut eamdem et patriam haberet et domum. Hoc specimen prudentiæ, quod, quum in eam[8] civitatem se contulisset, quæ antiquitate, humanitate, doctrina præstaret omnes, unus ei ante alios fuerit carissimus.

IV. Huc ex Asia Sulla decedens[1] quum venisset, quamdiu ibi fuit, secum habuit Pomponium, captus adolescentis et humanitate et doctrina. Sic enim Græce[2] loquebatur, ut Athenis natus videretur. Tanta autem suavitas erat sermonis Latini, ut appareret, in eo nativum quemdam leporem esse, non adscitum[3]. Idem poemata[4] pronuntiabat et Græce et Latine sic, ut supra nihil posset addi. Quibus rebus factum est, ut Sulla nusquam eum ab se[5] dimitteret, cuperetque secum deducere. Qui[6] quum persuadere ten-

6. *Auctorem actoremque*. *Auctor* suadet, præcipitve rem et rationem gerendi monstrat; *Actor* agit, administrat et curat.

7. *Esset imperii*. Loquitur de urbe Romana, quasi fortuna imperii ibi habitaret. — *Domum*. Libri veteres subjiciunt *voluit ;* ed. pr. *voluerit*. Si prius probo cum Kappio, *ut* mutari debet in *et*. Pro *domum* Lambinus reposuit *dominam*, quod et aliqui probarunt, nuper Bremius. At languet non solum hæc repetitio, sed et disjicit connexorum rationem. Nempe quo spectat *patriam*, eo etiam transferri debet vox adjuncta. *Domus* est domicilium, sedes, tribus; et civitatis jus innuit. Tzs.

8. *Eam civitatem*. Athenas scilic.

Cap. IV. 1. *Ex Asia Sulla decedens*. Finito bello Mithridatico, contra Marium iturus. Tzschuck.

2. *Sic enim Græce loquebatur*. Unde Attici cognomen, uti ex Ciceronis de Senectute libro in. apparet : « Teque non cognomen solum Athenis deportasse, sed humanitatem et prudentiam intelligo. »

3. *Adscitum*. Id est, Attico, latine quum loqueretur, sermonis hujusce gratia adeo pura et inaffectata inerat, ut hanc suavitatem nativam, non autem labore partam omnes sentirent.

4. *Poemata*. Aliorum scilicet, quibus vocis suavitate majorem gratiam afferebat.

5. *Nusquam eum ab se dimitteret*. Ejus consuetudine assidue f r eretur. — *Secum deducere*. Sibi itineris comitem adsciscere.

6. *Qui*. Immerito docti, Lambino duce, in *cui* mutaverunt. *Qui*, etc. Id est, quum Sylla persuadere

taret: « Noli, oro te, inquit Pomponius, adversum eos me velle ducere, cum quibus ne contra te arma ferrem, Italiam reliqui. » At Sulla, adolescentis officio[7] collaudato, omnia munera ei, quæ Athenis acceperat, proficiscens jussit deferri. Hic complures annos moratus, quum et rei familiari tantum operæ daret, quantum non indiligens deberet pater familias; et omnia reliqua tempora aut litteris, aut Atheniensium reipublicæ tribueret : nihilominus amicis urbana officia præstitit. Nam et ad comitia[8] eorum ventitavit; et, si qua res major acta est, non defuit. Sicut Ciceroni in omnibus ejus periculis singularem fidem præbuit : cui ex patria fugienti[9] sestertium ducenta et quinquaginta millia donavit. Tranquillatis autem rebus Romanis[10], remigravit Romam, ut opinor, L. Cotta et L. Torquato Coss.; quem diem sic universa civitas Atheniensium prosecuta est, ut lacrymis desiderii futuri dolorem indicaret.

V. Habebat avunculum Q. Cæcilium, equitem Romanum, familiarem L. Luculli[1], divitem, difficillima natura. Cujus sic asperitatem veritus est[2], ut, quem nemo ferre

tentaret, ut secum proficisceretur. — *Oro te.* Interponitur, ut *quæso*, *amabo*. Tzs. — *Noli.... velle.* Pro *noli*, sed multo validius.

7. *Officio.* Virtute scilicet et fidelitate in amicos et cives.

8. *Ad comitia eorum.* Id est, ad comitia ventitabat, in quibus de amicorum suorum dignitatibus agebatur; quum illorum petitionem auctoritate et suffragio juvare posset.

9. *Fugienti.* Nempe ante exilium, Clodio auctore decretum, secesserat Athenas, quum, Chrysogono in oratione pro Roscio Amerino offenso, Syllæ iram metueret. Tzs. — *Sestertium ducenta.* Vid. eumdem V. C. *Letronne*, opere laudato.

10. *Tranquillatis autem rebus Romanis.* Sopitis odiis civilibus. — *Quem diem*, etc. Atticum discedentem tanto nimirum affectu prosecuta est Atheniensium civitas, ut lacrymis dolorem ex desiderio futuro conceptum indicaret.

Cap. V. 1. *Luculli.* Qui ex Asiatico bello contra Mithridatem magnas divitias reportaverat, et postea se in luxum pronus demerserat. Inde Xerxem togatum appellavit Tubero, auct. Plutarch. Lucullo, XXXIX. Tzschuck. — *Difficillima natura.* Qua præditi *morosi* vocantur.

2. *Veritus est.* Indulsit, cessit cum

posset, hujus sine offensione ad summam senectutem retinuerit benevolentiam. Quo facto tulit pietatis fructum. Cæcilius enim moriens testamento adoptavit eum [3], heredemque fecit ex dodrante. Ex qua hereditate accepit circiter centies sestertium [4]. Erat nupta soror Attici Q. Tullio Ciceroni [5]; easque nuptias M. Cicero conciliarat, cum quo a condiscipulatu vivebat conjunctissime, multo etiam familiarius, quam cum Quinto; ut judicari possit, plus in amicitia valere similitudinem morum, quam affinitatem. Utebatur autem intime Q. Hortensio [6], qui his temporibus principatum eloquentiæ tenebat, ut intelligi non posset, uter eum plus diligeret, Cicero, an Hortensius; et id, quod erat difficillimum, efficiebat, ut, inter quos tantæ laudis esset æmulatio, nulla intercederet obtrectatio, essetque talium virorum copula.

reverentiæ sensu, unde delectus verbi intelligitur. Mox pietatem eam appellat. Tzs.

3. *Testamento adoptavit eum*, etc. Ita Valer. Max. VII, 8, 5: « Pomponium Atticum testamento adoptavit. » — *Ex dodrante*. Quum tota hereditatis summa vocabulo *as* designaretur, *dodrans*, id est $\frac{9}{12}$ novem ejus partes complectitur. Ceterum discrepat Valer. Max. VII, 8, 5, qui omnium bonorum heredem eum relictum esse tradit. Tzs.

4. *Accepit circiter centies sestertium*. Rusus op. cit. adire juvabit.

5. *Q. T. Ciceroni*. Is M. T. Ciceronis, oratorum principis, frater fuit, Pomponiamque, Attici sororem, duxerat. — *Quam cum Quinto*. Vide infra XVI: « Atticum præcipue dilexit Cicero, ut ne frater quidem ei Quintus carior fuerit. » Testatur ipse Cicero ad Famil. XIII: « Pomponium Atticum sic amo, ut alterum fratrem; nihil est illo mihi nec carius, nec jucundius. » — *Plus in amicitia valere*. Hinc Cic., in Lælio: « Nihil est quod ad se rem tam alliciat, tam attrahat, quam ad amicitiam similitudo. »

6. *Q. Hortensio*. Testatur ipse Cicero ad divers. II, 16: « Tuus familiaris Hortensius quam plena manu nostras laudes in astra sustulit! » — *Principatum eloquentiæ tenebat*. Quum hac tempestate secundum Cicero locum obtineret. De Hortensio Quintilianus, Inst. or. XI, 3: « Diu princeps oratorum, aliquando æmulus Ciceronis existimatus est; novissime, quoad vixit, secundus. » De eodem Gellius, I, 7: « Hortensius, omnibus ferme oratoribus ætatis suæ, nisi M. Tullio, clarior. » Hortensianæ autem eloquentiæ hereditas non nisi ad Hortensiam, clari hujusce oratoris filiam, transiit. Vid. Valer. Max. VIII,

VI. In republica ita est versatus[1], ut semper optimarum partium et esset, et existimaretur; neque tamen se civilibus fluctibus committeret, quod non magis eos in sua potestate existimabat esse, qui se iis dedissent, quam qui maritimis jactarentur. Honores non petiit, quum ei paterent propter vel gratiam vel dignitatem[2], quod neque peti more majorum, neque capi possent conservatis legibus, in tam effusis ambitus largitionibus, neque geri e republica sine periculo, corruptis civitatis moribus. Ad hastam[3] publicam nunquam accessit. Nullius rei neque præs, neque manceps[4] factus est. Neminem neque suo nomine, neque

3, 3. — *Obtrectatio*. Confer ad Aristid. I. Ex nostro loco discrimen inter æmulationem et obtrectationem intelligi potest. Illa bono, hæc malo sensu dicitur; illa imitari, consectari virtutes, hæc carpere, suasque quovis modo extollere et obtrudere solet. Tzs. — *Copula*. Æmulorum scilicet conciliator, qui veluti medius intercedebat, ne in obtrectationem erumperet æmulatio.

Cap. VI. 1. *In republ. ita est versatus*. Vide supra, c. II, not. 4. — *Fluctibus*. Bellis scilicet : elegans metaphora, quam et comparatione facta apte persequitur. Ita passim multi. Nota est allegoria Hor. I, 14:

O navis, referent in mare te novi
Fluctus!

Confer inf. X. — *Jactarentur*. Proprium in hac re verbum. Vid. Serv. ad Virgil. Æn. I, 7; nec non Vell. I, 2: « Exclusi ab Heraclidis Orestis liberi, *jactati*que quum variis casibus, tum sævitia maris. » *Maritimis* autem posuit pro *marinis*, neque tamen hoc absque exemplis.

2. *Dignitatem*. Nempe equestrem. — *More majorum*. Scilicet, absque dolo et fallaciis, una virtute : etenim hisce temporibus « etiam homines novi, qui antea per virtutem soliti erant nobilitatem antevenire, furtim et per latrocinia potius, quam bonis artibus, ad imperia et honores nitebantur. » Sallust. Jug. IV. — *Geri e republica*. Locus in libris vitiatus et amputatus prodit. Alii enim omittunt *geri*, alii *e republica*, vel *res geri* exhibent. In diversa abeunt virorum doctorum sententiæ; ex quibus probata emendatio Lambini, maxima veri specie commendabilis, et mutua librorum ope concinnata. *E* autem in hoc nexu significat ad commodum reipublicæ. Tzs.

3. *Ad hastam*. Auctionis publicæ signum, sub qua tunc in primis publicata proscriptorum bona venibant. *Sectores*, qui ea emebant, vocabantur. Tzs. Bona distrahenda *hastæ subjici* dicebantur.

4. *Neque præs, neque manceps*. 1° *Præs*, qui aut suo aut alterius nomine cavet, populo se obligat, et a magistratu interrogatur, in

subscribens[5], accusavit. In jus[6] de sua re nunquam iit, judicium nullum habuit. Multorum consulum prætorumque præfecturas delatas[7] sic accepit, ut neminem in provinciam sit secutus, honore fuerit contentus, rei familiaris despexerit fructum. Qui ne cum Q. quidem Cicerone voluerit ire in Asiam, quum apud eum legati locum obtinere posset. Non enim decere se arbitrabatur, quum præturam gerere noluisset, asseclam[8] esse prætoris. Qua in re non solum dignitati serviebat, sed etiam tranquillitati, quum suspiciones quoque vitaret criminum[9]. Quo fiebat, ut ejus observantia[10] omnibus esset carior, quum eam officio, non timori neque spei tribui viderent.

VII. Incidit Cæsarianum civile bellum[1], quum haberet annos circiter sexaginta. Usus est ætatis vacatione[2], neque se quoquam movit ex urbe. Quæ amicis suis opus fuerant ad Pompeium proficiscentibus, omnia ex sua re familiari dedit. Ipsum Pompeium conjunctum[3] non offendit: nul-

publicum ut præstet; inde quum respondet, dicitur *præs*. 2° *Manceps*, qui a populo aliquid redimit aut conducit; ita autem dictus quod in licitationibus sublata manu se emptionis auctorem esse profiteretur. Vide Esnest. in clave Cic. hisce vocibus. Publicorum autem vectigalium redemptionem, quam faciebant publicani, spectare Nepos videtur. Quorum tamen socium et vectigalium participem Atticum fuisse nonnulli, ex Ciceronis ad Att. Epist. I, 19, et II, 15, colligunt, hincque Nepotem reprehendunt.

5. *Subscribens*. Subscriptione sua alterius accusationem juvans.

6. *In jus... nunquam iit, judicium nullum habuit*. Id est, neque iit in jus, neque ipse alios vocavit.

7. *Delatas*. Id est, præfecturas deferri solitas a consulibus, prætoribus, et ab imperatore in exercitu. — *Honore fuerit contentus*. Oblati scilicet muneris.

8. *Asseclam*. Legatum scilicet.

9. *Criminum*. Cupiditatis scilicet, rapacitatis. Hinc *repetundarum rei* magistratus dicebantur.

10. *Observantia*. Cauta vitæ ratio.

Cap. VII. 1. *Cæsarianum civile bellum*. De quo scripsit ipse Cæsar.

2. *Ætatis vacatione*. Id est, sexagenarius, ætatis habuit excusationem, ne se partibus misceret. «Lex a quinquagesimo anno militem non cogit, a sexagesimo senatorem non citat.» Senec. de Brev. vit. XX. — *Movit ex urbe*. Non in castra profectus est, se autem continuit domi.

3. *Conjunctum* (alii, *non junctum*). Cognatione junctum. Gens enim

lum enim ab eo habebat ornamentum, ut ceteri, qui per eum aut honores, aut divitias ceperant; quorum partim invitissimi castra sunt secuti, partim summa cum ejus offensione domi remanserunt. Attici autem quies[4] tantopere Cæsari fuit grata, ut victor, quum privatis pecunias per epistolas imperaret, huic non solum molestus non fuerit, sed etiam sororis filium et Q. Ciceronem ex Pompeii castris concesserit. Sic vetere instituto vitæ effugit nova pericula.

VIII. Secutum est illud. Occiso Cæsare[1], quum respublica penes Brutos videretur esse et Cassium, ac tota civitas se ad eos convertisse videretur; sic M. Bruto usus est, ut nullo ille adolescens æquali familiarius, quam hoc sene, neque solum eum principem consilii haberet, sed etiam in convictu. Excogitatum est a quibusdam, ut privatum ærarium Cæsaris interfectoribus ab equitibus Rom. constitueretur. Id facile effici posse arbitrati sunt, si et principes illius ordinis pecunias contulissent. Itaque ap-

Cæcilia, unde maternum genus ducebat Atticus, cum gente Cornelia, ex qua Pompeius duxerat uxorem, erat juncta. — *Ornamentum.* Quidam docti *auctoramentum* rectius legendum existimant. Quid jubet? — *Cum ejus offensione.* Pompeius enim se pro hostibus habiturum dixerat, qui extra sua castra essent; Cæsar vero pro amicis, qui in Pompeii castris non essent.

4. *Quies.* Quod nullius partes secutus fuerit. — *Privatis.* Aliis, domi qui se continuerant. — *Sororis filium et Q. Ciceronem.* Conf. cap. V. Ita vero, ex hac MMSS. lectione, intelligit patrem et filium, quos Pompeii castra secutos, ipso devicto, Attico condonavit. Tzschuck.

Cap. VIII. 1. *Occiso Cæsare.* Nemo nescit Julium Cæsarem tribus et viginti vulneribus in curia occisum fuisse a Bruto et Cassio, cædis auctoribus, postquam, devictis Pompeianis partibus, dictaturam perpetuam invasisset, idibus martiis, anno urbis conditæ 708, ipso Julio Cæsare et M. Antonio Coss. Courtin. — *Brutos.* Marcum scilicet et Decimum, de quibus vide Sueton. in Cæs. LXXX. — *Adolescens.* Ut jam monitum est, de viro, tunc, ex Ciceronis Bruto, cap. LXIV et XCIV, duo et quadraginta annos nato. — *In convictu.* Compone, uti recte monuit Heusinger, cum *haberet*, non cum *principem.* Ita nempe diversi casus sæpe construuntur. Vid. in Datame, I et III; in Attico, V. Tzschuck.

pellatus est a C. Flavio, Bruti familiari, Atticus, ut ejus rei princeps esse voluisset. At ille, qui officia amicis præstanda sine factione existimaret, semperque a talibus se consiliis removisset, respondit : si quid Brutus de suis facultatibus uti voluisset[2], usurum, quantum eæ paterentur ; se neque cum quoquam de ea re collocuturum, neque coiturum. Sic ille consensionis globus[3] hujus unius dissensione disjectus est. Neque multo post superior esse cœpit Antonius; ita ut Brutus et Cassius, provinciarum[4], quæ iis necis causa datæ erant a consulibus, desperatis rebus, in exilium proficiscerentur. Atticus, qui pecuniam simul cum ceteris conferre noluerat florenti illi parti, abjecto[5] Bruto, Italiaque cedenti, sestertium centum millia muneri misit ; eidem in Epiro absens trecenta jussit dari ; neque eo magis potenti adulatus est Antonio, neque desperatos reliquit.

IX. Secutum est bellum gestum apud Mutinam[1]. In

2. *Voluisset.* Cur *voluisset*, non *vellet?* Causam non video, nisi quæratur in *usurum*. Aliter, *si vellet*, *uti posse*. Tzs. — *Neque coiturum.* Ad factiosi consilii societatem accessurum.

3. *Consensionis globus.* Ita hunc consentientium cœtum unus dissentiens disturbavit. — *Globus.* Ita autem apud Sallustium legas, Jugurth. LXXXV: « Si quem ex illo *globo* nobilitatis... » Anglice, *club.*

4. *Provinciarum.* Referri debet ad verba sequentia, *desperatis rebus.* — *Necis causa.* Hæc librorum lectio sine dubio præferenda est conjecturæ Cujacii *dicis causa*, quam protulit in Observat. X, 37, et aliqui exceperunt. Nam, ut librorum auctoritate nititur, ita et fert historiæ testimonium, quod luculentum est in Ciceronis Orat. XI; cf. cap. XII. Quanquam de ipsis provinciis, quæ fuerint, ex Plutarcho, Appiano et Dione Cassio, disputatur. Cretam diserte nominat Cicero de Bruto, alii de Cassio, Cyrenen, quum ipsi alias occupassent. Consules sunt M. Antonius et Dolabella. Tzs. Altera autem lectio *dicis causa* gallice valet, *par manière d'acquit.* Brutus enim et Cassius, per speciem et nomen provinciarum, e republica remoti fuerant, et velut exules facti. Hæc autem vetus loquendi formula apud Cic. ad Attic. I, 18, et alibi occurrit.

5. *Abjecto Bruto.* Id est, Bruto reflante fortuna prostrato.

Cap. IX. 1. *Bellum gestum apud Mutinam.* Cujus belli causa fuit testamentum Cæsaris. Vide Florum,

quo si tantum eum prudentem dicam, minus, quam debeam, prædicem[2], quum ille potius divinus fuerit; si divinatio appellanda est perpetua naturalis bonitas, quæ nullis casibus neque agitur, neque minuitur. Hostis Antonius judicatus[3] Italia cesserat; spes restituendi nulla erat. Non solum ejus inimici[4], qui tum erant potentissimi et plurimi, sed etiam qui adversariis ejus se dabant, et in eo lædendo se aliquam consecuturos sperabant commendationem, Antonii familiares insequebantur; uxorem Fulviam omnibus rebus spoliare cupiebant; liberos etiam extinguere parabant. Atticus, quum Ciceronis intima familiaritate uteretur, amicissimus esset Bruto, non modo

IV, 4. Hoc autem inter Antonium et Octavium Cæsarem tum juvenem motum est. Mutina vero, urbs Galliæ Cisalpinæ, nunc vulgo *Modène*. Courtin.

2. *Prædicem*. Non satis laudem. — *Divinus*. Ex nexu valet præscius rerum futurarum, ut *divinitas* et similia alibi, deinceps *divinatio*; utrumque, ad signandum singularem et solito majorem prudentiam, quo facit cap. XVI. Quæ sequuntur, primo intuitu parum respondere videntur, moverantque Buchnerum, ut mallet *divinitas*, id est, divina natura. Quidam, quum eam mutationem libri respuerent, ita certe explicandum censuerunt. Sed causam subjicit Noster, qua factum sit, ut sic se gereret Atticus, quasi callidissime omnia præsensisset seque parasset. *Bonitas* enim non est peritia, ut vult Staverenus, sed, quod adjecta postulant, insita a natura usuque confirmata animi bona indoles. Sic infra, X, bonitatis signa referuntur. Tzs. — *Agitur*. Id est, agitatur, a proposito dimovetur. Al. *Augetur*.

3. *Hostis... judicatus*. Cujus judicii causam expositam reperias apud Cic. Philipp. II. — *Italia cesserat*. Galliam citeriorem petiit, et inde pulsus Alpes transiit, ut se cum Lepido conjungeret. Velleius, II, 16, sqq. Tzs.

4. *Ejus inimici*. Quorum e numero acerrimum Ciceronem expertus est. — *Commendationem*. Quædam editiones *commoditatem* habent; utrumque vero, si sequentia cogites, potest adhiberi. Spoliatio enim commoditatem, occisio commendationem parabat. — *Extinguere parabant*. *Parare* non semel optimos apud scriptores cum infinitivi præsente junctum reperias. Ita ap. Sallust. Catil. XVIII: « Cum hoc Catilina et Autronius, consilio communicato, parabant in Capitolio kal. jan. L. Cottam et L. Torquatum consules interficere. » Idem Cat. XX: « Servire magis, quam imperare parati estis. » Idem, Jug. XXII: « Dum proficisci parant. » Adde Cæsar. B. C. I, 83; Ter. Phorm. prol. v. 3.

nihil iis indulsit ad Antonium violandum; sed e contrario familiares ejus, ex urbe profugientes, quantum potuit, texit, quibus rebus indiguerunt, adjuvit. P. vero Volumnio[5] ea tribuit, ut plura a parente proficisci non potuerint. Ipsi autem Fluviæ, quum litibus distineretur, magnisque terroribus vexaretur, tanta diligentia officium suum præstitit, ut nullum illa stiterit vadimonium[6] sine Attico; hic sponsor omnium rerum fuerit. Quin etiam, quum illa fundum secunda fortuna[7] emisset in diem, neque post calamitatem versuram facere potuisset; ille se interposuit, pecuniamque sine fœnore, sineque ulla stipulatione ei credidit; maximum existimans quæstum, memorem gratumque cognosci, simulque aperire, se non fortunæ, sed hominibus solere esse amicum. Quæ quum faciebat, nemo eum temporis causa[8] facere poterat existimare. Nemini enim in opinionem veniebat[9], Antonium rerum potiturum. Sed sensim[10] is a nonnullis optimatibus reprehendebatur, quod parum odisse malos cives videretur. Ille autem sui judicii, potius quid se facere par esset, intuebatur, quam quid alii laudaturi forent.

X. Conversa subito fortuna est. Ut Antonius rediit in Italiam, nemo non magno in periculo Atticum futurum putarat, propter intimam familiaritatem Ciceronis et Bruti.

5. *Volumnio.* Is inter Antonii familiarissimos erat, qui et Eutrapelus dicebatur, præfectus fabrum, de quo Cicer. Epist. 26, lib. IX. Courtin.

6. *Ut nullum illa stiterit vadimonium.* Ut nunquam, vadibus datis, comparuerit in judicio. — *Sponsor.* Atticus ubique fidem suam interposuit.

7. *Secunda fortuna.* Ita veteres habent editiones: uncos igitur, hic vulgo appositos, remotos maluimus. — *In diem.* Solvendum scilicet in certam diem. — *Sine fœnore, sineque ulla stipulatione.* Id est, remota omni usura solemnique promissione.

8. *Temporis causa.* Ut tempori inserviret, fortunæque vicibus se accommodaret. Tzs.

9. *Nemini enim in opinionem veniebat.* Ciceroniana locutio. Ita Philipp. II, 16: « Qui istuc venit tibi in mentem? »

10. *Sensim.* Paulatim, vel, si cum Heusingero malis, clam, tacite. Aliter, *sensus ejus*. Sequimur ed. pr.

Itaque ad adventum imperatorum[1] de foro decesserat, timens proscriptionem; latebatque apud P. Volumnium, cui, ut ostendimus, paulo ante opem tulerat (tanta varietas iis temporibus fuit fortunæ, ut modo hi, modo illi, in summo essent aut fastigio, aut periculo[2]); habebatque secum Q. Gellium Canum, æqualem simillimumque sui. Hoc quoque sit Attici bonitatis exemplum, quod cum eo, quem puerum in ludo cognoverat, adeo conjuncte vixit, ut ad extremam ætatem amicitia eorum creverit. Antonius autem etsi tanto odio ferebatur[3] in Ciceronem, ut non solum ei, sed omnibus etiam ejus amicis esset inimicus, eosque vellet proscribere; multis hortantibus tamen, Attici memor fuit officii, et ei, quum requisisset, ubinam esset, sua manu scripsit, ne timeret, statimque ad se veniret : se eum et illius causa Gellium Canum de proscriptorum numero exemisse. Ac, ne quod in periculum incideret, quod noctu fiebat, præsidium ei misit. Sic Atticus in summo timore non solum sibi, sed etiam ei, quem carissimun habebat, præsidio fuit. Neque enim suæ solum[4] a quoquam auxilium petiit salutis, sed conjunctim; ut appareret, nullam sejunctam sibi ab eo velle fortunam. Quod si gubernator præcipua laude fertur, qui navem ex hieme[5] marique scopuloso servat; cur non singularis ejus existimetur

Cap. X. 1. *Imperatorum*. Antonii scilicet, Octavii et Lepidi. De quibus vide Florum, IV, 6.

2. *Periculo*. Non proprie in hac oppositione respondet *fastigio*, sed per ejus explicationem et sensum, ut sæpe fit, ubi sensus verborum, non verba spectantur. Tzs. — *Gellium Canum*. Non autem *Canium*, ut quidam dederunt, quippe quod cognomen Gelliis proprium. Cani meminit Cicero passim, ut Epist. ad Att. XIII, 31. Sic et vet. libri.

3. *Ferebatur*. Iræ impetum, quam *erat*, magis ostendit. — *Ejus*. Quidam libri *suis* habent. Hic autem, propter præcedens *ei*, *ejus* anteposuerim.

4. *Neque enim suæ solum*, etc. Nec enim separatim quemquam suæ vitæ protectorem quæsivit. Courtin.

5. *Hieme*. Hiems sæpissime a Latinis, et a poetis præcipue, pro tempestate usurpatur. Consule Servium ad Virgil. Æneid. V, v. 11:

prudentia, qui ex tot tamque gravibus procellis civilibus ad incolumitatem pervenit?

XI. Quibus ex malis ut se emerserat[1], nihil aliud egit, quam ut plurimis, quibus rebus posset, esset auxilio. Quum proscriptos præmiis imperatorum vulgus conquireret, nemo in Epirum[2] venit, cui res ulla defuerit; nemini non ibi perpetuo manendi potestas facta est. Qui etiam post prælium Philippense[3], interitumque C. Cassii et M. Bruti, L. Julium Mocillam prætorium, et ejus filium, Aulumque Torquatum, ceterosque pari fortuna perculsos, instituerit tueri, atque ex Epiro his omnia Samothraciam

Olli cæruleus supra caput adstitit imber,
Noctem hiememque ferens. . . . . . .

— *Singularis existimetur prudentia*, etc. Si quis, reipublicæ nave fluctibus civilibus agitata, optimum itineris ducem investigare studuerit, rationem vitæ exigat, ut veteris scriptoris nostri verba iterum usurpem, « *suivant l'exemple d'Atticus, tant renommé pour sa modestie et prudence en tels orages, tenu tousjours et estimé pour favoriser le bon party, toutesfois sans s'envelopper aux armes et sans offense de l'autre party.* »

Cap. XI. 1. *Se emerserat.* Ita omnes libri: quod licet stat rariori usu, quum *emergere* neutraliter ponatur, ita tamen etiam occurrit apud Cic. de Harusp. resp. XXV, et Terentium in Andr. III, 3, 30. Sic *se* passim additur verbis similibus *erumpere*, *penetrare*, *abstinere*; contra in aliis omittitur, veluti *movere*, *vertere*, quæ est linguarum libido. Quare non opus erat, contra libros, *se* convertere in *ipse*. In verbo ipso *emerserat* elegans est metaphora de calamitosis, qui ad meliorem sortem enituntur et assurgunt. Ita vero præcedentem metaphoram, quam, inserta voce *malis*, finitam invenerat, resumit, et, novo augmento adscito, persequitur sic, ut alio convertat. Nempe præcedentia salutem ex tempestate et mari scopuloso continent; hæc notionem naufragii afferunt. Ceterum hanc periodum superiori capiti adnectunt quædam editiones. Tzs. — *Nihil.* Intentum studium denotat. Id.

2. *In Epirum.* Ubi prædia habebat. « Omnisque ejus pecuniæ reditus constabat in Epiroticis et urbanis possessionibus. » Infra XIV. — *Res ulla.* Non male olim edd. aliquæ *re ulla*. Tzs.

3. *Prælium Philippense.* In quo Brutus et Cassius, interfectores Cæsaris, ab Antonio et Octavio devicti ceciderunt. Florus, IV, 2. Prælium autem Philippense a Philippis, Macedoniæ urbe, dictum. — *Mocillam.* Ignotum cognomen. Quidam conjiciunt Motacillam, quod avis est nomen. Tzs. — *Samothraciam.* Fuit insula maris Ægæi, prope Thraciam, quæ tota olim

supportari jusserit. Difficile est omnia persequi, et non necessaria. Illud unum intelligi volumus, illius liberalitatem neque temporariam, neque callidam[4] fuisse. Id ex ipsis rebus ac temporibus judicari potest, quod non florentibus se venditavit[5], sed afflictis semper succurrit. Qui quidem Serviliam, Bruti matrem, non minus post mortem ejus, quam florente[6], coluerit. Sic liberalitate utens, nullas inimicitias gessit, quod neque lædebat quemquam, neque[7], si quam injuriam acceperat, malebat ulcisci, quam oblivisci. Idem immortali memoria percepta retinebat beneficia; quæ autem ipse tribuerat, tamdiu meminerat, quoad ille gratus erat, qui acceperat. Itaque hic fecit, ut vere dictum videatur: « Sui cuique mores fingunt fortunam[8]. » Neque tamen prius ille fortunam, quam se ipse, finxit: qui cavit, ne qua in re jure[9] plecteretur.

XII. His igitur rebus effecit, ut M. Vipsanius Agrippa[1], intima familiaritate conjunctus adolescenti Cæsari, quum, propter suam gratiam et Cæsaris potentiam, nullius con-

sacra habebatur, et hinc asylum præbebat. Hodie *Samodrachi*. Tzs.

4. *Neque temporariam, neque callidam*. Hujus munificentiam nec temporis causa fictam, nec captatricem extitisse. Courtin.

5. *Non florentibus se venditavit*. Nunquam usura vel gloriatione potentibus obsecutus est.

6. *Florente*. Alii *florentem*, oppositione minus concinna.

7. *Neque.... malebat ulcisci, quam oblivisci*. Alii aliter legunt. Sallustius vero similiter de priscis Romanis: « Accepta injuria, ignoscere, quam persequi malebant. » Jug. IX.

8. *Sui cuique mores fingunt fortunam*. Quis hanc sententiam primus apud Romanos ediderit, docet Sallustius, ad Cæsar. de ord. rep. Orat. I: « Sed res docuit id verum esse, quod in carmin. Appius ait: *Fabrum esse suæ quemque fortunæ*. »

9. *Jure plecteretur*. Erroris admissi merito pœnam daret.

Cap. XII. 1. *Vipsanius Agrippa*. Hic, ut fert Seneca Epist. XXI, Attici gener fuit. Et tres habuit uxores, quarum prima, Pomponia, Attici filia; altera Marcella, Octaviæ filia; tertia Julia, Aug. Cæsaris, ex qua Caium et Lucium Cæsares, Posthumum Agrippam, Agrippinam et Juliam habuit: dux quoque belli peritissimus, de quo Virg. Æneid. VIII, 682, sqq.:

Parte alia, ventis et dis Agrippa secundis,
Arduus, agmen agens; cui, belli insigne superbum,
Tempora navali fulgent rostrata corona.

Courtin.

ditionis non haberet potestatem, potissimum ejus deligeret affinitatem, præoptaretque equitis Romani filiam generosarum nuptiis. Atque harum nuptiarum conciliator fuit (non est enim celandum) M. Antonius triumvir reipublicæ constituendæ : cujus gratia quum augere possessiones posset suas, tantum abfuit a cupiditate pecuniæ, ut nulla in re usus sit ea, nisi in deprecandis amicorum aut periculis, aut incommodis. Quod quidem sub ipsa proscriptione perillustre fuit[2]. Nam quum L. Saufeii, equitis Romani, æqualis sui, qui cum eo complures annos, studio ductus philosophiæ[3], habitabat, habebatque in Italia pretiosas possessiones, triumviri bona vendidissent, consuetudine ea, qua tum res gerebantur ; Attici labore atque industria factum, ut eodem nuntio Saufeius fieret certior, se patrimonium amisisse et recuperasse. Idem L. Julium Calidum, quem, post Lucretii Catullique mortem[4], multo elegantissimum poetam nostram tulisse ætatem vere videor posse contendere, neque minus virum bonum, optimisque artibus eruditum, post proscriptionem equitum, propter magnas ejus Africanas possessiones, in proscriptorum numerum a P. Volumnio, præfecto fabrum Antonii, absentem relatum, expedivit. Quod in præsenti[5]

— *Nullius conditionis non haberet*, etc. Penes eum omne conjugium esset. Conditio autem verbum nuptiale; gallice, *parti*, *alliance*.

2. *Quod quidem sub ipsa proscriptione perillustre fuit.* Eo quod, quum certatim proscriptorum bona inter amicos suos triumviri dividerent, recusaverit Atticus, imo amicis adempta reddiderit.

3. *Philosophiæ.* Epicureæ scilicet, uti ex Ciceronis epistolis docti contendunt. Atticum vero Epicureum fuisse negat Ernstius.

4. *Post Lucretii Catullique mortem.* Lucretius, poeta insignis, et philosophus Epicureus, qui *de rerum natura* libros sex edidit. Catullus autem Veronensis, poeta mordax et lascivus, qui Syllæ Mariique ætate florebat. — *Præfecto fabrum Antonii.* Qui ab Antonio fabris, quibus in bello opus erat, quique machinas ædificant, ut curator operisque exactor fuerat præpositus. *Fabrum* autem, forma antiqua, pro *fabrorum*, et in hoc titulo solemnis. — *Expedivit.* Id est, proscriptorum numero eximendum curavit.

5. *In præsenti.* Tum temporis.

utrum ei laboriosius, an gloriosius fuerit, difficile fuit judicare; quod in eorum periculis non secus absentes, quam præsentes, amicos Attico esse curæ cognitum est.

XIII. Neque vero minus ille vir, bonus paterfamilias habitus est, quam civis. Nam quum esset pecuniosus, nemo illo minus fuit emax, minus ædificator[1]. Neque tamen non in primis bene habitavit, omnibusque optimis rebus usus est. Nam domum habuit in colle[2] Quirinali Tamphilanam, ab avunculo hereditate relictam; cujus amœnitas non ædificio, sed silva constabat. Ipsum enim tectum, antiquitus[3] constitutum, plus salis, quam sumptus, habebat: in quo nihil commutavit, nisi si quid vetustate coactus est. Usus est familia, si utilitate judicandum est, optima; si forma, vix mediocri: namque in ea erant pueri litteratissimi, anagnostæ optimi[4], et plurimi librarii; ut ne pedisequus quidem quisquam esset, qui non utrumque

Quæ quidem verba videntur languere, ideoque nonnulli hunc locum corruptum existimarunt. — *Attico esse curæ*. Hinc probatum fuit, Atticum eodem studio invigilare amicorum suorum, sive præsentium, sive absentium, saluti.

Cap. XIII. 1. *Minus fuit emax, minus ædificator*. Ex publica Attici vita ad privatam transit Nepos, cujus sententiæ suscribit Cic. Parad. VI, his verbis: « Non esse emacem, vectigal est. » Et Lacones, si cui mala imprecabantur, quatuor ipsi accidere optabant, quorum primum erat ædificandi desiderium. Locus extat apud Suidam. Court.

2. *In colle Quirinali*. Unus ex septem Romæ montibus, ubi templum Quirini erat. — *Tamphilanam*. A Tamphilo quodam Romano sic vocatam. — *Ab avunculo*. Q. Cæcilio scilicet, de quo supra, cap. V.

3. *Antiquitus*. More vetusto. Quo verbo in primis delectatur Tacitus, quippe qui undecies illud usurpaverit. Vide Annal. II, 56; XI, 5, etc. — *Plus salis, quam sumptus*. Plus elegantiæ, gratiæ, ob antiquitatis laudem, quam impensæ exhibebat. *Salis* autem mire et insolite ad domum transfertur.

4. *Anagnostæ optimi*. Lectores scilicet, ἀναγνῶσται, quorum officium erat tam in seriis studiis, quam inter epulas, librum aliquem perlegere. — *Librarii*. Servi in describendis et curandis libris apud Romanos adhibiti. Quorum tres nominat Cicero, epist. XIII, 44, Pharnacem scilicet, Antæum et Salvium. — *Pedisequus*. Apte ad vividam descriptionem litteratæ domus subjungit, quia in hoc certe nemo litterarum inscitiam culpet. Tzs. — *Utrumque horum facere*. Id

horum pulchre facere posset. Pari modo artifices[5] ceteri, quos cultus domesticus desiderat, apprime boni. Neque tamen horum quemquam, nisi domi natum, domique factum, habuit; quod est signum non solum continentiæ, sed etiam diligentiæ. Nam et non intemperanter concupiscere, quod a plurimis videas, continentis debet duci; et potius diligentia, quam pretio, parare, non mediocris est industriæ. Elegans, non magnificus; splendidus, non sumptuosus; omni diligentia munditiem, non affluentiam, affectabat. Supellex modica, non multa, ut in neutram partem conspici posset[6]. Nec hoc præteribo, quanquam nonnullis leve visum iri putem: quum in primis lautus[7] esset eques Rom. et non parum liberaliter domum suam omnium ordinum homines invitaret; scimus, non amplius, quam terna millia æris, peræque in singulos menses, ex ephemeride eum expensum sumptui ferre solitum. Atque hoc non auditum, sed cognitum prædicamus. Sæpe enim propter familiaritatem domesticis rebus interfuimus.

XIV. Nemo in convivio ejus aliud acroama[1] audivit, quam anagnosten: quod nos quidem jucundissimum arbi-

est, anagnostæ vel librarii munera obire.

5. *Artifices*. Ultra cultum intelligi non debent, verbi causa, funambuli, gladiatores, ut quidam faciunt. Tzs.

6. *Ut in neutram partem conspici posset*. Illustrat hoc in primis, ait Tzshucke, clarissimus locus Ovidii in Tristibus, II, 113, 114: « Domus neque divitiis, neque paupertate notanda, Unde sit in neutrum conspiciendus eques. » Id est, ut nec dives, nec pauper haberi, appellarique possit.

7. *Lautus*. Quod quidam ad divitias referunt, nexus de epulis vult intelligi, quod et confirmat Juvenalis, XI, in. Tzs. — *Terna millia æris*. V. cl. *Letronne*, *Considérations sur les monnaies Grecques et Romaines*. — *Ex ephemeride*. Ἐφημερίς, latine diurnum seu diarium, libellus seu commentarius diurnus, in quem acceptum et expensum cujusque diei referre solent.

Cap. XIV. 1. *Acroama*. Gr. ἀκρόαμα. Acroamata vocabantur, qui partim seriis, partim jocosis recitationibus, adjunctis etiam cantorum et tibicinum modulis, convivarum aures delectabant. Testatur Plinius, epist. VI, 31. Adde Gellium, III, 2. Cf. Ernesti Clav. Cic.

tramur. Neque unquam sine aliqua lectione apud eum cœnatum est; ut non minus animo, quam ventre[2], convivæ delectarentur. Namque eos vocabat[3], quorum mores a suis non abhorrerent. Quum tanta pecuniæ facta esset accessio[4], nihil de quotidiano cultu mutavit, nihil de vitæ consuetudine; tantaque usus est moderatione, ut neque in sestertio vicies, quod a patre acceperat, parum se splendide gesserit, neque in sestertio centies affluentius vixerit, quam instituerat, parique fastigio steterit in utraque fortuna. Nullos habuit hortos, nullam suburbanam, aut maritimam sumptuosam villam, neque in Italia, præter Ardeatinum et Nomentanum, rusticum prædium; omnisque ejus pecuniæ reditus[5] constabat in Epiroticis et urbanis possessionibus. Ex quo cognosci potest, eum usum pecuniæ non magnitudine, sed ratione, metiri solitum[6].

XV. Mendacium neque dicebat[1], neque pati poterat. Itaque ejus comitas non sine severitate erat, neque gravitas sine facilitate: ut difficile esset intellectu, utrum eum amici magis vererentur[2], an amarent. Quidquid rogabatur, religiose[3] promittebat; quod non liberalis, sed levis,

2. *Non minus animo, quam ventre*, etc. Sic de Platonis cœna Timotheus, homo clarus Athenis, et princeps civitatis, quum vidisset eum postridie: « Vestræ, inquit, cœnæ non solum in præsenti, sed etiam postero die jucundæ sunt. » Cicero, Tuscul. V, 35.

3. *Vocabat*, ad prandium invitabat. Ita Græci καλεῖν.

4. *Pecuniæ accessio*. Scilicet ex avunculi hereditate. Cf. supr. V. — *In sestertio vicies*. Vide *Letronne*, op. laud. — *Pari fastigio*, etc. Eumdem vitæ modum servaverit in utraque fortuna; nempe liberaliter adversa, non luxuriose secunda vixerit.

5. *Pecuniæ reditus*. Hinc gallice, *le revenu*. — *In Epiroticis*. Prope Thyamin fluvium, qui Thesprotiam et Cestrinem disterminat, Atticum habuisse villam amœnissimam colligunt interpretes Ciceronis. Vide Epist. ad Attic. VII, 2, et Jac. Palmerium, Græciæ II, 5.

6. *Metiri solitum*. Non quantum potuisset, sed quantum necesse esset, impensam faciebat.

Cap. XV. 1. *Mendacium neque dicebat*, etc. Ita de Epaminonda, III, prædicat: « Adeo veritatis diligens, ut ne joco quidem mentiretur. »

2. *Vererentur*. Venerarentur.

3. *Religiose*. I. e., caute, certa fide.

arbitrabatur, polliceri, quod præstare non posset. Idem in nitendo, quod semel annuisset[4], tanta erat cura, ut non mandatam, sed suam rem videretur agere. Nunquam suscepti negotii eum pertæsum est. Suam enim existimationem[5] in ea re agi putabat, qua nihil habebat carius. Quo fiebat, ut omnia Ciceronum, Catonis, Marii[6], Q. Hortensii, Auli Torquati, multorum præterea equitum Romanorum negotia procuraret. Ex quo judicari poterat, non inertia, sed judicio[7], fugisse reipublicæ procurationem.

XVI. Humanitatis vero nullum afferre majus testimonium possum, quam quod adolescens[1] idem seni Sullæ fuerit jucundissimus, senex adolescenti M. Bruto; cum æqualibus autem suis, Q. Hortensio et M. Cicerone, sic vixerit, ut judicare difficile sit, cui ætati fuerit aptissimus. Quanquam eum præcipue dilexit Cicero, ut ne frater

4. *In nitendo, quod semel annuisset.* Dum nitebatur, quæ semel annuisset, præstare. Aliæ ed. *admisisset* habent. Priorem vero lectionem antepono. Ita Virg. Æneid. XII, 187: « Sin nostrum *annuerit* nobis victoria martem; » et Horatius od. IV, 6: *Annuere* muros. — *Tanta erat cura.* In ablativo intelligi debet, propter *idem*, etsi paulo hoc est insolentius; minus tamen quam anacoluthon in *idém* pro *eidem* effingere.

5. *Existimationem.* Bonam scilicet famam. Conf. in Catone, II. — *Existimationem...agi.* Ita vero Cic. in Verr. VI, 51: « Aguntur injuriæ sociorum, agitur vis legum, *agitur existimatio* veritasque judiciorum. »

6. *Marii.* Uncis includunt, quia varie in libris legitur, fideque dubia, *M. que Hortensii*, *Marci Q. H.* vel *Marcique H.* Ex *Marci Q.* quum ineptum esset, et duo prænomina male jungeret, finxerunt *Marii*, qui tamen, Attico admodum adolescente, mortuus erat. Alii utrumque scriptum fuisse putant M. Q. ut præpositum nomini Ciceronum, post a sua sede motum, quam illi adeo assignavit Lambinus et quidam alii. Q. prænomen commode possit referri ad Hortensium, sed *Marii*, vel, ut est in libris, *Marci* male redundat. Hinc aliqui *M. Catonis*, *Q. Hortensii*, emendarunt. Illam vero cum Hortensio et Torquato amicitiam attigit, cap. V. et XI. Tzs.

7. *Sed judicio.* Scilicet prudentia. Testatur Cicero, Epist. I, 17.

Cap. XVI. 1. *Adolescens.* Agens annum 27, quum Sylla ageret 55. Post Atticus senex annorum 66; Brutus adolescens annorum 42. Tzs.

quidem ei Quintus carior fuerit aut familiarior. Ei rei sunt indicio, præter eos libros, in quibus de eo facit mentionem, qui in vulgus jam sunt editi, sexdecim volumina epistolarum [2], ab consulatu ejus usque ad extremum tempus ad Atticum missarum ; quæ qui legat, non multum desideret historiam contextam illorum temporum. Sic enim omnia de studiis principum [3], vitiis ducum, mutationibus reipublicæ perscripta sunt, ut nihil in iis non appareat ; et facile existimari possit, prudentiam quodammodo esse divinationem. Non enim Cicero ea solum, quæ vivo se acciderunt, futura prædixit [4]; sed etiam, quæ nunc usu veniunt, cecinit ut vates.

XVII. De pietate [1] autem Attici quid plura comme-

2. *Sexdecim volumina epistolarum.* Quidquid olim circumvolvi solebat in charta aut scripto codice, volumen dicebatur; id autem patet ex sexdecim epistolarum libris ad Atticum. COURTIN. — *Historiam contextam.* Gallice, *l'histoire suivie.*

3. *Principum.* Optimatum, in iisque Cæsaris, Pompeii et similium. Tzs. — *Ut nihil in iis non appareat.* Ut ibi omnia lucide inveniantur.

4. *Futura prædixit.* Pauca de multis exempla collegi augurii et vaticinii Ciceronis. Ep. VII, 11 : « Προθεσπίζω, noster Attice, non hariolans, ut illa, cui nemo credidit (*Cassandra scilicet*), sed conjectura prospiciens

Jamque mari magno.

Non multo, inquam, secus possum vaticinari : tanta malorum impendet Ἰλιάς. » Et VIII, 3 : « Et a me est (tute scis) propter suspicionem hujus impendentis tempestatis multo ante provisum. » Mox, VIII, 12 : « Scripseram eas litteras, quarum vaticinationem falsam esse cupio. » X, 8 : « Et tamen, mi Attice, auguria quoque me incitant quadam spe non dubia, non hæc collegii nostri ab Attio, sed illa Platonis de tyrannis. » Et statim : « Nos tamen hoc confirmamus illo augurio, quo diximus; nec nos fallit, nec aliter accidet. Corruat iste necesse est. » Idem, epistola ad Licinium Calvum, apud Nonium : « Præsentit animus atque augurat quodam modo, quæ futura sit suavitas. » SCHOTT. Ciceronem vero quis non mirabitur hisce verbis M. Antonio perniciem futuram minantem : « Quis autem meum consulatum, præter P. Clodium, qui vituperaret inventus est? cujus quidem te fatum, sicuti C. Curionem, manet; quoniam id domi tuæ est, quod fuit illorum utrique fatale. » Philip. II. — *Quæ nunc usu veniunt.* Quæ nunc accidunt. — *Cecinit.* Vox propria de oraculis, vatibus et poetis.

CAP. XVII. 1. *De pietate.* Hic in

morem? quum hoc ipsum vere gloriantem audierim in funere matris suæ, quam extulit[2] annorum nonaginta, quum esset septem et sexaginta, se nunquam cum matre in gratiam rediisse, nunquam cum sorore fuisse in simultate, quam prope æqualem habebat. Quod est signum, aut nullam unquam inter eos querimoniam intercessisse, aut hunc ea fuisse in suos indulgentia, ut, quos amare deberet, irasci eis nefas duceret. Neque id fecit natura solum, quanquam omnes ei paremus[3]; sed etiam doctrina. Nam et principum philosophorum ita percepta habuit præcepta, ut iis ad vitam agendam, non ad ostentationem[4], uteretur.

XVIII. Moris[1] etiam majorum summus imitator fuit, antiquitatisque amator: quam adeo diligenter habuit cognitam, ut eam totam in eo volumine exposuerit, quo magistratus ordinavit. Nulla enim lex, neque pax, neque bellum, neque res illustris est populi Romani, quæ non in eo, suo tempore, sit notata; et, quod difficillimum fuit,

propinquos vel necessitudines suas affectus notat *pietas*.

2. *Quam extulit*. Quam sepeliendam curavit. — *Se nunquam... in gratiam redisse*. Per metonymiam consequentis pro antecedente significatur, eum cum matre sine ulla controversia vixisse.

3. *Quanquam omnes ei paremus*. Sic olim Chrysippus clamitabat: Τὸ τέλος εἶναι ἀκολούθως τῇ φύσει ζῆν. Adde Senecam de Vita beat. III: « Interim, quod inter omnes Stoicos convenit, rerum naturæ assentior. Ab illa non deerrare, et ad illius legem exemplumque formari, sapientia est. »

4. *Non ad ostentationem*. Eorum instar, de quibus D. Hieronymus, epist. XXXIV: « Philosophus, gloriæ animal, et popularis auræ vile mancipium. »

Cap. XVIII. 1. *Moris*. Pro *morum*: ita autem solent scriptores. « Jugurtha ubi naturam Publii Scipionis, qui tum Romanis imperator erat, et *morem* hostium cognovit. » Sall. Jug. VII. « Nihil usquam prisci et integri *moris*. » Tac. A. I, 4. — *Volumine*. Inscripsit eum librum *Annalem*, ut noster indicavit in Hannibal. XIII; et sic in Cic. ad Att. XII, 23, appellatur, qui eum sæpe laudat, et septingentorum annorum memoriam continuisse affirmat. Tzs. — *Ordinavit*. Id est, disposuit, et, ut mox ipse loquitur Nepos, *suo quemque tempore notavit, ordine enumeravit*. Ita cum Vossio et Barthio malo legere, quam cum aliis *ornavit*.

sic familiarum originem subtexuit[2], ut ex eo clarorum virorum propagines possimus cognoscere. Fecit hoc idem separatim in aliis libris : ut M. Bruti[3] rogatu Juniam familiam a stirpe ad hanc ætatem ordine enumeravit, notans, qui, a quo ortus, quos honores, quibusque temporibus cepisset. Pari modo Marcelli[4] Claudii, Marcellorum; Scipionis Cornelii et Fabii Maximi, Fabiorum et Æmiliorum quoque : quibus libris nihil potest esse dulcius iis, qui aliquam cupiditatem habent notitiæ clarorum virorum. Attigit quoque poeticen : credimus, ne ejus expers esset suavitatis. Namque versibus, qui honore rerumque gestarum amplitudine ceteros Romani populi præstiterunt, exposuit; ita, ut sub singulorum imaginibus[5] facta magistratusque eorum non amplius quaternis quinisve versibus descripserit : quod vix credendum sit, tantas res tam breviter potuisse declarari. Est etiam unus liber, Græce confectus, de consulatu[6] Ciceronis. Hactenus, Attico vivo, edita hæc a nobis sunt.

2. *Subtexuit.* Eleganter, id est, inseruit, rerum summæ admiscuit. — *Propagines.* Metaphora ab arboribus ducta; gallice, *la généalogie.*

3. *M. Bruti.* Qui fuit ex gente Junia. Gens autem Junia una ex nobilissimis, quæ a Trojanis et Ænea originem sumpserant.

4. *Marcelli.* Scilicet *rogatu*, quæ vox proximis nominibus Scipionis et Fabii supplenda est, ut, in ceteris genitivis numeri pluralis, *familiam* ex superioribus repetere necesse est. Plutarchus *Marcellum* a Marte deducit. — *Fabiorum.* Qui suam originem ad Fabium, Herculis filium, referunt. Plutarchus, in Fabio Maximo. — *Æmiliorum.* Qui, teste Festo, ab Æmilio, Ascanii filio, se ortos celebrabant. Plutarchus vero in Paulo eos Mamerco, Numæ regis filio, natos fuisse scribit. Unde *Æmilii* pariter dicti sunt et *Mamertini.*

5. *Ut sub singulorum imaginibus.* Sub uniuscujusque effigie. « Imaginum amore flagrasse quondam testes sunt et Atticus ille Ciceronis, edito de his volumine, et Marcus Varro, benignissimo invento, insertis voluminum suorum fecunditati non nominibus tantum septingentorum illustrium, sed et aliquo modo imaginibus. » Plinius, Hist. nat. XXXV, 2. — *Credendum sit.* Notandus hic gerundii usus, illa ætate rarior. Tzs.

6. *Consulatu.* Quem gessit A. U. C. 690. Hunc librum Cicero ad Atticum, II, 1, *commentarium* vocat.

XIX. Nunc[1], quoniam fortuna nos superstites ei esse voluit, reliqua persequemur; et, quantum poterimus, rerum exemplis lectores docebimus, sicut supra significavimus, « suos cuique mores plerumque conciliare fortunam. » Namque hic contentus ordine equestri, quo erat ortus, in affinitatem pervenit imperatoris Divi filii[2]; quum jam ante familiaritatem ejus esset consecutus nulla alia re, quam elegantia vitæ, qua ceteros ceperat principes civitatis, dignitate pari, fortuna humiliore. Tanta enim prosperitas Cæsarem eum est consecuta, ut nihil ei non tribuerit fortuna, quod cuiquam ante detulerit; et conciliarit, quod civis Romanus quivit consequi[3]. Nata est autem[4] Attico neptis ex Agrippa, cui virginem filiam collocarat. Hanc Cæsar, vix anniculam[5], Tiberio Claudio Neroni, Drusilla nato, privigno suo, despondit : quæ conjunctio necessi-

Cap. XIX. 1. *Nunc*. Igitur, quæ sequuntur, scripta sunt post annum 721, quo mortuum esse Atticum ex ipso Nepote, cap. XXII, apparet. Tzs. — *Sicut supra significavimus*. Attico, XI : « Sui cuique mores fingunt fortunam. »

2. *Filii*. Abest *Julii* a multis libris; quare etiam a Bosio, aliisque, uncos attraxit. Contendunt autem viri docti, in primisque Bosius ex nummis et lapidibus evicit, *Divi* (i. e. Julii Cæsaris) *filium* proprium tunc fuisse cognomen Octaviani, antequam Augustus vocaretur. Neque tamen desunt nummi, in quibus *Julii* etiam additur, et vel Cæsaris nomen præcedit, vel Augusti sequitur. In utramque igitur partem de hoc nomine disputari possit, nec diversi regiminis genitivi moram faciunt. Vero est similius, per explicationem accessisse. Tzs. — *Elegantia vitæ*. Universi moris condecentia. — *Ceteros ceperat principes*. Syllam scilicet, Pompeium, Cæsarem, Antonium, Brutum et Ciceronem.

3. *Quod civis Romanus quivit consequi*. Quippe qui ex cive Romano potentissimus tyrannus evaserit.

4. *Nata est autem Attico*, non *ei*, indicant, excursu quasi confecto, Nepotem ad Atticum redire : antecedens igitur periodus de Cæsare, potius quam de Attico, intelligenda prorsus est. — *Neptis*. Quam Tacitus, Annal. I, 12, Vipsaniam; Suetonius in Tiberio, VII, Agrippinam vocat; ut patris (Vipsanii Agrippæ, cf. Attico, XII) non tantum nomen, sed et cognomen tulerit.

5. *Vix anniculam*. Vix unum annum natam. — *Tiberio Claudio Neroni, Drusilla nato*. Livia Drusilla duorum Neronum mater erat, qui prænomine Drusi, cognomine Tiberii, a se invicem discernebantur. Antiquus nummus : NERONI.

tudinem eorum sanxit, familiaritatem reddidit frequentiorem.

XX. Quamvis ante hæc sponsalia[1], non solum, quum ab urbe abesset, nunquam ad suorum quemquam litteras misit, quin Attico mitteret, quid ageret, in primis quid legeret, quibus in locis, et quamdiu esset moraturus; sed etiam, quum esset in urbe, et propter suas infinitas occupationes minus sæpe, quam vellet, Attico frueretur, nullus dies tamen temere intercessit, quo non ad eum scriberet: quum modo aliquid de antiquitate ab eo requireret; modo aliquam ei quæstionem poeticam proponeret; interdum jocans ejus verbosiores eliceret epistolas. Ex quo accidit, quum ædis Jovis Feretrii[2], in Capitolio ab Romulo con-

CLAUDIO. DRUSO. GERMAN. COS. DES. Et, NERO. CLAUDIUS. DRUSUS. GERMAN. IMP. Vide stemma domus Augusteæ, quod Tacito suo affixit quondam Justus Lipsius.— *Necessitudinem eorum sanxit.* Id est, confirmavit, stabilivit. Lambin. legendum putat *auxit.* Ernst.

Cap. XX. 1. *Sponsalia.* Futurarum scilicet nuptiarum promissionem. Gallice, *fiançailles.* — *Quin Attico mitteret.* Litteras scilicet, in quibus nuntiabat, quid ageret, etc. Ita Græci absolute ἐπιστέλλειν usurpant. — *Attico frueretur.* Attici scil. præsentia et colloquiis. — *Temere intercessit.* Id est, facile præteriit. — *Eliceret epistolas.* Occasione suppeditata rescribendi, litteras ei extorqueret prolixiores.

2. *Jovis Feretrii.* Jupiter ita cognominatus, quod arma et spolia hosti ablata in ejus templum ferrent, et istic consecrarent; vel a *ferendo* pacem, quum ex ejus templo sumerent sceptrum, per quod jurare, et lapidem silicem, quo ferire fœdus solebant. De quo, et causa conditi templi, vide Livium, I, 10; Florum I, 1; Valer Max. III, 2, 3. — *In Capitolio ab Romulo.* Qua de re præ aliis insigniter Livius, l. c.: « Romulus, duce hostium occiso, urbem primo impetu capit; inde exercitu victore ducto, ipse, quum factis vir magnificus, tum factorum ostentator haud minor, spolia ducis hostium cæsi suspensa, fabricato ad id apte feretro gerens, in Capitolium ascendit; ibique quum ea ad quercum pastoribus sacram deposuisset, simul cum dono designavit templo Jovis fines, cognomenque addidit Deo. « Jupiter Feretri, inquit, hæc tibi victor Romulus rex regia arma fero, templumque de his regionibus, quas modo animo metatus sum, dedico, sedem opimis spoliis, quo, regibus, ducibusque hostium cæsis, me auctorem sequentes posteri ferent. »

stituta, vetustate atque incuria detecta prolaberetur, ut, Attici admonitu, Cæsar eam reficiendam curaret. Neque vero ab M. Antonio minus absens litteris colebatur; adeo, ut accurate ille ex ultimis terris[3], quid ageret, curæ sibi haberet certiorem facere Atticum. Hoc quale sit, facilius existimabit is, qui judicare poterit, quantæ sit sapientiæ, eorum retinere usum benevolentiamque, inter quos maximarum rerum non solum æmulatio, sed obtrectatio tanta intercedebat, quantam fuit incidere necesse inter Cæsarem atque Antonium, quum se uterque principem non solum urbis Romanæ, sed orbis terrarum, esse cuperet.

XXI. Tali modo quum septem et septuaginta[1] annos complesset, atque ad extremam senectutem non minus dignitate, quam gratia fortunaque crevisset (multas enim hereditates nulla alia re, quam bonitate, est consecutus), tantaque prosperitate usus esset valetudinis, ut annis triginta medicina non indiguisset; nactus est morbum, quem initio et ipse et medici contempserunt: nam putarunt esse tenesmon, cui remedia celeria faciliaque proponebantur. In hoc quum tres menses sine ullis doloribus, præterquam quos ex curatione capiebat, consumpsisset; subito tanta vis

— *Detecta*. Tecto scilicet admodum corrupto.

3. *Ex ultimis terris*. Id est, ut interpretatur Manutius, ex Ægypto; alii legunt, *exul tum his terris*; quia hostis judicatus Antonius Italia cesserat; sed hanc lectionem minus probo. COURTIN.

CAP. XXI. 1. *Quum septem et septuaginta*. Qui est annus *climactericus* hebdomadicus magnus, ducto septenario in undecim: nam *climactericis* viros præstantissimos extinctos, veteres memoriæ monumentaque declarant. SCHOTTUS. — *Tantaque prosperitate*. Quam quidem nonnunquam interpellatam fuisse, Ciceronis epistolæ indicant. TZS. — *Nactus est*. Rarior hæc locutio, quæ tamen passim et alibi ad mala refertur. Sic Sueton. in Tito, *febrim nactus*. TZS. — *Tenesmon*. Græcorum τεινεσμὸς, quem sic describit Celsus, IV, 18: « In hoc æque atque in torminibus frequens desidendi cupiditas est; æque dolor, ubi aliquid excernitur. Descendunt autem pituitæ, mucisque similia. » Gallice, *la dyssenterie*. Manutius vero ex Nepotis subsequentibus verbis, *sine ullis doloribus*, tenesmon non fuisse, auctoritate Celsi, affirmat.

morbi in imum intestinum[2] prorupit, ut extremo tempore per lumbos fistula putris eruperit. Atque hoc priusquam ei accideret, postquam in dies dolores accrescere, febresque accessisse sensit, Agrippam generum ad se arcessiri jussit[3], et cum eo L. Cornelium Balbum, Sextumque Peducæum. Hos ut venisse vidit, in cubitum innixus : « Quantam, inquit, curam diligentiamque in valetudine mea tuenda hoc tempore adhibuerim, quum vos testes habeam, nihil necesse est pluribus verbis commemorare. Quibus quoniam, ut spero, satisfeci, me nihil reliqui fecisse, quod ad sanandum me pertineret ; reliquum est, ut egomet mihi consulam. Id vos ignorare nolui. Nam mihi stat alere morbum desinere : namque his diebus quidquid cibi sumpsi[4], ita produxi vitam, ut auxerim dolores sine spe salutis. Quare a vobis peto primum, ut consilium probetis meum ; deinde, ne frustra dehortando conemini. »

XXII. Hac oratione habita, tanta constantia vocis atque vultus, ut non ex vita, sed ex domo[1] in domum videretur migrare; quum quidem Agrippa eum flens atque osculans oraret atque obsecraret, ne ad id, quod natura cogeret, ipse quoque sibi accelleraret, et quoniam tum

2. *In imum intestinum.* Cui nomen *rectum.* Al. leg. *in unum.* — *Fistula putris eruperit.* Morbo, ut verisimile est, Atticus laboravit, quem vocamus *fistule stercorale.*

3. *Ad se arcessiri jussit. Ce Pomponius Atticus, à qui Cicero escript, estant malade, feit appeller Agrippa, son gendre, et deux ou trois aultres de ses amis, et leur dict, qu'ayant essayé qu'il ne gaignoit rien à se vouloir guarir, et que tout ce qu'il faisoit pour allonger sa vie, allongeoit aussi et augmentoit sa douleur, il estoit deliberé de mettre fin à l'une et à l'aultre, les priant de trouver bonne sa deliberation, et, au pis aller, de ne perdre point leur peine à l'en destourner. Montaigne, Essais, II,* 13.

4. *Quidquid cibi sumpsi.* Post *cibi* addunt quidem *potionisque ;* sed abest ab edit. princ. ann. 1470, et MSS. pluribus.

Cap. XXII. 1. *Domo.* Metaphora elegans, qua, vel simili, veteres utuntur. Plato ἀποδημεῖν, Paulus ἐκδημεῖν. Tzs. — *Acceleraret.* Heusingerus præposuit *sibi*, quod recepit Wetzelius, et, omisso *ad* ante *id*, Schmiederus. Nempe dativus, quem pro nexu vocant commodi vel incommodi, putatur. Nec teme-

quoque posset temporibus[1] superesse, se sibi suisque reservaret; preces ejus taciturna sua obstinatione depressit. Sic quum biduum cibo se abstinuisset, subito febris decessit, leviorque morbus esse cœpit[2]. Tamen propositum nihilo secius peregit. Itaque die quinto, postquam id consilium inierat, pridie kalend. April., Cn. Domitio, C. Sosio Coss. decessit[3]. Elatus est in lecticula[4], ut ipse præscripserat, sine ulla pompa funeris, comitantibus omnibus bonis, maxima vulgi frequentia. Sepultus est juxta viam Appiam[5], ad quintum lapidem, in monumento Q. Cæcilii, avunculi sui. *

re, licet repugnet Staverenus, quia, addicente usu, ferunt etiam editiones aliquæ veteres. Potest igitur vel addi, vel negligi, ita tamen forte, ut, si addatur, durius illud *ad* ante *id* absit. Tzs. — *Temporibus.* Aliquo vitæ spatio; ita Manut. intelligit. Tzschuck. ad vitæ terminos refert a natura constitutos, quos egredi vel contrahere inedia tentabat Atticus. — *Depressit.* Cum delectu, ut, quanta animi luctatione preces rejecerit, declararet. Tzs.

2. *Leviorque morbus esse cœpit. Or, ayant choisi de se tuer par abstinence, voylà sa maladie guarie par accident : ce remede, qu'il avoit employé pour se desfaire, le remet en santé. Les medecins et ses amis, faisants feste d'un si heureux evenement, et s'en resiouissants avecques luy, se trouverent bien trompez; car il ne leur feut possible pour cela de luy faire changer d'opinion, disant qu'ainsi comme ainsi, luy falloit il, un iour, franchir ce pas, et qu'en estant si avant, il se vouloit oster la peine de recommencer une aultre fois. Cettuyci, ayant recogneu la mort tout à loisir, non seulement ne se descourage pas au ioindre, mais il s'y acharne; car estant satisfaict en ce pourquoy il estoit entré en combat, il se picque par braverie d'en veoir la fin : c'est bien loing au dela de ne craindre point la mort, que de la vouloir taster et savourer. Montaigne, Essais, II,* 13.

3. *Decessit.* Anno U. C. 721. Triennio natus erat Atticus ante Tullium Ciceronem, cui undecim annos superstes fuit.

4. *In lecticula.* Adi Kirchmann, de funer. II, 9. *Lecticula* scilicet funebri, nobiliores et ditiores; ceteri *sandapila* efferebantur. Vide Pignorium, de servis, p. 273. — *Omnibus bonis.* De optimatibus, nobilibus explicatur. Sed et proprie de probis omnino intelligi potest. Prius tueatur *vulgi.* Tzs.

5. *Viam Appiam.* Ab Appio Claudio consule lapidibus, Capuam usque, stratam. Sepulturis hæc via inclaruit. Intra urbem enim, per duodecim tabularum legem et pontificum decreta, sepelire tunc temporis non licebat. Quam legem his verbis refert Cicero, de Legibus, II : « Hominem mortuum in urbe ne sepelito, neve urito. » — *In monumento Q. Cæcilii.* Cujus hereditatem crevit ex dodrante, domum-

que habitavit, et sepulcrum moriens tenuit, quam et ÆTERNAM DOMUM vocari in vett. inscriptionibus, litteratisque lapidibus, animadvertere licet. SCHOTTUS. De illustribus aliquot sepulcris in via Appia vide Gronovium, de Pec. vet. p. 16, et Severanum, lib. III, c. 2, Romæ subterraneæ. BOSIUS.

* Attici meminere Cic. passim et fere ubique; Senec. Epist. XXI, et sæpius; Plin. Nat. Hist. XXXV, 2; Varro, de Re rust. II, 2; Suet. Tiber. VIII; de Illustr. grammat. XIX; atque apud nos præsertim *Montaigne*, *Essais*, *II*, 13; *Charron*, *de la Sagesse*, *III*, 4; *Sarrazin*; *Voiture*; *Balzac*; *Mongault*, etc.



CORNELII NEPOTIS

FRAGMENTA

QUÆ REPERIRI POTUERUNT OMNIA.

CORNELII NEPOTIS
FRAGMENTA[1].

CHRONICORUM
LIB. I.

I. De Homero et Hesiodo inter omnes fere scriptores constitit, utrumque vixisse ante Romam conditam, ut Cornelius Nepos in primo Chronicorum de Homero dixit, annis circiter centum et sexaginta[2]. *Gellius*, *XVII*, 21, 3.

Nepoti et Lutatio Romam placet conditam Olympiadis septimæ anno secundo. *Solin. cap. II.*

Archilochum Nepos Cornelius tradit, Tullo Hostilio Romæ regnante[3], jam tunc poematis clarum et nobilem. *Gellius*, *XVII*, 21, 8.

Cap. I. 1. *Fragmenta*. Collegit ea primum Schottus, dein emendavit Bosius, auxit denique Jac. Fr. Heusinger. Brevissimas vero his notas subjecimus, quia non ipsa sunt et sola Nepotis verba, sed vel varie inflexa, vel accessionibus forte subinde aucta. — *Chronicorum*. Tribus hæc libris complexus erat, qui a pluribus veterum memorantur. Hinc vero ad Nepotem Catullus, epigr. I:

Omne ævum tribus explicare chartis,
Doctis, Jupiter! et laboriosis. Tzs.

2. *Centum et sexaginta*. Freculphus tamen, Chron. tom. I, lib. III, c. 7, diversa ex Nepote refert sic: « Homerus poeta in Græcia claruit, ut testatur Apollodorus grammaticus, ante urbem conditam anno centesimo vicesimo quarto, et, ut ait Cornelius Nepos, ante olympiadem primam anno centesimo. » Quæ discrepantia, ni velis ipsum Nepotem diversas auctorum sententias apposuisse, ex confusis auctoribus et numerorum notis LX et XL facile intelligitur. Tzs.

3. *Tullo Hostilio Romæ regnante*. Ergo anno U. C. 81 - 113. Cicero autem Archilochum, regnante Romulo, vixisse refert. — *Poematis*. Forma in his nominibus non infrequens, ut *epigrammatis*, *schematis*, pro terminatione in *ibus*. Tzs.

M. Manlius Romæ, qui Gallos in obsidione Capitolii obrepentes per ardua depulerat, convictus est consilium de regno occupando iniisse, damnatusque capitis, e saxo Tarpeio, ut M. Varro ait, præceps datus est; ut Cornelius autem Nepos scriptum reliquit, verberando necatus est. *Gellius, ibid. n.* 24.

Alexander Magnus Pellæ oritur[4], ut Nepos edidit, M. Fabio Ambusto, Tito Quinctio Capitolino Coss., post Romam conditam anno trecentesimo octogesimo quinto. *Solin. Polyhist. c. XL.*

P. Terentius[5] maxime familiariter vixit cum Scipione Africano, et C. Lælio, etc., quamvis Cornelius Nepos æquales fuisse tradat. *Donatus, in vita Terentii.*

CORNELII NEPOTIS

EXEMPLORUM LIB. II.

II. A virgine Vestale[1]. *Sosipater Charisius, lib. I, col.* 119. *Putsch.*

LIB. V.

Cornelius Nepos in libro exemplorum quinto id quoque litteris mandavit, multis in senatu placuisse, ut ii, qui redire nollent, datis custodibus ad Hannibalem deduce-

4. *Pellæ oritur.* Hinc Juvenalis, X, 168:
Unus Pellæo juveni non sufficit orbis.
— *Anno trecentesimo, etc.* At consules illi fuerunt A. U. 403, Caton. Cf. Livium, VII, 18. Imo illo anno, qui hic vulgo notatur, nulli fuerunt consules, sed tribuni militum consulari potestate. Error videtur esse Solini male describentis. Alexander autem vulgo anno urb. cond. 398 natus creditur. Tzschucke.

5. *Terentius.* Comicorum Latinorum princeps, natione Afer, patria Carthaginiensis. Vide Cic. in Lælio, ubi Terentium familiarem suum vocat Lælius. — *Æquales.* Quin potius utroque major natu Terentius. Ne igitur, cum vitæ Terentii auctore, de eodem nativitatis anno strictius intelligas.

Cap. II. 1. *Vestale.* Ita, non *Vestali* cum Wetzelio. Nempe ideo hoc exemplum attulit Charisius,

rentur; sed eam sententiam numero plurium, quibus id non videretur, superatam; eos tamen, qui ad Hannibalem non redissent, usque adeo intestabiles[2] invisosque fuisse, ut tædium vitæ ceperint, necemque sibi consciverint. *Gellius, VII, 18, 11.*

CORNELII NEPOTIS

ILLUSTRIUM VIRORUM LIB. II.

III. Subinde. *Charisius, lib. II, col.* 195.

LIB. XV.

Harum partum[1]. *Charis. lib. I, col.* 114.

LIB. XVI.

A fratre patruele. *Charis. lib. I, col.* 113.

INCERTA

QUO LIBRO VIRORUM ILLUSTRIUM

POSITA.

CARTHAGO antea speciem habuit duplicis oppidi

ut doceret, ablativum in *e* desinere, quando non de re, sed de persona dicitur; eamque lectionem viri docti ex linguæ usu probandam esse docuerunt, etsi ille quibusdam minime perpetuus est visus. Tzs.

2. *Intestabiles.* Proprie qui nec testimonium edere, nec testamentum facere possunt; hinc latiori sensu detestabiles, abjecti: quo sensu intelligitur in legibus duodecim tabularum, tab. VII; Horat. Satyr. II, 3, 181. Ipsa res, quæ spectatur, accidit post cladem Cannensem, A. U. 537, uti discitur ex Gellio in præcedentibus, et Cicerone, de Offic. I, 13; III, 32. Tzs.

CAP. III. 1. *Partum* pro partium. Similia exempla ex Cæsare, in Analog., et Ennio, addit Sosipater Char.

2. *Aliud* pro alterum.—*Magalia.* Alii *Magaria* volunt. De quo conf. ad Melam, I, 8, 3. Notum utrumque nomen, *Byrsa* et *Magalia*, ex

quasi aliud[2] alterum amplecteretur : cujus interior pars Byrsa dicebatur, exterior Magalia. Hujus rei testis est Cornelius Nepos in eo libro, qui Vita Illustrium inscribitur. *Servius, ad Æn. I*, 372.

Propius[3] Grammatico accessi. *Diomedes, lib. I Grammat. col.* 405.

A. Albinus, qui cum L. Lucullo consul[4] fuit, res Romanas oratione Græca scriptitavit. In ejus historiæ principio scriptum est ad hanc sententiam : Neminem succensere sibi convenire, si quid in his libris parum composite, aut minus eleganter scriptum foret. « Nam sum, inquit, homo Romanus, natus in Latio : Græca oratio a nobis alienissima est. » Ideoque veniam gratiamque malæ existimationis, si quid esset erratum, postulavit. Ea quum legisset M. Cato[5] : « Næ tu, inquit, Aule, nimium nugator es, quum maluisti culpam deprecari, quam culpa vacare. Nam petere veniam solemus, aut quum imprudentes erravimus, aut quum compulsi peccavimus. Tibi, inquit, oro te, quis perpulit, ut id committeres, quod priusquam faceres, peteres, ut ignosceretur. » Scriptum hoc est in libro Cornelii Nepotis de Illustribus viris. *Gellius, XI*, 8*; et Macrob. Saturn. procem. extr.*

CORNELII NEPOTIS

LIB. I DE VITA CICERONIS

IV. Cornelius Nepos et rerum memoriæ non indiligens, et M. Ciceronis, ut qui maxime, amicus familiaris-

Virgil. Æneid. I, 371 et 425:
Mercatique solum, facti de nomine *Byrsam*.
Miratur molem AEneas, *magalia* quondam.

3. *Propius Grammatico.* Nempe voluit hinc docere, *propius* etiam dativo jungi. Ita Cic. ad Att. I, 14: « Proximus Pompeio sedebam. »

4. *Consul.* A. U. 601 s. Caton. De Albino testis accedit Cicero in Bruto, XXI : « A. Albinus, inquit, qui Græciæ scripsit historiam, qui consul cum L. Lucullo fuit, etc. » Ipsam rem testantur et alii. Tzs.

5. *Cato.* Viri docti putant, de-

que fuit. Atque is tamen in primo librorum, quos de vita illius composuit, errasse[1] videtur, quum eum scripsit tres et viginti annos natum primam causam judicii publici egisse, Sextumque Roscium, parricidii reum, defendisse. *Gellius*, *XV*, 28, *pr.*

Frustra Tullium suspicimus. Refert enim Cornelius Nepos, se præsente, iisdem[2] pene verbis, quibus edita est, eam pro Cornelio, seditioso Tribuno, defensionem peroratam. *Hieronymus*, *epist. LXXI ad Pammachium*, *c.* 4.

CORNELII NEPOTIS

LIBER I EPISTOLARUM AD CICERONEM.

V. Tantum abest, ut ego magistram[1] esse putem vitæ philosophiam, beatæque vitæ perfectricem, ut nullis magis existimem opus esse magistris vivendi, quam plerisque, qui in ea disputanda versantur. Video enim magnam partem eorum, qui in schola de pudore et continentia præcipiant argutissime, eosdem in omnium libidinum cupiditatibus vivere. *Lactantius*, *Div. instit. III*, 15, 10.

M. TULLII CICERONIS

AD CORN. NEPOTEM EPISTOLARUM LIB. II.

Itaque nostri, quum omnia, quæ dixissemus, dicta es-

prompta hæc esse ex M. Catonis vita, quæ partem libri de Viris illustribus fecerat, supra memorati.

Cap. IV. 1. *Errasse.* Recte judicat Gellius. Nempe Cicero, Cæpione et Serrano consulibus (A. U. 646, Cat.) natus, Roscium defendit Sulla et Metello consulibus (A. U. 672); igitur tunc natus annos 27. Tzs.

2. *Iisdem.* Quod contra fertur de Miloniana, etsi et hic dubitationem injicit Plinius, epist. I, 20; qui affirmat Ciceronem, quæ per plures dies latius dixerit, post recisa ac purgata in unum librum, grandem quidem, unum tamen, coarctasse. Fragmenta ejus servavit Asconius Pedianus. Tzs. E Schotti comment.

Cap. V. 1. *Tantum abest, ut ego magistram*, etc. Hæc scripsisse vide-

sent; quæ facete et breviter et acute[2] locuti essemus, ea proprio nomine appellari *dicta* voluerunt. *Macrob. Saturn. lib. II, c.* 1.

AD EUMDEM EX LIBRO INCERTO.

Hoc restiterat etiam, ut a te fictis aggrederer[3] donis. *Priscian. Gramm. lib. VIII, col.* 792.

Qui habet[4], ultro appetitur; qui est pauper, aspernatur. *Id. eod. loc.*

Quid? oratorum quem huic[5] antepones eorum, qui nihil aliud egerunt? quis sententiis aut acutior aut crebrior? quis verbis aut ornatior aut elegantior? *Suet. in Cæs. c. LV.*

Ut Tullius docet, crudelitatis increpans Cæsarem in quadam ad Nepotem epistola. Neque enim quidquam aliud est felicitas, inquit, nisi honestarum rerum prosperitas; vel, ut alio modo definiam, felicitas est fortuna adjutrix consiliorum bonorum: quibus qui non utitur, felix nullo pacto esse potest. Ergo in perditis impiisque consiliis, quibus Cæsar usus erat, nulla potuit esse felicitas; feliciorque meo judicio Camillus exulans[6], quam temporibus

tur, ut contradiceret his Cic. verbis: « O vitæ philosophia dux! o virtutis indagatrix! » etc. Tuscul. quæst. V, 2; et, « in eo *magistra vitæ* tot sæcula permaneret philosophia. » Ex iisdem quæst. II, 5.

2. *Quæ facete et breviter et acute.* Ciceronem constat natura sua jocularibus scommatibus valde delectatum fuisse. Hinc eum invidi consularem scurram dictitabant.

3. *Aggrederer.* Passive, non sine aliorum exemplis, licet raris. Sic infra *aspernatur.*

4. *Qui habet.* Id est, dives homo, ὁ ἔχων. Vid. Lamb. Bos. de Ellips. Gr.

5. *Huic.* Cæsari, de quo agitur in Suetonii loco. Idem Cicero, Brut. LXXI, oratores enumerans, negat se videre, cui cedere debeat Cæsar; atque eum elegantem, splendidam quoque, imo magnificam, ac generosam rationem dicendi tenere. Et Atticus, ibid., ita judicabat, illum omnium fere oratorum Latine loqui elegantissime.

6. *Camillus exulans.* Ille et alter Romulus dictus fuit, propterea quod, ad internecionem deletis Gallis, qui urbem incenderant, et Capitolium

iisdem Manlius, etiamsi, id quod cupierat, regnare potuisset. *Ammian. Marcell. lib. XXI extr.*

Hæc quidam[7], veterum formidantes, cognitiones actuum variorum, stylis uberibus explicatas, non edidere superstites, ut in quadam ad Cornelium Nepotem epistola Tullius quoque, testis reverendus, affirmat. *Ammian. Marcell. lib. XXVI, princ.*

Sententiæ illius Tullianæ ignarus, docentis, infelices esse eos, qui omnia sibi licere existimarunt. *Ammian. Marcell. lib. XXVI, extr.*

IDEM AD ATTICUM

DE NEPOTE.

Nepotis epistolam expecto. Cupidus ille meorum, qui ea, quibus maxime γαυριῶ, legenda non putet? Et ais μετ'ἀμύμονα[8]. Tu vero ἀμύμων, ille quidem ἄμβροτος. *Lib. XVI, ep. 5.*

Male narras de Nepotis filio. Valde mehercule moveor, et moleste fero. Nescieram omnino, esse istum puerum. *Ibid. epist. 14.*

obsidebant, rempublicam Romanam restituit. De quo vide Val. Max. V, 3, 2. COURTIN. — *Manlius.* Qui, ob defensum Capitolium, Capitolinus dictus est, et domum in Capitolio publice accepit. Hunc tamen affectatæ tyrannidis postea damnatum e rupe Tarpeia præcipitem dederunt; domus diruta et bona ejus publicata. Hunc non præcipitem datum, sed verberibus necatum refert Nepos, fragm. Chronicorum, I.

7. *Hæc quidam.* Sensum verborum, in hoc fragmento, non ipsa verba esse, facile quis sentit. Ceterum, quod apparet, temere hic aliqua Nepotis fragmentis annumerantur. TZS.

8. Μετ' ἀμύμονα. Respicit locum Homeri, Il. II, 674; eumque ad Nepotis laudem sic transfert, ut ἀμύμονα Atticum esse, Nepotem plane *divinum* affirmet. Sed forte, ut volunt, est Q. Metellus Nepos.

CORNELII NEPOTIS

FRAGMENTA

INCERTA PARTIM QUO LIBRO POSITA, PARTIM QUIBUS VERBIS CONCEPTA.

VI. NEPOS auctore certo comperisse se ait, C. Lælium quondam in Puteolano Kalend. Martiis[1], admonitum ab uxore, temperius ut discumberet, petiisse ab ea, ne interpellaretur; serius tandem ingressum triclinium dixisse, non sæpe in scribendo magis successisse sibi; deinde rogatum, ut scripta illa proferret, pronuntiasse versus, qui sunt in Ἑαυτοντιμωρουμένῳ : *Satis pol proterve me Syri promissa huc induxerunt. Donatus, in vita Terentii.*

L. Otacilius Pilitus, rhetoricam professus, Cn. Pompeium Magnum docuit, patris ejus res gestas, nec minus ipsius, compluribus libris exposuit : primus omnium libertinorum, ut Cornelius Nepos opinatur, scribere historiam orsus, non nisi ab honestissimo quoque scribi solitam. *Sueton. de Clar. rhet. c. III.*

Cornelius Nepos in libello, quo distinguit litteratum ab erudito[2], litteratos vulgo quidem appellari ait eos,

CAP. VI. 1. *Kalendis Martiis.* Quibus *matronalia* pro conjugii conservatione celebrabantur. TZS. — *Temperius.* Alii *temporius* habent, quod recentius; ceterum comparativus a *tempore.* — In Ἑαυτοντιμωρουμένῳ. Terentii, IV, 4, 1. TZS.

2. *Litteratum ab erudito.* Tenenda sunt hæc ad notanda vocabulorum affinium discrimina, inprimis de grammatici sensu antiquo, qui ex Cicerone etiam et Suetonii libello, unde hæc ducta sunt, notus esse aut disci potest. Cf. tamen Ernesti clav. Cic. his voc. Ceterum initium fragmenti, ex emendatione Casau-

qui aliquid diligenter et acute scienterque possint aut dicere, aut scribere; ceterum proprie sic appellandos poetarum interpretes, qui a Græcis γραμματικοὶ nominentur. *Sueton. de Illustr. grammat. c. IV.*

VII. Præter physicos, Homerumque, qui universum orbem mari circumfusum esse dixerunt, Cornelius Nepos, ut recentior[1], ita auctoritate certior. Testem autem rei Q. Metellum Celerem adjicit, eumque ita retulisse commemorat: Quum Galliæ[2] proconsul præesset, Indos quosdam a rege Boiorum[3] dono sibi datos; unde in eas terras devenissent, requirendo cognosse, vi tempestatum ex Indicis æquoribus abreptos, emensosque, quæ intererant, tandem in Germaniæ littora exiisse. *Pompon. Mela, III, 5, extrem., et Plin. N. H. lib. II, c. 67.*

Largitudo[4]. *Charis. lib. I, col. 78.*

boni codicisque, ita etiam exhibetur: « Cornelius Nepos libello quodam distinguit. » Tzs.

Cap. VII. 1. *Ut recentior.* Locus hic non una facie in editionibus Melæ apparet. Codices plerique *ut recentior auctoritate, sic certior,* meliores *ut recentior, ita auctoritate certior;* quod prætuli. Nempe *auctoritate certior* per accommodationem ad *Nepos* ex inversione valet, certiori auctoritate, id est, fide, testimonio. Quod post *certior* vulgo hic inseritur *tradit,* quum soli Vadiano debeatur, et sine eo sensus loci expediri possit, nunc expuli. Tzs.

2. *Galliæ.* Ita nunc dedi pro *Galliis,* quia id præeunt codices, repetit Plinius, II, 67, et res ipsa suadet. Uti enim constat ex Ciceronis orat. pro Murena, XX, obtigerat illi Gallia Cisalpina, Transalpina Murenæ. Incidit autem in A. U. 690; quia prætor fuerat Cicerone consule, A. 689. Consul factus est A. U. 691. Tzs.

3. *Boiorum.* Ita nunc dedi pro *Bætorum,* quod hoc nomen plerorumque codicum indiciis propioribus infertur; etsi in magna illorum inconstantia et diversitate, aliorumque auctorum silentio, pro lectionis ejus fide spondere nolim. Quod enim Plinius, II, 67, ubi hanc Melæ vel Nepotis narrationem repetit, habet *Suevorum,* a Melæ codicibus plane est alienum. Lectioni *Bætorum,* id est, Batavorum, uti explicatur, obstat, quod nemo veterem illo tempore regem iis tribuit, cui parebant Boii, qui, etsi mediterranei fuerunt, Indos tamen illos nancisci et sic dono dare potuerunt. Tzs.

4. *Largitudo.* Hanc vocem ideo produxit Charisius, ut moneret nusquam nisi apud Nepotem inveniri. « *Largitudo* nusquam invenitur,

Eudoxus quidam, avorum nostrorum temporibus, quum Lathurum[5], regem Alexandriæ, profugeret, Arabico sinu egressus, per hoc pelagus, ut Nepos affirmat, Gades usque pervectus est. *Mela*, *III*, 9; *Plin. II*, 67.

Paphlagonia insignis loco Heneto, a quo, ut Cornelius Nepos perhibet, Paphlagones in Italiam transvecti, mox Veneti sunt nominati. *Solinus*, *c.* 44, *ex Plinio*, *VI*, 2.

Fauces Oceani T. Livius ac Nepos Cornelius latitudinis tradiderunt, ubi minimum, VII M. pass.; ubi vero plurimum, X M. *Plinius*, *III*, *procemio*.

Melpum opulentia præcipuum, quod ab Insubribus, et Boiis, et Senonibus deletum esse eo die, quo Camillus Veios ceperit[6], Nepos Cornelius tradit. *Plinius*, *eod. libr. c.* 17, *extr.*

Ultra Aquileiam VI M. pass. Formio amnis, ab Ravenna CLXXXIX M. pass., antiquus auctæ Italiæ terminus, nunc vero Istriæ : quam cognominatam a flumine Istro in Hadriam effluente e Danubio amne, eidemque Istro ex adverso Padi fauces, contrario eorum percussu mari interjecto dulcescente[7], plerique dixere falso, et Nepos Cornelius etiam, Padi accola. *Plin. III*, 18.

VIII. Alpes in longitudinem X M. pass. patere a supero mari ad inferum, Cælius tradit; Timagenes, XXII M. pass. deductis : in latitudinem, Cornelius Nepos centum M., T. Livius tria M. stadiorum, uterque diversis in locis. *Plin. III*, 19.

Inter duos Bosporos, Thracium et Cimmerium, di-

nisi apud Nepotem. » Char. l. c.

5. *Lathurum*. Ptolemeum Lathurum. Ipsum hoc nomen, in omnibus Melæ Mstis varie deformatum, vindicant nostro Plinius, II, 67; et Strabo, XVII, p. 795, edit. Paris. TZSCHUCK.

6. *Veios ceperit*. A. U. 359. Cf. Liv. V, 21; Plin. XXXIII, 7, etc.

7. *Dulcescente*. Cf. Melæ II, 44. Sed tota illa de hoc effluvio narratio satis ab aliis, ipsa re hortante, explosa est. Tzs. — *Et Nepos Cornelius etiam*. Uncis *Cornelius* a multis includitur, quum a libris quibusdam, Chiflet. præsertim, absit.

recto cursu, ut auctor est Polybius, IↃ M. passuum intersunt; circuitu vero totius Ponti, vicies semel centena quinquaginta M., ut auctor est Varro, et fere veteres. Nepos Cornelius trecenta millia quinquaginta adjicit. *Plin. IV*, 12.

In ora Oceani, colonia Augusti, Julia Constantia... Et ab ea XXXII M. pass. colonia, a Claudio Cæsare facta, Lixos. Ibi regia Antæi, certamenque cum Hercule, et Hesperidum horti... Extat in ea et ara Herculis, nec præter oleastros aliud ex narrato illo aurifero nemore. Minus profecto mirentur portentosa Græciæ mendacia, de iis et amne Lixo prodita, qui cogitent, nostros nuper paulo minus monstrifica quædam de iisdem tradidisse: prævalidam hanc urbem, majoremque Carthagine magna; præterea ex adverso ejus sitam[1], et prope immenso tractu ab Tingi; quæque alia Cornelius Nepos avidissime credidit. *Plin. V*, 1.

Aliqui inter Pontum et Caspium mare CCCLXXV M. pass. non amplius interesse tradiderunt; Cornelius Nepos CCL millia. *Plin. VI*, 11.

Polybius in extrema Mauritania contra montem Atlantem a terra stadia octo abesse prodidit Cernen[2]. Nepos Cornelius ex adverso maxime Carthaginis a continente passus mille; non ampliorem circuitu duobus millibus. *Plinius*, *VI*, 31.

Nepos Cornelius, qui divi Augusti principatu obiit, me, inquit, juvene violacea purpura[3] vigebat, cujus libra de-

CAP. VIII. 1. *Ex adverso ejus sitam.* E regione, vel ex opposito maximæ Carthaginis. Eodem sensu apud Virgilium legas *contra*: « Carthago Italiam *contra*. » Æneid. I, 13.

2. *Cernen.* Nonnulli *Maderam*, alii *Gratiosam* insulam esse putant.

3. *Violacea purpura.* Græcis, uti interpretantur viri docti apud Polybium, XXXIX, 1, Θαλαττία, quæ pretiosior Tyria. De variis purpuræ generibus vide Cælium, Bayfium, et Salmasium, qui omnium accuratissime, in notis ad Tertullianum de Pallio, scripsit. Purpura autem violacea tingebatur circa littora

nariis centum venibat; nec multo post rubra Tarentina. Huic successit dibapha[4] Tyria, quæ in libras denariis mille non poterat emi. Hac P. Lentulus Spinther, ædilis curulis, primus in prætexta usus improbabatur: qua purpura quis non jam, inquit, tricliniaria[5] facit? *Plin. IX*, 17 *et* 39.

Onychem[5] etiam tum in Arabiæ montibus, nec usquam aliubi, nasci putavere nostri veteres; Sudines[6] in Germania, potoriis vasis inde factis primum, dein pedibus lectorum sellisque. Cornelius Nepos tradit, magno fuisse miraculo, quum P. Lentulus Spinther amphoras ex eo et urceos magnitudine cadorum ostendisset; post quinquennium deinde, triginta duorum pedum longitudine columnas vidisse se. *Plinius*, *XXXVI*, 7.

IX. Νέπως δὲ Κορνήλιος[1], οὐχ ὑπὸ γήρως, φησὶν, οὐδὲ νόσου παραλλάξαι τὸν Λούκουλλον, ἀλλὰ φαρμάκοις ὑπό τινος τῶν ἀπελευθέρων Καλλισθένους διαφθαρέντα· τὰ δὲ φάρμακα δοθῆναι μὲν, ὡς ἀγαπῷτο μᾶλλον ὁ Καλλισθένης ὑπ' αὐτοῦ, τοιαύτην ἔχειν δοκοῦντα τὴν δύναμιν· ἐκστῆσαι δὲ καὶ καταλύσαι τὸν λογισμὸν, ὥστ' ἔτι ζῶντος αὐτοῦ τὴν οὐσίαν διοικεῖν τὸν ἀδελφόν.

« Cornelius Nepos ait, non senio, neque morbo alienata

Africæ, quæ puniceum succum emittebat. Vide eumdem Salmasium, loco citato. Adde Octav. Ferrarium, de Re vestiaria, præcipue, II, 7.

4. *Dibapha*. Purpura, quæ bis tingebatur. Magistratuum vestis; unde Cic. ad Attic. II, 9: « Vatinii strumam sacerdotii διβάφῳ vestiant. »

5. *Tricliniaria facit*. Id est, accubitalia, quibus lecti tricliniares sternuntur.

6. *Onychem*. Notum est omnibus onychem esse gemmæ cujusdam genus, humani unguis candorem referentis. Plin. XXXVI, 5. Est etiam onyx marmoris genus, in montibus Arabiæ præcipue nascens, postea etiam in Germania inventum. Auctor idem Plin. XXXVI, 7 et 8. Ex hoc marmore fiebant olim pretiosissima pavimenta; unde Martialis, XII, 50:

Calcatusque tuo sub pede lucet onyx. Court.

7. *Sudines*. Vetus scriptor, quem passim memorat Plinius. Pro Germania alii *Carmania* legunt.

Cap. IX. 1. Νέπως δὲ Κορνήλιος, etc. Hac de re conferri utiliter potest Plutarchus in libello, cui titulus, Εἰ πρεσβυτέρῳ πολιτευτέον.

mente fuisse Lucullum, sed a quodam liberto Callisthene venenis corruptum; datum autem esse venenum, ut Callisthenes impensius ab eo diligeretur, quod ejusmodi vi pollere id putaret; ita vero alienasse et solvisse mentem ejus, ut adhuc viventis facultates frater procuraret. » *Plutarch. in Lucull. cap.* 43.

Νέπως ὁ Κορνήλιος φησὶν, οὐ Κράσσου, Βρούτου δὲ θριαμβεύσαντος ἀπὸ Λουσιτανῶν θυγατέρα γῆμαι Γαΐον.

Cornelius Nepos, non Crassi, sed Bruti ejus, qui de Lusitanis triumphavit, filiam nuptum Caio (Graccho) datam, ait. *Plutarch. in Gracch. c.* 21.

Ἀννίβᾳ δὲ τῶν μὲν ἄλλων ἐλάχιστος ἦν λόγος, Μάρκελλον δὲ πεπτωκέναι πυθόμενος, αὐτὸς ἐξέδραμεν ἐπὶ τὸν τόπον· καὶ τῷ νεκρῷ παραστὰς, καὶ πολὺν χρόνον τήν τε ῥώμην τοῦ σώματος καταμαθὼν καὶ τὸ εἶδος, οὔτε φωνὴν ἀφῆκεν ὑπερήφανον, οὔτε ἀπ' ὄψεως τὸ χαῖρον, ὡς ἄν τις ἐργώδη πολέμιον καὶ βαρὺν ἀπεκτονὼς, ἐξέφηνεν· ἀλλ' ἐπιθαυμάσας τὸ παράλογον τῆς τελευτῆς, τὸν μὲν δακτύλιον ἀφείλετο, τὸ δὲ σῶμα κοσμήσας πρέποντι κόσμῳ, καὶ περιστείλας ἐντίμως ἔκαυσε, καὶ τὰ λείψανα συνθεὶς εἰς κάλπην ἀργυρᾶν, καὶ χρυσοῦν ἐμβαλὼν στέφανον, ἀπέστειλε πρὸς τὸν υἱόν. Τῶν δὲ Νομάδων τινὲς περιτυχόντες τοῖς κομίζουσιν, ὥρμησαν ἀφαιρεῖσθαι τὸ τεῦχος. Ἀντιλαμβανομένων δ' ἐκείνων, ἐκβιαζόμενοι καὶ μαχόμενοι διέῤῥιψαν τὰ ὀστᾶ.

Πυθόμενος δὲ Ἀννίβας, καὶ πρὸς τοὺς παρόντας εἰπὼν, Οὐδὲν ἄρα δυνατὸν γενέσθαι ἄκοντος θεοῦ, τοῖς μὲν Νομάσιν ἐπέθηκε δίκην, οὐκ ἔτι δὲ κομιδῆς ἢ συλλογῆς τῶν λειψάνων ἐφρόντισεν, ὡς δὴ κατὰ θεόν τινα καὶ τῆς τελευτῆς καὶ τῆς ἀταφίας παραλόγως οὕτω τῷ Μαρκέλλῳ γενομένης. Ταῦτα μὲν οὖν οἱ περὶ Κορνήλιον Νέπωτα καὶ Οὐαλέριον [2] Μάξιμον ἱστορήκασι. Λίβιος δὲ καὶ Καῖσαρ ὁ σεβαστὸς κομισθῆναι τὴν ὑδρίαν πρὸς τὸν υἱὸν εἰρήκασι, καὶ ταφῆναι λαμπρῶς.

2. Οὐαλέριον Μάξιμον. Ad ea forte respexit Plutarchus, quæ Valerius Maximus, lib. V, cap. 1, ext. 6, de funere Marci Marcelli retulit.

« Hannibal vero, quum reliquos minimi faceret, Marcellum cecidisse audito, ipse ad locum accurrit ; cadaverique assistens, diuque corporis robur et formam contemplatus, neque superbam ullam emisit vocem, neque vultu lætitiam (ut consentaneum erat eum, qui tam molestum et gravem hostem interfecisset) præ se tulit ; sed inopinatum viri exitum miratus, annulum ei abstulit, corpus digno habitu ornatum, vestibusque decentibus amictum, cremavit ; reliquias in urnam argenteam lectas, aurea superaddita corona, ad filium misit. Sed quidam Numidæ, quum in ferentes ea incidissent, adimere vi conati sunt : illis reluctantibus, ac vim vi repellentibus, ossa disjecta sunt.

» Hannibal, hoc audito, ad eos, qui aderant, Nihil, inquit, utique Diis invitis fieri potest ; sumptoque de Numidis supplicio, nullam præterea de Marcelli reliquiis colligendis curam habuit; ut qui Dei alicujus numine Marcello hunc exitum vitæ, et sepulturæ privationem ita præter omnium opinionem evenisse crederet. Hæc Cornelius Nepos et Valerius Maximus narrant. Livius et Augustus Cæsar, perlatam ad filium Marcelli urnam, et honorifice sepultas ejus reliquias, perhibent. » *Plutarch. in Marcell. cap.* 30.

Ἀννίβαν δὲ Μάρκελλος, ὡς μὲν οἱ περὶ Πολύβιον λέγουσιν, οὐδὲ ἅπαξ ἐνίκησεν· ἀλλ' ἀήττητος ἀνὴρ δοκεῖ διαγενέσθαι μέχρι Σκιπίωνος. Ἡμεῖς δὲ Λιβίῳ, Καίσαρι καὶ Νέπωτι, καὶ τῶν Ἑλληνικῶν τῷ βασιλεῖ Ἰόβᾳ πιςεύομεν, ἥττας τινὰς καὶ τροπὰς ὑπὸ Μαρκέλλου τῶν σὺν Ἀννίβᾳ[3] γενέσθαι.

« Hannibalem Marcellus, ut Polybius narrat, ne semel quidem vicit; sed invictus hic vir fuisse videtur usque ad Scipionem. Nos autem Livio, et Cæsari, et Nepoti, et ex Græcis scriptoribus regi Jubæ credimus,

3. Τῶν συν Ἀννίϐᾳ. Mirum hoc a Nepote scriptum, quum supra, in Hannibale, cap. V et VI, hunc imperatorem invictum faciat. Bos.

aliquoties Hannibalem a Marcello victum et in fugam versum esse. » *Plutarch. in comp. Pelop. et Marc. c.* 1.

X. Cornelius Nepos, qui divi Augusti principatu obiit, quum scriberet, turdos paulo ante cœptos saginari, addidit, ciconias magis placere, quam grues; quum hæc nunc ales inter primas expetatur, illam vero nemo velit attigisse. *Plinius X*, 23.

Apud antiquos piscium nobilissimus habitus acipenser... Postea præcipuam auctoritatem fuisse lupo et asellis [1], Cornelius Nepos, et Laberius, poeta mimorum, tradidere. *Plinius, IX*, 17.

Magnitudo loto arbori [2], quæ piro, quanquam Nepos Cornelius brevem tradat. Vinum quoque exprimitur illi, simile mulso, quod ultra denos dies negat durare idem Nepos; baccasque contusas cum alica ad cibos dolio condi. *Plinius, XIII*, 17.

Scandula [3] contectam fuisse Romam usque ad bellum Pyrrhi annis CCCCLXX, Cornelius Nepos auctor est. *Plinius, XVI*, 10.

CAP. X. 1. *Lupo et asellis.* Lupus hic nomen est piscis, quem Romani omnibus aliis prætulerunt, quem Catillonem et Liguritorem vocabant; metaphora ducta ab hominibus gulosis et delicatis, quos ideo Catillones vocabant antiqui, quod, absumptis cibis, ipsos etiam catillos lingerent. Græc. λάϐραξ. « Luporum laudatissimi, qui appellantur lanati, a candore mollitiaque carnis. » Plin. IX, 17. Unde Martialis, XIII, 89:

Laneus Euganei lupus excipit ora Timavi,
AEquoreo dulces cum sale pastus aquas.

Asellus similiter est piscis laudatissimus. Vide Plin. IX, 17. — *Laberius, poeta mimorum.* Hic poeta mimographus fuit, de quo Macrob. Saturnal. II, 7; Senec. de ira, II, 11; Horat. Satyr. I, 10, 6:

Et Laberi mimos, et pulchra poemata mirer.

2. *Loto arbori.* Lotus arbor frequens in Africa fuit apud Syrtes, unde Lotophagi populi, quod ejus arboris fructu credantur victitare; cujus cibus est tam dulcis, ut advenis incutiat patriæ oblivionem. Itaque quum Ulyssis socii delati fuissent Africam, et Lotum gustassent, vix inde abduci potuerunt. Homer. Odyss. IX. COURTIN.

3. *Scandula.* Id est, ligneis asserculis. Hinc Augustus se Romam accepisse lateritiam, reliquisse vero marmoream, teste Suetonio in ejus vit. XXVIII, dictitabat. Hinc *Ducis*:

A la Rome de brique, et libre, et vertueuse,
Succéda Rome en marbre, esclave fastueuse.

Cornelius Nepos tradit, ante Sullæ victoriam[4] duo tantum triclinia Romæ fuisse argentea. *Plin. XXXIII*, 11.

Primus invenit lineas[5] colorare, testa (ut ferunt) trita, Cleophantus Corinthius. Hunc, aut eodem nomine alium, tradit Cornelius Nepos secutum in Italiam Demaratum, Tarquinii Prisci, Romani regis, patrem, fugientem a Corintho injurias Cypseli tyranni. *Plin. XXXV*, 3.

Primum Romæ parietes crusta marmoris operuisse totius domus suæ in Cœlio monte Cornelius Nepos tradidit Mamurram, Formiis natum, equitem Romanum, præfectum fabrum C. Cæsaris in Gallia. Adjecit idem Nepos, eum primum totis ædibus nullam, nisi e marmore, columnam habuisse, omnes solidas e Carystio[6], aut Lunensi. *Plinius*, *XXXVI*, 6.

XI. Ædis Martis est in circo Flaminio architectata ab Hermodoro Salaminio[1]. *Priscianus*, *lib. VIII*, *col.* 792.

Non amplius ter bibere Augustum solitum super cœnam in castris apud Mutinam, Cornelius Nepos tradit. *Sueton. Aug. c.* 77.

(In extrema Britanniæ parte Mona, quam[2] Cornelius etiam, annalium scriptor, narrat metallis plurimis copiosam, herbis frequentem, et his feraciorem omnibus, quæ pecora magis, quam homines alant. Labi vero per eam multa quam maxima relabique flumina, gemmas margaritasque volventia.) *Jornandes*, *de reb. Getic. c. II.*

4. *Ante Sullæ victoriam*, scilicet de Marianis.

5. *Lineas.* Vestes, intellige.

6. *Carystio.* Scilicet marmore. Carystus, urbs Eubœæ; Luna, Liguriæ. Tzs.

Cap. XI. 1. *Ab Hermodoro Salaminio.* Hermodori, architecti celeberrimi, meminit Vitruvius, III, 1. Courtin.

2. *Mona, quam.* Fere in omnibus libris legitur *Memma, quam;* in ceteris *Miniamque* vel *minimamque*, aperta corruptione. Substituendum videtur *Mona.* Cf. Tacitum infra laud. — *Quam Cornelius etiam, annalium scriptor.* Hunc Cornelium *Tacitum* cum Schotto et Lindenbrogio plurimi existimant, ut videre est ex ejus Annalibus pluribus in locis, ac præsertim ex Agricolæ XIV et XVIII. Improbat vero Tzschuck.

Homerus poeta in Græcia claruit, ut ait Cornelius Nepos, ante Olympiadem primam, ante urbem conditam anno centesimo vicesimo quarto. *Freculfus Lexoviensis, Chron. tom. I, lib. III, c. 7.*

EPISTOLA[1]

CORNELIÆ

MATRIS GRACCHORUM.

XII. Dices, pulchrum esse[2] inimicos ulcisci. Id neque majus, neque pulchrius cuiquam, atque esse mihi videtur; sed si liceat republ. salva ea[3] persequi. Sed quatenus id fieri non potest, multo tempore, multisque partibus inimici nostri non peribunt; atque, uti nunc sunt, erunt potius, quam respublica profligetur atque pereat.

Eadem alio loco.

Verbis conceptis dejerare[4] ausim, præterquam qui Tiberium Gracchum necarunt[5], neminem inimicum tantum molestiæ, tantumque laboris, quantum te ob has res, mihi tradidisse: quem oportebat omnium eorum, quos ante

CAP. XII. 1. *Epistola.* Attici vitæ adjecta est in quibusdam codicibus. Schottus ex vetere libro descriptam apposuerat. Ceterum Cornelia hæc eloquentiæ laude inclaruit. Ejus Epistolas commemorat etiam Cicero in Bruto, LVIII. TZS.

2. *Esse.* Abest apud Pighium. Tum notandum *atque*, præcedente comparativo.

3. *Ea.* Pighius malit *eos*, scilicet inimicos. Illud ad rem omnino refertur. *Si* est *dummodo.* TZS.

4. *Dejerare.* Id est, deos jurare. Quemadmodum et Apuleius dixit: « quam sanctissime dejerantes. » Quia autem solemne erat et expressum jurandi genus, ideo dicitur *conceptis verbis.* COURTIN.

5. *Qui Tiberium Gracchum necarunt.* Intelligit in primis Scipionem Nasicam. Vide Aurelium Victorem, de Viris illustribus, cap. LXIV. TZSCHUCK. *Qui* abest a MS. Sav.

habuerim liberos, partis[6] eorum tolerare, atque curare, ut quam minimum sollicitudinis in senecta haberem, utique[7], quæcumque ageres, ea velles maxime mihi placere; atque uti nefas haberes, rerum majorum adversum meam sententiam[8] quidquam facere. Præsertim mihi, cui parva pars vitæ superest, ne id quidem tam breve spatium potest opitulari, quin et mihi adverseris, et rempublicam profliges. Denique quæ pausa[9] erit? Et quando desinet familia nostra insanire? Et quando modus ei rei haberi poterit? Et quando desinemus, et habentes, et præbentes[10], molestiis desistere? Et quando perpudescet[11] miscenda atque perturbanda republica? Sed si omnino id fieri non potest, ubi ego mortua ero, petito tribunatum; post me facito, quod lubebit, quum ego non sentiam. Ubi mortua ero, parentabis mihi, et invocabis deum parentem[12]. In eo tempore non pudet te eorum deum preces expetere, quos, vivos atque præsentes, relictos atque desertos habueris? Ne ille sinat Jupiter, te ea[13] perseverare, nec

6. *Partis.* Antique, et Sallustii more, pro *partes.*

7. *Utique*, pro *et uti.*

8. *Adversum meam sententiam.* Me contra sentiente.

9. *Pausa.* Παῦσις, finis, quies.

10. *Habentes, et præbentes.* Alii *et absentes et præsentes.* Si illud præferatur, sensus est: in summa nostra opulentia et liberalitate. Sic supra, c. V, *habere.* Tzs.

11. *Perpudescet.* Verbum rarum, rara etiam structura cum ablativo. Ita fere *pudet dictu* Tacitus in Agricola, XXXII. Tzs.

12. *Deum parentem.* Errant qui Jovem putant, deorum patrem, atque ideo lectionem non sanam suspicantur, propter remotiorem sensum nexumque cum sequentibus. Errat quoque Salmasius, ad Solinum, c. XXXIII, s. 31, p. m. 293, hac, ut putat, emendatione: *Invocabis deos manes parentis;* quamvis id probet Grævius ad Ciceron. Pro domo, XLI. Græca est locutio, ξυγγενεῖς καὶ ὁμόγνιοι θεοί, *paterni aut materni dii*, pro ipsis parentibus. Testis sit Plato, Leg. V, 2, ubi Lex. Timæi: Ὁμόγνιοι θεοὶ, ὅσοι ξυγγενεῖς κοινῶς ὀργιάζουσιν. Testis Cicero ipse, qui, quum scripsisset Xenoph. Cyrop. VIII, 7, καὶ τὴν ἐμὴν ψυχὴν καταιδούμενοι, eodem modo vertit hæc verba Cyri morientis, De senect. 22: « Sic me colitote ut deum. » Quasi ψυχὴ hic sit δαίμων, id est, paternus deus.

13. *Ea.* Vel ea ratione, via; vel simpliciter est accusativus, cum

tibi tantam dementiam venire in animum! Et, si perseveras, vereor, ne in omnem vitam tantum laboris culpa tua recipias, uti in nullo tempore tute tibi placere possis.

[*Cornelius Nepos in libro de historicis Latinis, de laude Ciceronis.*

XIII. Non ignorare[1] debes, unum hoc genus Latinarum litterarum adhuc non modo non respondere Græciæ,

quo passim hoc verbum conjungi docuerunt Gronovius ad Livium, l. XXII, 38, et Staveren in Observat. misc. Vol. X, p. 103. Tzs.

Cap. XIII. 1. *Non ignorare.* Utrumque fragmentum est codici antiquo, in bibl. Guelpherbyt. servato, et sæc. XI. exarato, inter codd. Gudianos nr. 278, Ciceronis orationum Philipp., præscriptum ab homine, qui a Nepotis testimoniis operi Tulliano petierat commendationem. Duo illa fragmenta reperit cl. Jac. Frider. Heusinger. et in prolus. « de Nepote Cornelio bene merendi aliquot subsidia bibl. Guelpherbytanæ, » Guelph. 1759, 4, attribuit copioseque vindicavit Cornelio, et « genuina, ait, hæc esse Nepotis monumenta, ex indiciis tam manifestis tamque consentientibus elucet, ut equidem opiner, de integritate eorum qui dubitet, futurum esse neminem. » Hanc prolusionem Fischer subjecerat editioni suæ Nepotis. Sed quoniam lis inde orta est inter Heusingerum atque Klotzium, illam prolusionem in hac editione malui omittere, quam omnia hic repetere. Klotzius enim in Nov. Actis Erudit. m. Febr. 1759, copiose impugnavit eorum fidem. Heusing. autem hunc dissensum ægerrime tulit, suamque sententiam acriter uberiusque defendit in prolusione : « Fragmenta Cornelii Nep. Guelpherbytana a censoria Lipsiensis critici virgula vindicata. » Guelpherb. 1760. Klotzius contra in Miscellan. criticis, Ultraject. 1763, 8, cap. XII, modeste tuitus est suam sententiam. Editis illis Miscellaneis, Heusinger, cognito suo adversario, suam quidem sententiam non mutavit; sed potius eam docte modesteque denuo vindicavit in altera edit. « Fl. Mallii Theodori de metris liber...... præterque scriptorum aliquot veterum apospasmatia, Cornelii Nepotis fragmenta Guelpherbyt. cum defensionibus suis adjecit Jac. Frid. Heusinger. » Lug. Batav. 1766, 8, ubi recusæ sunt p. 103, seqq. prior prolusio; posterior autem p. 127, sqq. et p. 155 incipit, « Ad vindicias fragmentorum Nepotis accessio : » de qua æque verecunde judicavit Klotz. in Actis Litter. vol. III, part. III, p. 345. Quæ omnia si in hac Nepotis editione repeterem, vererer, ne limites libri migrarem. Theoph. Christ. Harl.

sed omnino rude atque inchoatum morte Ciceronis relictum. Ille enim fuit unus, qui potuerit et etiam[2] debuerit historiam digna voce pronuntiare: quippe qui oratoriam eloquentiam rudem a majoribus acceptam perpoliverit, philosophiam ante eum incomptam Latinam sua conformaverit oratione. Ex quo dubito, interitu ejus utrum res publica, an historia magis doleat.

Locuples ac divina natura, quo majorem sui pareret admirationem, ponderatioraque sua essent beneficia, neque uni omnia dare, nec rursus cuiquam omnia voluit negare.]

2. *Et etiam*. Cic. ad Attic. XVI, ep. 16, pag. 944: *Et etiam oro*. Item, IX, epist. 25; XIII, epist. 7. FISCHER. — *Pronuntiare*. Cic. de Offic. I, 1, de Demosthene; et Cic. Brut. LXXXIII: « Thucydides rerum gestarum pronuntiator sincerus. » FISCH. Plura Heusing. dabit.

CHRONOLOGIA

RERUM MEMORABILIUM

IN CORNELIO NEPOTE

AD OLYMPIADAS, URBIS CONDITÆ ANNOS EX CATONIANIS RATIONIBUS, QUÆ A VARRONIANIS DUOBUS ANNIS DISCREPANT, ET CHRISTI NATI DIGESTA.

(EX EDITIONE ALTERA TZSCHUCKII.)

Olymp.	An. U.	A. Chr. N.	
7, 2.	1.	751.	Ex Varronis rationibus sic habet: Olymp. 6, 4. A.U. 1, A. Chr. n. 753.
27, 2.	81-113.	671.	Tullus Hostilius Romæ regnat. Fragm. 1. Cf. Liv. 1, 22.
30, 4.	95.	657.	Demaratus, Cypseli tyrannidem fugiens, Romam demigrat. Fragm. x.
41, 3.	138. 175.	614. 576.	Tarquinius priscus, quintus Romanorum rex. Fragm. x.
55, 1.	192.	560.	Pisistratus Athenarum tyrannus. Milt. viii.
62, 3.	222.	530.	Cyrus in bello contra Massagetas perit. De Reg. 1.
64, 4.	231.	521.	Darius Cambysi, Cyri filio, succedit. Ibid.
68, 1.	244.	508.	Darius, Scythis bellum illaturus, pontem in Istro facit. Milt. iii.
68, 2.	245.	507.	Miltiades, Chersoneso relicta, Athenas redit. Miltiad. iii.
79, 1.	252.	500.	Iones, ab Atheniensibus adjuti, Sardes expugnant. Milt. iv.
72, 3.	262.	490.	Darii contra Græcos expeditio, et in pugna Marathonia clades. Milt. iv sq.
72, 4.	263.	489.	Miltiades, Parum insulam infeliciter aggressus, in vincula conjicitur, in quibus obit. Milt. vii.

Olymp.	An. U.	A. Chr. N.	
73, 3.	266.	486.	Xerxes Dario, Hystaspis filio, mortuo succedit. De Reg. I.
74, 2.	269.	483.	Aristides ostracismo urbe expellitur. Aristid. I. Themistocles portum Piræi et classem novam ædificat. Themist. II.
75, 1.	272.	480.	Xerxes ex Asia in Græciam transit. Themist. II. Pugna ad Thermopylas. Ib. III. Ad Artemisium. Ib. III. Athenæ a Persis incensæ. Themist. IV. Aristides ante tempus ab exilio revocatur. Arist. I. Pugna Salaminia. Themist. 4.
75, 2.	273.	479.	Aristides et Pausanias Mardonium Persarum ducem ad Platæas vincunt. Arist. II. Pausanias, I.
75, 3.	274.	478.	Athenienses consilio Themistoclis muros suos, invitis Spartanis, instaurant. Themist. VI.
75, 4.	275.	477.	Athenienses, auctore Themistocle, Piræi portum absolvunt. Themist. VI. Pausaniam cum classe communi in Cyprum mittunt. Pausan. I. Aristidis æquitate Græciæ principatus ad Athenienses defertur. Aristid. II. Ejusdem opera ærarium Græciæ in Delo constituitur. Aristid. III.
77, 2.	281.	471.	Themistocles Athenis expulsus, et absens proditionis accusatus, ad Artaxerxem confugit. Themist. VIII.
77, 3.	282.	470.	Cimon Persas vincit terra marique eodem die. Cimon. V.
78, 2.	285.	467.	Aristides obit. Aristid. III.
78, 3.	286.	466.	Themistocles Magnesiæ moritur. Themist. X.
79, 1.	288.	464.	Cimon vincit Thasios, qui ab Atheniensibus defecerant. Cim. II. Cf. Diodor. XI, 70.
80, 1.	292.	460.	Cimon patria expellitur. Cim. III.
81, 2.	297.	455.	Cimon revocatus cum Lacedæmoniis fœdus jungit. Cim. III.
82, 3.	302.	450.	Cimon Persas in Cypro vincit, et maris imperium civibus suis vindicat. Cim. III.
82, 4.	303.	449.	Cimon, pace cum victis Persis composita, in Cypro moritur. Cim. III.
87, 2.	321.	431.	Peloponnesiaci belli initium. Diodor. XII, 38.
91, 1.	336.	416.	Alcibiades, Nicias et Lamachus, duces Atheniensium, ad bellum cum Syracusanis gerendum missi. Alcib. III.
91, 2.	337.	415.	Alcibiades, conjurationis in patriam postulatus, ad Spartanos fugit. Alcib. III seq.

Olymp.	An. U.	A. Chr. N.	
91, 3.	338.	414.	Bellum Decelicum. Alcib. IV.
92, 2.	341.	411.	Alcibiades, ab exercitu receptus, post in patriam restitutus, absens una cum Thrasybulo et Theramene imperio præficitur, et Lacedæmonios terra marique victos ad pacem cogit. Alcib. V.
93, 1.	344.	408.	Alcibiades Athenas reversus, summusque imperator, adjunctis Thrasybulo et Adimanto, factus, cum Lacedæmoniis minus commode confligit, et paulo post iterum in exilium mittitur. Alcib. VI et VII.
93, 3.	346.	406.	Dionysius senior Syracusis tyrannidem occupat. Dion. I. De Regib. II.
93, 4.	347.	405.	Lysander, Atheniensibus ad Ægos flumen victis, bello Peloponnesio finem imponit. Lys. I. Alcib. VIII. Con. I.
.....	.....	.....	Idem Athenis captis triginta tyrannos imponit. Thrasyb. I.
94, 1.	348.	404.	Alcibiades in Phrygia, quo confugerat, opprimitur. Alcib. X.
94, 2.	349.	403.	Lysander accusatus absolvitur. Lys. III.
94, 4.	351.	401.	Thrasybulus, devictis triginta tyrannis, Atheniensibus libertatem restituit. Thrasyb. III.
95, 1.	352.	400.	Agesilaus Agidi fratri succedit. Agesil. I.
95, 2.	353.	399.	Conon, Athen. exul, Persarum classi adversus Lacedæmonios præficitur. Conon. II.
95, 3.	354.	398.	Plato Tarentum venit, inde Syracusas. Dion. II.
96, 1.	356.	396.	Agesilai cum Persis in Asia bellum. Con. II. Agesil. II.
.....	.....	.....	Lysander, dux Lacedæmoniorum, in prælio cum Thebanis apud Haliartum cadit. Lys. III. Cf. Diodor. XIV, 81.
96, 2.	357.	395.	Conon Lacedæmonios Pisandro duce prælio navali ad Cnidum vincit. Con. IV.
.....	.....	.....	Agesilaus, ex Asia revocatus, ad Coroneam Athenienses eorumque socios vincit. Agesil. IV.
96, 3.	358.	394.	Conon Athenarum muros ope Thebanorum reficit, et a Tiribazo custodiæ traditur. Con. IV et V.
.....	.....	.....	Belli Corinthiaci initium. Diodor. XIV, 86.
96, 4.	359.	393.	Iphicrates Lacedæmoniorum victor ad Corinthum. Iphicrat. II.
.....	.....	.....	Camillus Veios capit. Fragm. VII. Cf. Liv. V, 21.

Olymp.	An. U.	A. Chr. N.	
.....	.....	.....	Melpum a Gallis deletur. Fragm. VII.
97, 2.	361.	391.	Agesilaus agrum Corinthium populatur. Agesilaus. V.
97, 3.	362.	390.	Thrasybulus, biennio ante Lesbi victor, ab Aspendiis necatur. Thrasyb. IV.
97, 4.	363.	389.	Camillus exulat. Fragm. V.
98, 1.	364.	388.	Galli Capitolium obsident. Fragm. VI.
98, 2.	365.	387.	Chabrias, Evagoræ adjutor missus, totam Cyprum subigit. Chabr. II.
98, 4.	367.	385.	Datames ab Artaxerxe Ciliciæ præficitur. Datam. I.
99, 3.	370.	382.	Lacedæmonii, duce Phœbida, Cadmeam, arcem Thebarum, occupant. Pelopid. I.
99, 4.	371.	381.	Manlius de saxo Tarpeio dejicitur. Fragm. I. Cf. Liv. VI, 20.
100, 3.	374.	378.	Thebani exules ope Atheniensium Cadmeam recipiunt. Pelop. III.
100, 4.	375.	377.	Agesilai in Bœotiam expeditio. Chabr. I. Chabriæ de eo victoria. Ibid.
.....	.....	.....	Chabrias, Acorin, Ægypti regem, adjutum profectus, Athenas revocatur. Chabr. II.
.....	.....	.....	Iphicrates ab Atheniensibus auxilio Artaxerxi, regi Persarum, mittitur. Iphicrat. II.
101, 1.	376.	376.	Timotheus Lacedæmonios ad Leucaten superat. Timoth. II.
101, 2.	377.	375.	Lacedæmonii maris imperium (cf. Olymp. 82, 3) Atheniensibus cedunt. Timoth. II.
101, 3.	378.	374.	Iphicrates, exercitui Persarum conductitio præfectus, adversus Ægyptios proficiscitur, et paulo post Athenas revertitur. Iphicr. II. Cf. Datam. III.
102, 2.	381.	371.	Epaminondas Spartanos ad Leuctra profligat. Epamin VIII.
102, 3.	383.	369.	Iphicrates Eurydicen, Macedoniæ reginam, viduam, defendit. Iphicr. III.
102, 4.	382.	370.	Epaminondas Laconiam invadit, Spartam capit, Messenen restituit. Epamin. VII, VIII. Pelop. IV.
.....	.....	.....	Idem cum Pelopida Arcadibus in bello cum Lacedæmoniis auxilio a Thebanis mittitur. Pelop. IV. Iphicr. contra Arcadas. Iphicr. II.
103, 1.	384.	368.	Dionysio patri succedit Dionysius junior. De Reg. II. Dion. II.
.....	.....	.....	Pelopidas ab Alexandro Pheræo in vincula conjicitur. Pelop. V.

Olymp.	An. U.	A. Chr. N.	
103, 2.	385.	367.	Epaminondas exercitum Thebanum, ab hostibus obsessum, incolumem reducit domum. Epamin. VII.
.....	.....	.....	Idem Pelopidam ex vinculis liberat. Pel. V.
103, 3.	386.	366.	Epaminondas bellum in Peloponneso gerit. Epamin. VII.
104, 1.	388.	364.	Pelopidas in prælio adversus Alexandrum Pheræum victor cadit. Pelop. V.
.....	....	.....	Timotheus cum Olynthiis bellum gerit. Timoth. I.
104, 2.	389.	363.	Epaminondas Spartam iterum tentat, Lacedæmonios ad Mantineam vincit, victorque cadit. Epamin. IX.
104, 3.	390.	362.	Agesilaus Lacedæm. et Chabrias Athen. a rege Persarum ad Tachum, Ægypti regem, deficiunt. Chabr. II. Agesil. VIII.
104, 3.	390.	362.	Datames ab Artaxerxe deficit. Datam. V.
.....	.....	.....	Chabrias Nectanebo regnum constituit. Chabr. II.
.....	.....	.....	Agesilaus moritur. Agesil. VIII.
105, 1.	392.	360.	Philippus in Macedonia regnare incipit. De Reg. II.
105, 3.	394.	358.	Chabrias cum Charete adversus Atheniensium socios, Chios, Rhodios, Coos et Byzantios missus, in prælio occumbit. Chabr. IV.
.....	.....	.....	Dionis fuga et præparatio ad bellum cum Dionysio. Dion. IV.
105, 4.	395.	357.	Dionis felix cum Dionysio bellum, et hujus fuga in Italiam. Dion. V.
.....	.....	.....	Alexandri Pheræi interitus. Diodor. XVI, 14.
106, 1.	396.	356.	Athenienses, ducibus Charete, Iphicrate et Timotheo, cum sociis acriter pugnant. Timoth. I.
.....	.....	.....	Iphicrates et Timotheus ab Atheniensibus mulctantur. Iphicr. III. Timoth. III.
106, 2.	397.	355.	Dion Syracusis interficitur. Dion. IX. Timoleon, II.
107, 2.	401.	351.	Alexander M. nascitur. De Reg. II. Fragm. I.
108, 2.	405.	347.	Dionysius junior Syracusas anno decimo post, quam a Dione pulsus erat, recuperat. Timol. II.
108, 4.	407.	345.	Timoleontis in Siciliam expeditio. Timol. II.
.....	.....	.....	Idem, Hiceta fugato, Syracusanis libertatem restituere conatur. Timol. II, III.
109.	408.	344.	Timoleon, Syracusis a Dionysio ipsi traditis

Olymp.	An. U.	A. Chr. N.	
			potitus, Dionysium dimittit Corinthum. Timol. II.
109, 3.	410.	342.	Idem rempublicam Syracusarum instaurat, pulsisque Pœnis ad Crimissum, et pace cum iis inita, toti Siciliæ pacem et libertatem restituit. Timol. III.
110, 4.	415.	337.	Timoleon moritur. Timol. V.
111, 1.	416.	336.	Philippus Macedo a Pausania, satellite, interficitur. De Reg. II.
112, 2.	421.	331.	Alexander M. Darium ad Arbela vincit. Diodorus, XVII, 59.
113, 3.	426.	326.	Hephæstionis mors. De Reg. II. Eumen. II.
114, 1.	428.	324.	Alexander M. Babylone moritur. Eumen. II. De Reg. II.
114, 3.	430.	322.	Athenæ, Phocione auctore, Antipatri præsidium recipiant. Phoc. II.
.....	.....	.....	Perdiccas interficitur. Eumen. V.
114, 4.	431.	321.	Eumenes vincit Craterum et Neoptolemum. Eumen. III et IV.
.....	.....	.....	Antipater rebus Macedonicis præficitur. Eumenes, V.
114, 4.	431.	321.	Eumenes ab Alexandri exercitu hostis judicatur et ab Antigono Noræ obsidetur. Eum. V.
115, 2.	433.	319.	Eumenes, regum tutor factus, bellum adversus Antigonum parat. Eumen. VI et VII.
115, 3.	434.	318.	Nicanor, a Cassandro Athenas missus, Piræum occupat. Phoc. II.
.....	.....	.....	Phocion necatur. Phoc. IV.
.....	.....	.....	Eumenes in Persiam copias suas hiematum dividit. Eumen. VIII.
115, 4.	435.	317.	Eumenes adversus Antigonum bellum gerit. Eum. VII.
116, 1.	436.	316.	Eumenes ab Antigono captus occiditur. Eum. X sqq.
119, 4.	451.	301.	Antigonus cadit in prælio ad Ipsum, Phrygiæ oppidum. De Reg. III.
123, 3.	466.	286.	Demetrius in custodia Seleuci, generi, morbo perit. De Reg. III.
124, 4.	471.	281.	Lysimachus occiditur a Seleuco. De Reg. III.
.....	.....	.....	Pyrrhi cum Romanis bellum. De Reg. II, Fragm. X.
125, 1.	472.	280.	Seleucus a Ptolemæo interficitur. De Reg. III.
127, 1.	480.	272.	Pyrrhus, Argos oppugnans, lapide ictus interit. De Reg. II.
128, 4.	487.	265.	Belli Punici primi initium. Hamilc. I.

Olymp.	An. U.	A. Chr. N.	
133, 1.	504.	248.	Hamilcar in Carthalonis locum classi præficitur. Hamilc. I. Hoc anno Hannibal natus fertur.
134, 3.	510.	242.	Lutatius, consul, classe Pœnos superat ad Ægates insulas, et Sicilia decedere cogit. Hamilc. I.
134, 4.	511.	241.	Belli Punici primi finis. Hamilcar. I.
.....	.....	.....	Bellum Africanum, a mercenariis militibus stipendii causa hoc anno motum, quarto post ab Hamilcare comprimitur. Hamilc. II.
135, 3.	514.	238.	Hamilcar imperator in Hispaniam mittitur, secumque ducit Hannibalem filium annos 9 natum. Hamilc. III. Hannib. II.
137, 4.	523.	229.	Hamilcar in prælio contra Vettones cadit, eique Hasdrubal, gener, imperator sufficitur. Hamilc. III et IV.
.....	.....	.....	Hannibal equitatui præest. Hannibal. III.
139, 4.	531.	221.	Hasdrubali interfecto succedit Hannibal annos 26 natus. Hamilc. III. Hannib. III.
.....	.....	.....	Hannibal non toto inde triennio totam Hispaniam subigit. Hannib. III.
140, 1.	532.	220.	Hannibal expugnat deletque Saguntum. Hannib. III.
140, 2.	533.	219.	Belli Punici secundi per ann. 17 tracti initium.
.....	.....	.....	Hannibal ex Hispania per Gallos et Alpes transit in Italiam. Hann. III.
.....	.....	.....	Idem confligit cum Scipione COS. ad Rhodanum. Ib. IV. Cum eodem ad Padum. IV. Cum eodem ejusque collega ad Trebiam. IV.
140, 3.	534.	218.	Idem confligit cum Flaminio COS. apud Trasimenum. IV. Cum Centenio prætore. IV. Fabium dictatorem eludit. V. (Inepto quidem loco refertur). Rufum, magistrum equitum, fugat. V.
140, 4.	535.	217.	Pugna Cannensis, in qua Varro et Paulus CSS. ab Hannibale vincuntur. IV. Fragm. II.
141, 3.	538.	214.	Fabio et Marcello CSS. Cato tribunus militum. Cat. I.
141, 4.	539.	213.	Gracchus, consul II, ab Hannibale interficitur. Hann. V.
143, 1.	544.	208.	Marcellus, quintum consul, ab Hannibale interficitur. Hann. V.
143, 2.	545.	207.	Hasdrubal, frater Hannibalis, cadit in prælio apud Senam victus a Nerone CS. cui interest Cato. Cat. I.

Olymp.	An. U.	A. Chr. N.	
144, 4.	547.	205.	P. Scipio, post Africanus major dictus, bellum transfert in Africam. Hann. VI. Cato ejus quæstor. Cat. I.
144, 1.	548.	204.	Hannibal patriam defensum ex Italia in Africam revocatur. Hann. VI.
144, 2.	549.	203.	Hannibal vincitur a Scipione ad Zamam. VI.
144, 3.	550.	202.	Belli Punici secundi finis. VII.
145, 1.	552.	200.	Hannibal exercitui præest cum Magone fratre, resque in Africa gerit usque ad consulatum Sulpicii et Aurelii. VII.
.....	.....	.....	Cum Magone domum revocatur. I.
145, 3.	554.	198.	Cato, prætor factus, Sardiniam provinciam obtinet. Cat. I. Cf. Liv. XXXII, 7.
146, 1.	556.	196.	M. Marcello, L. Furio CSS. Hannibal, domo profugus, ad Antiochum, Syriæ regem, abit. VII.
146, 2.	557.	195.	M. Cato, L. Flaccus CSS. Cat. I, II.
146, 3.	558.	194.	M. Cato ex Hispania triumphat. Cat. IV. Cf. Liv. XXXIV, 46.
.....	.....	.....	Scipio Africanus CS. iterum. Cat. II.
146, 4.	559.	193.	Cornelius Merula, Minucius Thermus CSS. Hannib. VIII.
.....	.....	.....	Hannibal, navibus ad Africam accedens, Magonem fratrem, domo excitum, secum abducit. Hann. VIII.
147, 1.	560.	192.	Antiochus ab Hannibale, qui in Syriam redierat, ad bellum contra Romanos concitatur. Hann. VIII et II.
147, 2.	561.	191.	Hannibal, classis parti ab Antiocho præfectus, contra Rhodios, Romanorum socios, pugnat. VIII.
.....	.....	.....	Antiochus ad Thermopylas a Glabrione cæditur. Ib. VIII.
147, 3.	562.	190.	Hannibal, Antiocho victo, ad Prusiam, Bithyniæ regem, confugit. Ib. IX et X.
.....	.....	.....	Idem pugnat contra Eumenem. Ib. X et XI.
149, 1.	568.	184.	M. Cato, L. Flaccus censores. Cat. I, II.
149, 3.	570.	182.	Hannibal hausto veneno perit. Hann. XII et XIII. Etsi de vero anno non constat inter auctores. Cf. et Liv. XXXIX, 56.
155, 2.	593.	159.	Terentius poeta moritur. Fragm. I.
157, 2.	601.	151.	L. Lucullus, A. Albinus CSS. Fragm. III.
157, 4.	603.	149.	Cato moritur. Cat. III. Etsi quidam dissentiunt.
161, 4.	619.	133.	Tib. Gracchus trib. pl. necatur. Fragm. XII.

Olymp.	An. U.	A. Chr. N.	
167, 4.	643.	109.	Atticus nascitur.
173, 1.	664.	88.	P. Sulpicius trib. pl. a Sylla CS. occiditur. Attic. ii.
173, 2.	665.	87.	Cinna per a. 665-668 CS. sævit in Syllanos, qua tempestate Atticus Athenas se confert. Att. ii.
174, 1.	668.	84.	Sylla, ex bello Mithridatico rediens, Athenas venit. Att. iv.
174, 3.	670.	82.	Sylla Marianarum partium victor, et dictator. Fragm. x.
174, 4.	671.	81.	Cicero Roscium defendit. Fragm. iv.
178, 4.	687.	65.	Cotta et Torquato CSS. Atticus Romam redit. Att. iv.
.....	.....	.....	Cicero defendit Cornelium. Fragm. iv.
179, 2.	689.	63.	Cicero CS. Attic. v. Lentulus Spinther ædilis splendidus. Fragm. viii.
179, 3.	690.	62.	Metellus Celer Galliæ proconsul. Fragm. vii.
179, 4.	691.	61.	Q. Cicero proprætor Asiæ. Attic. vi.
180, 3.	694.	58.	Cicero in exilium abit. Attic. iv.
.....	.....	.....	Jul. Cæsar, ab hoc inde anno ad a. U. 703, bellum gerit in Gallia. Fragm. x.
182, 4.	703.	49.	Bellum civile inter Cæsarem et Pompeium. Attic. vii.
183, 1.	704.	48.	Pugna Pharsalica, in qua Pompeius a Cæsare vincitur. Att. vii.
184, 1.	708.	44.	Cæsar occiditur. Att. viii.
.....	.....	.....	Brutus et Cassius, percussores Cæsaris, ad quos se tota civitas converterat, Antonio superante, in Græciam et Syriam abeunt. Attic. viii.
184, 2.	709.	43.	Antonius, hostis judicatus, cedit Italia. Att. ix.
.....	.....	.....	Idem Mutinæ obsidetur, unde bellum Mutinense dicitur. Attic. ix. Fragm. xi.
.....	.....	.....	Idem triumvir reipublicæ constituendæ. Att. x, xii.
.....	.....	.....	Proscriptiones. Att. x, xii.
.....	.....	.....	Attici mater moritur. Att. xvii.
.....	.....	.....	Cicero occiditur. Fragm. xiii.
184, 3.	710.	42.	Prælium Philippense, in quo cadunt Brutus et Cassius. Att. xi.
187, 1.	720.	32.	Atticus moritur. Att. xxii.

Subjungimus peculiarem chronologiam vitæ Attici juxta H. Ernstium, annos Varronianos secutum.

CHRONOLOGIA

HISTORIAE T. POMPONII ATTICI.

Anno Urbis 644; triennio ante M. Tullium Ciceronem, *Q. Cæc. Metello Numidico* et *M. Junio Sylla Coss.* Tit. Pomponius Atticus nascitur. cap. I.

Anno Urbis 666; Ciceronis 20; *Cn. Octavio* et *L. Cornelio Cinna Coss.* Athenas se contulit Atticus, annum agens vigesimum tertium : quando anno proximo præcedente P. Sulpicius Rufus Trib. pl. a Sylla interfectus est. cap. II.

Anno Urbis 674; Cic. 28; *P. Servilio Vatia*, et *Ap. Claudio Pulchro Coss.* Athenis Cicero Epicureos, Phædrum, et Zenonem, frequenter cum Attico audivit, ut ipse ait lib. II *de Finib.* et *Tuscul.* III, et *Acad.* I.

Anno Urbis 688; Ciceronis vero 42; *L. Aurelio Cotta*, et *L. Manlio Torquato Coss.* ætatis anno 45, quum jam annos 22 Athenis commoratus erat, Romam remigravit. cap. IV.

Anno Urbis 692; Ciceronis 46; ipsius Attici 49; quum legati locum obtinere posset apud Q. Ciceronem Asiæ prætorem, nolebat. Quo anno Romæ Coss. erant *M. Pupius Piso*, et *M. Valerius Messala.* cap. VI.

Anno Urbis 697; Ciceronis 51; *Cn. Cornelio Lentulo*, et *L. Marcio Philippo Coss.* pridie Idus febr. T. Pomponius Atticus Piliam uxorem duxit, annum agens ætatis 54; in quibus nuptiis Cicero cœnavit. *Ep.* III, lib. II, *ad fratrem.*

Anno Urbis 703; Ciceronis 57; Attici 50; *L. Æmilio Paulo;* et *C. Claudio Marcello Coss.* Cæsarianum bellum incidit : quod sequenti anno prorsus in flammam abiit. cap. VII.

Anno Urbis 709; Ciceronis 63; Attici 66; *C. Jul. Cæsar*, quum ipse una cum *M. Antonio* consul esset, a conjuratis in Pompeii curia 23 plagis confossus est. Sequenti anno Antonius Mutinam circumsedit, Brutumque oppugnavit : hostis patriæ judicatur. Sed a Lepido recipitur. cap. IX.

Anno Urbis. 710; Ciceronis 64; Atticus, natus annos 67, matrem nonagenariam extulit. cap. XVII.

Anno Urbis 712; Attici 69; M. Brutus et C. Cassius, ab Octavio et Antonio ad Philippos victi, sibimet ipsis violentas manus intulerunt, cap. XI.

Anno Urbis 721; quum Atticus 77 annos complesset, decessit et sepultus est.

EXCURSUS VARIORUM

AD

CORNELIUM NEPOTEM.

AGMEN ducet J. H. Schlegel, cujus ex *Observationibus criticis et historicis in Cornelium Nepotem* nonnulla excerpemus, quæ vel notarum nostrarum modulus non tulit, vel rerum novitas interdum potius commendat, quam veritas; principioque vitam ipsius Nepotis, ubi non semel Vossium explicat aut refellit. Prodiit liber vix notus apud nos, quarta forma, Havniæ, 1778; de quo J. A. Fabricii notitia litteraria consulenda. Post addemus, quo pauciora hic desiderentur, selectas aliquot Bosii, V. Staveren, atque aliorum animadversiones ex iis, quæ videbantur excurrere ultra fines justi commentarii. Incipit Schlegel.

I. De Cornelii Nepotis vita et scriptis.

Constat inter omnes, fuisse *Cornelium Nepotem* familiarem pariter C. Valerii Catulli et T. Pomponii Attici, itaque et ante Cæsaris dictaturam et sub Augusti principatu florentem; fuisse auctorem complurium librorum sive ad historiam, sive ad geographiam, sive ad rem litterariam spectantium; et tantam fuisse ejus auctoritatem, ut ipse *Cicero* non dubitarit ejus de suis scriptis judicium expetere, et ut complures posterioris ævi scriptores ejus testimonio innitantur. Sed de vita ejus parum constat. Collegit nonnulla, quæ varii auctores subministrant, *Dionysius Lambinus* in præfatione ad editionem suam, et post eum *Gerhardus Joannes Vossius* in libro *de Historicis Latinis*. Italum fuisse in regione Padana natum, liquet ex utroque *Plinio*. Avunculus enim Cornelium nominat Padi accolam; *Plinius* junior idem insinuat in epistola sua ad Severum,

IV, 28, ubi imaginem *Cornelii* depingendam amico suo commendat. Veronensium rerum scriptores recentiores *Cornelio* patriam assignant Hostiliam, oppidum in agro Veronensi, quod nunc *Ostiglia* appellatur. Testatur *Onuphrius Panvinius* Veronensis, in catalogo illustrium scriptorum Veronensium, cives suos *Cornelio Nepoti*, tanquam patriæ decori, inter alios illustres Veronenses publica auctoritate statuam posuisse. Quod ob morum etiam probitatem in magna existimatione fuerit *Cornelius*, egregium habetur *Plinii* testimonium. Is enim, ut versiculorum suorum liberiores jocos lususque excusaret, in epistola ad Aristonem, V, 3, clarissimos enumerat inter Romanos viros, imperatores etiam, Cæsarem, Augustum, Nervam, eadem licentia usos, et ita pergit: « Neronem enim transeo, quamvis sciam, non corrumpi in deterius, « quæ aliquando etiam a malis, sed honesta manere, quæ sæpius a bonis « fiunt. Inter quos vel præcipue numerandus est P. Virgilius, *Cornelius* « *Nepos*, et prius Ennius Acciusque; non quidem hi senatores, sed « *sanctitas morum* non distat ordinibus. » *Vossius* asserit, Cornelium referri ab *Hieronymo* in *Chronico Eusebiano* ad annum Augusti quartum. Inde sine dubio clarissimus *G. C. Hamberger*, qui scriptores veteris et medii ævi multa cum diligentia recensuit, inductus perhibet, alios Cornelii mortem ad primum, alios ad secundum, alios ad *quartum* Augusti annum referre. Qua auctoritate suffultus, nescio. Id video, ambiguam et minime convenientem esse rationem, annos ab imperio Augusti computandi, nisi terminus definiatur aut a triumviratu, aut a pugna Actiaca, aut a delato Augusti nomine. *Chronicon Eusebianum* non mortem auctoris nostri indicat, sed tempus quo maxime floruit. Sic enim verba sonant: « Octaviani imperii anno quarto, Olympiade 185, « Cornelius Nepos scriptor historicus clarus habetur. » Credo equidem de *Cornelii* morte nihil certi affirmari posse, et satis esse nobis, quod *Mela* et *Plinius* memorant: « Sub divi Augusti principatu obiit. » Id vero liquet, fuisse *Cornelium* superstitem anno Urbis 721, Cn. Domitio et C. Sosio Consulibus, qui est annus post initum triumviratum undecimus, et ante æram nostram trigesimus secundus; eo enim anno Pomponius Atticus decessit, et Cornelius vitæ ejus capita quatuor posteriora adjecit.

Quos qualesve libros *Cornelius* conscripserit, partim ipse nos docet in locis quibusdam eorum qui ad nostras pervenere manus, partim etiam e citationibus veterum apparet satis frequentibus. Has magna diligentia sub fragmentorum nomine collegit *Andreas Schottus*, Antverpiensis doctissimus e S. J., quam collectionem editam video Francofurti anno 1608. Eamdem auxit postea paucis in locis *J. A. Bosius*, professor Ienensis anno 1657.

Diserte allegantur a veteribus, *Aulo* præsertim *Gellio*, libri *Chronicorum* per *Cornelium Nepotem*. Ille enim, *Noctibus Atticis*, XVII, c. 21, ter laudat *Cornelium*; imo toto hoc capite ad eum potissimum respexisse videtur. Dicit, se excerpsisse e libris, qui *Chronici* appellantur, quibus

temporibus floruerint simul viri insignes Græci atque Romani. De *Homeri* ætate loquens his verbis utitur : « Ut *Cornelius Nepos* in primo *Chronicorum* dixit. » *Solinus* etiam in *Polyhistore* ad locos provocat e Nepote chronologicos, qui sine dubio ad eumdem librum pertinent. Hoc est illud ipsum opus, quod *Catullus* innuit in Epigrammate dedicatorio ad Cornelium Nepotem :

> Quum ausus es, unus Italorum,
> Omne ævum tribus explicare chartis,
> Doctis, Jupiter! et laboriosis.

Liquet ex his verbis, tres elaboratos esse a Cornelio libros Chronicorum, qui secundum usitatam istam divisionem ad tempus ἄδηλον, μυθικὸν et ἱςορικὸν respexisse videntur.

Exemplorum Cornelii Nepotis librum quintum expresse nominat *Gellius*, l. VII, c. 18, dum fidem Romanorum collaudat in servando jurejurando. Citantur iidem libri a *Flavio Sosipatro Charisio*, seculi quinti exeuntis Grammatico.

Allegatur etiam a *Gellio*, l. XI, c. 8, *Cornelii Nepotis* liber de *Viris Illustribus*. Narratur ibi ex eo *M. Catonis* dicterium in A. Albinum. Quum illud non occurrat in vita Catonis admodum brevi, quæ nobis relicta est, et quæ particula fuit libri ejus, quem de historicis latinis conscripsit, haustum videtur e libro, quem *Cornelius* separatim se fecisse ait de Catone, rogatu Pomponii Attici; et hic liber comprehensus postea est, adjectis pluribus vitis, eo opere, quod de viris illustribus inscripsit; nisi forte credere quis velit, quod vix mihi persuadeam, *Cornelium* tribus diversis libris, diversoque instituto, de ejusdem Catonis vita scripsisse. Mihi etiam est probabile, *vitam Pomponii Attici* non esse nisi partem ejusdem operis de viris illustribus a Gellio perlecti et allegati. Pomponio enim jure debebatur locus inter viros illustres, non vero inter excellentes imperatores, de quibus in alio opere egit *Cornelius*. Quod vero hæc una particula amplissimi voluminis temporis iniquitatem sola effugerit, tribuendum videtur diligentiæ illius librarii, qui epistolas Ciceronis ad Atticum exscripsit, eisque e vita Attici lumen afferri posse credidit. Inde forte, quum perierint reliquæ vitæ ad librum de viris illustribus pertinentes, sola vita Attici servata est. Fuere qui negarent, periisse *Cornelii* opus *de viris illustribus*. Relictus est enim libellus eodem nomine insignitus, et a variis editoribus *Cornelio* adscriptus. Sed facile perspicit intelligens lector, non posse hunc libellum ad Augusti auream ætatem referri; et locus, quem *Gellius* Cornelio se debere ait, in eo non invenitur. Præfixum quidem est huic libello, in editione Francofurtensi anni 1608, *Cornelii Nepotis* nomen; sed in præfatione ostendit *Andreas Schottus*, multis lucidisque argumentis, hunc de viris illustribus librum neque *Cornelio*, neque *Plinio*, neque *Suetonio* adscribendum esse. Nunc communi fere eruditorum consensu *Aurelio Victori* tribuitur, qui sub Juliano vixit usque ad Theodosium.

Cornelium de *Cicerone* singulari studio plures composuisse libros, *Gellius* iterum testis est, erroris tamen eum accusans admissi in ætate Ciceronis computanda, l. XV, c. 28.

Cornelium multa tradidisse, quæ ad descriptionem orbis terrarum spectant, discimus e *Plinii Historia Naturali.* Subinde citatur in hoc opere *Nepos* tanquam scriptor fide dignus, sed quibusdam in locis nimia ei exprobratur credulitas. *Plinius* satis habens, nominasse auctorem librorum, ad quos respexerat, titulos prætermittit. Pari modo, libris non nominatis, in locis geographicis Cornelii mentionem faciunt Mela et Solinus. Definire itaque vix audeo, utrum Cornelius singulare de *Geographia* opus conscripserit, an solum scriptis suis historicis, occasione data, ut Historici interdum facere et solent et debent, quædam, quæ ad Geographiam pertinent, insperserit. Loci, in quibus nimiæ credulitatis arguitur, sunt Plinii Hist. Natur. l. III, c. 18 et l. V, c. 1. In priore loco Cornelius Nepos reprehenditur, quod non dubitarit, ipse Padi accola, sua fide firmare commentum illud de Istro quodam flumine, quod e Danubio in Adriam effluere perhibebatur, ex adverso Padi fauces. In secundo loco, qui Mauritaniam Tingitanam urbemque et amnem Lixos attinet, gravius a Plinio increpatur Noster. Hæc enim sunt verba : « Extat in ea (Lixo insula) ara Herculis, nec præter oleastros aliud ex « narrato illo aurifero nemore. Minus profecto mirentur portentosa « Græciæ mendacia, de iis et amne Lixo prodita, qui cogitent, nostros « nuper paulo minus monstrifica quædam de iisdem tradidisse : prævalidam hanc urbem, majoremque Carthagine magna; præterea ex « adverso ejus sitam, et prope immenso tractu ab Tingi; quæque alia « *Cornelius Nepos avidissime credidit.* » Non mirum, si Cornelius, qui polygraphis annumerandus videtur, non omnia accurate satis perpendit et investigavit, si, nimium fidens aliorum relationibus, amore rerum mirabilium et veri quadam specie aliquando deceptus fuit. Id ipsum Plinio quoque, qui tam acerbe eum carpit, nonnunquam accidisse, quis neget?

Poetices attigisse Cornelium, patet e Plinii junioris epistola supra commemorata. Defendit enim in ea, Cornelii et tot aliorum exemplis, suam in scribendis recitandisque versiculis libertatem.

Memorantur ab *Ammiano Marcellino, Macrobio, Prisciano, Lactantio, Epistolæ Cornelii ad Ciceronem et Ciceronis ad Cornelium,* pluribus libris collectæ. Fidem faciunt, intercessisse inter hos viros quoddam litterarum commercium, constans Cornelii amicitia erga Atticum, Ciceronis familiarem, et ipsius Cornelii verba de Ciceronis ad Atticum epistolis, in vita Attici, cap. 16. Egregius etiam testis est *Suetonius,* qui in vita C. Julii Cæsaris ipsa affert Ciceronis ad Cornelium verba : « Quid? oratorum quem huic antepones eorum, qui nihil aliud egerunt? Quis sen« tentiis aut acutior aut crebrior? Quis verbis aut ornatior aut elegantior? » Sed eamdem sortem perpessæ sunt hæ Epistolæ, quam tot alia, quibus antiquitas gaudebat, volumina. Conservatæ fortasse fuissent Ciceronis

ad Cornelium litteræ, si minor inter eos intercessisset necessitudo. Tunc enim non separatis libris editæ, locum obtinuissent inter Ciceronis epistolas ad diversos, quæ ætatem tulerunt.

Ipse nos docet Cornelius, se non minorem operam adhibuisse in Romanis imperatoribus exponendis quam in Græcis. His enim verbis concludit vitam Hannibalis : « Tempus est hujus libri facere finem, et « Romanorum explicare imperatores; quo facilius, collatis utrorumque « factis, qui viri præferendi sint, possit judicari. » Testis etiam est Plutarchus, qui in vitis M. Marcelli, Luculli et Gracchorum fratrum, hunc librum Cornelii habuit ante oculos. Sed interiit, et est quod dubitem, an vita Catonis, quæ superest, pro particula hujus libri de imperatoribus habenda sit; in brevitate enim sua amplior est in scriptis ejus, quam in rebus gestis enumerandis.

Alium a se confectum librum memorat Cornelius in vita Dionis, cap. 3 : « Sed de hoc (Philisto) in eo meo libro plura sunt exposita, « qui *de historicis* conscriptus est. » Hunc locum ita explicandum esse, quod Nepos scripsit separatim de historicis græcis et de latinis, discimus e Jac. Frid. Heusingeri, clarissimi viri, dissertatione, quæ editioni Nepotis Fischerianæ adjecta est. Is enim, quum codices bibliothecæ Guelferbytanæ perlustraret, observavit in perantiquo (ad seculum enim XI refertur), qui orationes Ciceronis Philippicas continet, præfixos ei esse ejusdem librarii manu duos e Cornelio locos hucusque incognitos, qui sic inscribuntur : *Cornelius Nepos in libro de historicis latinis*, de laude Ciceronis. Plangit in priore loco Ciceronis mortem prematuram, his utens verbis : « Ille enim fuit unus, qui potuerit, qui etiam debuerit « historiam digna voce pronuntiare........ Ex quo dubito, interitu ejus « utrum res publica, an historia magis doleat. » Observavit idem Heusingerus, codicem Cornelii Nepotis in eadem bibliotheca, quem 500 annorum æstimat, hanc *vitæ Catonis* præferre inscriptionem : Excerptum e libro *Cornelii Nepotis de historicis latinis*. Citatur Cornelius in vita Terentii, sive a Donato sive a Suetonio perscripta; citantur a *Suetonio*, in libris de claris Rhetoribus et de claris Grammaticis, loci e Cornelio, qui ad historiam Romanorum litterariam spectant. Apparet inde, Cornelium non solum de historicis, sed etiam de aliis claris auctoribus scripsisse.

Credidit *G. J. Vossius*, et post eum *J. A. Fabricius*, conscripsisse Cornelium singularem librum *de Regibus*. Vossius his utitur verbis in vita Cornelii : « Præter imperatores seorsim exarasse librum de Regibus, « argumento hæc erunt, quæ Timoleontis vitæ subdit : Hi fere fuerunt « Græciæ gentis duces, qui memoria digni videbantur, præter reges. « Namque eos attingere noluimus, quod omnium res gestæ separatim « sunt relatæ. Neque tamen hi admodum sunt multi. » Mihi vero neutiquam hæc verba Cornelii, *quod omnium res gestæ separatim sunt relatæ*, ita explicanda videntur, quasi ad unum volumen a se conscriptum respiciat. Monstrosum aliquid et bono auctore parum dignum habet idea scribendi librum vel historicum vel biographicum *de Regibus*

in genere, absque ulla denominatione populi, cui imperaverint. Tale quid Cornelio in mentem venisse non credo. Excusat se potius hoc loco, quod in exponendis Græcorum imperatoribus reges studio prætermiserit, et tales quidem reges, qui non nomine, ut Lacedæmonii, sed revera regia dignitate utebantur, et quibus locus inter imperatores celeberrimos assignari debuisset. Philippum intelligit et Alexandrum, et complures inter Alexandri successores, Cassandrum nempe, Antigonum et Demetrium Poliorceten, Lysimachum, Seleucum, Ptolemæum, Pyrrhum. Hi enim, militari gloria, et rerum gestarum magnitudine, cuivis antiquiorum imperatorum merito æquiparantur. Dicit porro Cornelius: *Neque tamen hi admodum sunt multi.* Namque inter sequentes Macedoniæ, Syriæ et Ægypti reges *admodum* pauci rebus a se ipsis in bello gestis inclaruerunt. Tales sunt Philippus et Antiochus, qui ambo bellis contra vicinos populos magnam sibi famam paraverant, sed contra Romanos, ingenti licet apparatu, male res gesserunt, et Ptolemæus Evergetes, qui Cyrenaicam devicit, ipse dux copiarum. Non ait Cornelius, se ipsum horum regum omnium, qui imperatoribus annumerari possunt, res gestas uno volumine comprehendisse, sed quod omnium res gestæ *separatim* sunt relatæ, id est a diversis auctoribus, tunc temporis vulgo cognitis et probatis. Non enim est dubitandum, extitisse ante Cornelium complures libros Latinos, qui quum Philippi et Alexandri, tum etiam posteriorum regum historias continebant, cum quibus Romani vel amicitiam coluerunt, vel bella gesserunt. Ea enim scire Romanorum multo magis intererat, quam quæ ad bella Persica et Peloponnesiacum pertinebant.

Libros alios, qui Cornelio temere a quibusdam adscripti sunt, ut Daretis Phrygii versionem Latinam, lubens prætereo. Non enim interest reipublicæ litterariæ, revocare memoriam errorum, quos semel iterumque solidis argumentis propulere viri docti.

II. *De Cornelii scribendi instituto in libris qui supersunt.*

Et Græcarum litterarum et patriæ amore ductus scripsit Nepos vitas excellentium imperatorum. Romani rudes omnino erant litterarum Græcarum ante bella Punica, quippe qui inter armorum strepitus suam ipsorum linguam non colebant, qui artes omnes, præter eas, quæ ad vitam tuendam maxime necessariæ sunt, contemnebant, omnem gloriam in re publica administranda, et in re rustica et militari, exercenda ponentes. Sufficiat duo exempla istius ruditatis in medium proferre. Quum Romani, decemvirali potestate instituta, Græcorum, maxime Atheniensium, leges suum in usum convertere vellent, opus habebant interprete Hermodoro, Græco exule. Romanorum legatus Posthumius, quum verba faceret ad Tarentinos lingua Græca, iis erat derisui. Sed jam cœperant esse frequentiora commercia et fœdera inter utramque gentem, paulo ante bellum Punicum primum. Secundo prospere finito, sperare inceperunt Romani, se aliquando Græcos, prætensa specie libertatis,

in potestatem suam esse redacturos. Inde accrevit sensim apud eos cupiditas Græciæ interius cognoscendæ; accendebatur etiam Græcorum oratorum exemplis eloquentiæ studium, utile imprimis apud Romanos in re publica capessenda. Tum Cato, quamvis senior, arripiebat studium Litterarum; tum Græcæ fabulæ, a tot poetis comicis æque ac tragicis in Latinum sermonem translatæ, placebant populo. Tandem Carthagine destructa et eodem anno Corintho deleta, quum Romani captam tenerent Græciam, quum eorum spoliis ædes suas exornarent, aucta est in immensum Græcarum tam artium quam litterarum cupiditas. Multi ex Romanis, etiam consularis dignitatis viri, res Romanas græco sermone in historiam conferebant, ut ait Justinus in præfatione ad suum e Trogi Pompeii opere excerptum librum. Latina lingua eodem tempore incredibili studio locupletata et expolita in tantum repente evecta est fastigium, ut non æmulari modo Græcos, sed et superare vellent Romani. Græci philosophi, rhetores, artifices Romam convolabant, præmia ibi ingenii et laborum expetituri, quæ patria, in servitutem quippe redacta, vix concedebat. Contra ea Romani nobiliores Græciam petebant, ut in scholis ejus celebrioribus, quæ Athenis, Ephesi, Rhodi habebantur, eruditiores redderentur vel eloquentiores. Obstabat tamen arctiori utriusque populi conjunctioni morum diversitas, et ægre tolerabant Græci, nec nisi necessitati cedentes, Romanorum superbiam. Romani vulgo contemnebant Græcos, non solum ut a se victos, sed etiam nulla tum temporis armorum gloria splendentes.

Monstrare voluit Cornelius, fuisse olim duces inter Græcos, partim virtute et amore patriæ, partim etiam prudentia militari, celeberrimis inter Romanos æquiparandos. Librum conscripsit non tam in nobiliorum, eorumque paucorum, gratiam, qui ipsi inter Græcos vixerant, qui optimos eorum scriptores lectitabant et in deliciis habebant, quam in plerorumque civium suorum, qui Græcas res vel plane ignorabant vel leviter tantum tractaverant. Hunc ei fuisse scopum diserte indicat præfatio. Et quo facilius multorum vitas modico volumine comprehenderet, usus est genere scribendi compendiario, non nisi summas rerum attingens, in temporibus notandis negligentior. Conciliare volebat Græcorum ingenia et virtutes civium suorum animis; sed obesse videbat horum præconceptas opiniones, magnamque morum diversitatem. Monet itaque in præfatione eos, qui nihil rectum putant, nisi quod ipsorum moribus convenit, ut discant, non eadem omnibus esse honesta atque turpia, et illustrat hanc admonitionem variis scite delectis exemplis. Recte enim judicabat Cornelius, præcipuum esse biographi officium, servare mores eorum, quorum vitam describere instituit.

Quo apparatu instructus ad hoc opus se accinxerit, in præfatione lectorem non docet. E paucis, quæ in ipso libro occurrunt, citationibus patet, ad manus fuisse Cornelio in rebus Græcis cognoscendis Thucydidem, Theopompum et Timæum, in rebus Siculis Philistum, in Persicis Dinonem, in Romanis præter alios Polybium, ut et in vita Hannibalis

Silenum et Sosilum. *Herodotus* desideratur. Egomet vitas priorum quatuor in Cornelio imperatorum attente legens, easque comparans cum historia Herodoti, non possum non quin judicem, Herodoti opus in Cornelii conspectum non venisse. Nec id mirum. In tanta librorum Græcorum copia, quorum vix vicesima pars temporum injuriam effugit, non omnia quæ ad rem pertinebant, præsertim antiquiora, ad manus esse poterant scriptori in ipsa Græcia degenti, nedum homini Italo. Præter Thucydidem, quo Cornelius maxime usus videtur, ita ut ejus verba nonnunquam presse in sermonem Latinum verterit, auctores omnes reliqui ab eo allegati perierunt. Si superessent, constaret nobis, qua fide et quo delectu fontes adierit. Quum vero dudum hominum oculos fugerint, eo majori in pretio habendus nobis est Cornelius, cui jam historiæ Græcæ particulas quasdam non aspernandas unice debemus.

Jacturam haud levem existimo, partem Corneliani operis alteram de excellentibus inter Romanos imperatoribus jam non haberi. Plutarchus fatetur, se in vitis Marcelli, Gracchorum et Luculli conscribendis Nepotem evolvisse. Quæ alia nomina illustranda Cornelius susceperit, ignoramus. Credibile est, eum insignes viros ex omni eo tempore delegisse, quo Romanorum floruit respublica. Foret sane hic liber, si sors ita tulisset, eximium adjumentum ad pertexendam historiam Romanam, præcipue in illis temporibus, quibus et Livius et Dionysius Halicarnassensis pari fato deficiunt.

Descripsit Cornelius in operis parte, quæ relicta est, Græcæ gentis duces qui memoria digni viderentur, præter reges. Ipse enim expresse dicit, se hos attingere noluisse. Omisit heroes ad mythicum tempus pertinentes, qualis *Theseus*, cujus vitam Plutarchus postea exaravit, ut eum cum Romulo compararet. Omisit viros sapientes, legislatores, clarosque oratores, quales *Lycurgus*, *Solon* et *Demosthenes*, quorum memoriam idem Plutarchus celebravit. Sed omisit etiam nonnullos viros præclaros, qui merito imperatoribus Græcis annumerandi fuissent. Tales sunt inter antiquiores *Pericles et Nicias*; inter recentiores, qui post Alexandrum celebrati sunt, *Aratus* et *Philopœmen*, *Agis* et *Cleomenes*, quos omnes descripsit Plutarchus; ut taceam *Aristodemum* et *Aristomenem* Messeniorum, *Leonidam* et *Brasidam* Lacedæmoniorum, *Parmenionem* Macedonum, fortissimos duces, qui itidem a Plutarcho vel omissi vel nobis non relicti sunt. Mihi quidem non culpandus videtur Nepos, quod hæc nomina præterierit. Pendet enim ex arbitrio auctoris biographi, quos potissimum viros illustrare velit; et majori laudi duco, prætermittere eorum vitas, quorum res gestas et virtutes non probe habemus cognitas, quam levius tractare res gravissimas. Eam credo Cornelio causam fuisse, cur quorumdam ex iis vitam attingere noluerit; aliam vero, quod ad quatuor illos attinet, qui ultimi inter duces Græcorum habentur, Aratum, Philopœmena, Agin et Cleomenem. Illi enim in ea incidunt tempora, quibus Romani potentiores facti Græcas res æque ac suas nosse cœperunt.

Habemus a Cornelio vitas undecim Atheniensium, trium Spartano-

rum, duorum Thebanorum, e Corintho vero et Syracusis, ut et ex Alexandri ducibus, non nisi singulorum. His novemdecim imperatoribus Græcis admiscuit unum e Persicis et e Carthaginensibus duos; ipse, credo, probe persuasus, eas gentes, quas Græci et Romani communiter, sed magna profecto injuria, barbaras vocitabant, non fuisse a virtutis et prudentiæ laude alienas, et nobili permotus consilio, ut cives suos, qui fortuna elati reliquas gentes omnes contemnere solebant, meliora edoceret.

Scripsit Nepos Græcorum historias, eo in hanc gentem studio, ut ipse pro Græco haberi possit, sed interspersis talibus sententiis, quæ bono Romano cive dignæ erant. Exempli gratia paucas proferam e compluribus. Narrat Miltiadis capite 6, quale præmium ei sit tributum ob victoriam Marathoniam, causamque subjicit: « Quo facilius intelligi possit, « eamdem omnium civitatum esse naturam. Ut enim populi nostri honores « quondam fuerunt rari et tenues, ob eamque causam gloriosi, nunc « autem effusi atque obsoleti; sic olim apud Athenienses fuisse repe- « rimus. » Aurea sunt hæc verba lectori, qui Græcorum et Romanorum aliarumque gentium noscit historiam, et qui in causas inquirit servatæ apud alios integritatis, apud alios cito consecutæ depravationis morum. Laudat *Agesilai* pietatem c. 4 : « Qui quum victori præesset exercitui, maxi- « mamque haberet fiduciam regni Persarum potiundi, tanta modestia dicto « audiens fuit jussis absentium magistratuum, ut si privatus in comitio « esset Spartæ; » et subjungit : *Cujus exemplum utinam imperatores nostri sequi voluissent !* Hæc verba, quæ justum viri boni dolorem e perturbatione patriæ conceptum manifestant, aperte respiciunt ad L. Syllam, qui primus omnium, et ad Julium Cæsarem, qui sequenti tempore exercitum Romanum, cui præfecti erant, vetante senatu, adversus urbem Romam duxerunt. Possent etiam applicari ad Octavium, qui, cum exercitu a senatu missus contra Antonium, paulo post arma adversus senatum convertit; si certi essemus de anno, quo Nepos vitas excellentium imperatorum conscripsit. De *Thrasybulo* agens, quum Athenas liberare aggressus esset, inquit Cornelius cap. 2 : « Neque tamen pro « opinione Thrasybuli auctæ sunt opes. Nam *jam tum* illis temporibus « fortius boni pro libertate loquebantur, quam pugnabant. » Dolens comparat auctor sua ipsius tempora cum illis, quibus Athenæ, quatuor fere seculis ante, tristem sub triginta tyrannis servitutem subierant. Quis enim nescit, illa verba, *Fortius boni pro libertate loquebantur, quam pugnabant*, inter multos alios in ipsum Ciceronem, egregium alioquin civem, convenire?

Hæc et alia satis superque declarant, si argumentatione opus esset in re confecta, vixisse auctorem hujus libri, Pompeii et Cæsaris, Antonii et Octavii ætate, et esse eumdem, qui vitam Pomponii Attici conscripsit. Declarant idem quæcumque subinde in hoc libro, ut in præfatione et in Epaminonda, de moribus Romanorum monentur, quæ omnia in Cæsaris et Augusti ætatem quadrant.

Plane diversus liber est a vitis imperatorum vita Attici, licet ab eodem auctore conscripta. Merito laudatur hæc ab omnibus ob ingenuitatem et ob artem singularem, qua hominis privati, a strepitu armorum et ab honoribus alieni, virtutes exponuntur; est tamen nonnunquam obscurior ob negligentiam in tempore notando. Scribendi ratio monstrat auctorem summa humanitate et prudentia præditum, amicumque constantem et amabilem.

III. *Observationes criticæ et philologicæ.*

Speciminis loco dabo observationes quasdam criticas, antiquarias, historicas, ea tantum deligens, quæ scitu jucunda et utilia, quæ ulteriori disquisitioni apta videntur. Si enim omnia, quæ ad hæc capita referri possunt, examinare instituerem, non essem dissertationem, sed justum volumen exhibiturus.

I. Attente legentes Cornelium, *lacunas* in eo observabunt duas, licet nec in codicibus nec in editione principe, et iis, quæ subsecutæ sunt, ullum notetur earum vestigium. Prima, quam jam observavit Lambinus, est in vita *Lysandri*, sub finem cap. II; altera, quæ Lambini aciem effugit, et ab Augusto Buchnero primum notata est, in vita *Eumenis*, cap. XI. Uterque locus punctis seu asteriscis indicatur a recentioribus, quos novi, plerisque. Vix argumentum majus esse potest, periisse omnes olim ab antiquitate relictos codices hujus libri, præter illum unum, quem Æmilius Probus exscripserat Theodosio exhibendum; et ex solo hoc apographo, qui et ipse dudum periisse videtur, tanquam archetypo, effluxisse sensim omnes, qui adhuc per Europam reperiuntur, codices manu exaratos.

Enatæ sunt lacunæ, breviores, qualis illa in Eumene habenda est, ex oscitantia librarii; longiores, qualis ea in Lysandro (omissa est enim tota res, quam Nepos narraturus erat), seu ex eadem oscitantia, seu, etiam quod sæpius accidit, codicis primarii mutilatione. Pauci inter bonos quoque codices reperiuntur (id enim casui et humanæ fragilitati dandum) sine aliquo defectu. Si e diversis emanarunt fontibus, exhibebit facile unus, quod desideratur in aliis. Sic nonnulla scripta veterum, quæ manca erant in editione prima, novo codice, vel etiam singulis tantum foliis et fragmentis repertis, feliciter suppleta scimus. Sin vero eædem lacunæ offenduntur in omnibus, recte judicantur iidem omnes ducti esse ex eodem fonte, eoque posterioris ævi sive casu sive culpa jam corrupto. Valet itaque de Nepotis Imperatoribus idem, quod celeberrimus et optimus vir, *J. A. Ernesti* pronunciavit de *Tacito*, Præf. p. 16: « Omnes varietates lectionum, quas e libris scriptis notatas habemus, « proprie esse varietates unius exempli, non plurium, quæ ex ipso « archetypo fluxerint. Unde fit, ut omnibus codicibus comparandis nihil « aliud effici possit, quam ut, quid in uno illo apographo, unde ii « venere, fuerit, inveniamus. »

II. Conferens editionem principem anni 1471 cum recentioribus, quæ Bosianam vel omnino vel maxima ex parte secutæ sunt, Staverniana nempe, Heusingeriana, Fischeriana et Harlesiana, reperi, pluribus in locis receptas esse a *Bosio* anomalias linguæ Latinæ, quum tamen *Editio princeps* analoga et recta tueatur. Habent e. g. editiones nominatæ omnes, Eum. I, 6 : præfuit equitum *alteræ* alæ; Timol. III, 2 : otium *totæ* insulæ conciliavit; Thras. II, 2 : quæ res illis contemnentibus *pernicii* fuit; Thras. I, 5 : in bello *parserat* fortuna; Reg. I, 4 : illo *Perses* nemo fuit manu fortior; habent Hamilc. I, 1 et Caton. III, 3, *Pœnicum* bellum; quum tamen editio princeps, aliis in locis vitiis non carens, hic recta teneat aut magis usitata : *alteri*, *toti*, *perniciei*, *pepercerat*, *Persarum*, *Punicum*. Easdem rectiores lectiones confirmat, præter alios, codex Thottianus, uno tantum loco Eum. I, 6 excepto. Scio, vix ullum vel elegantissimum scriptorem, ex antiquis æque ac e nostris, tam fuisse semper ad regulas purioris styli attentum, ut nunquam aberraverit. Quandoque bonus dormitat Homerus. Scio etiam, regulis grammaticæ vulgaribus superstitiose inhærendum non esse, et posse interdum ab iis recedi, si dentur exempla bene comprobata, elegantes auctores aliter sæpius scripsisse. Sed crederem, esse boni Critici, ut non nisi invitus et complurium codicum auctoritate quasi coactus, admittat ea, quæ sunt ab usu et regulis aliena; crederem, verum esse artis criticæ finem, non mutare in pejus, quæ recte et ex auctoritate codicum edita jam fuerant, sed collatis codicibus, perpensis ex utraque parte rationibus, corrigere quæ depravata sunt. Excuso quodammodo *Bosium*, cui animus fuit præferre rectis anomala, et qui editionem principem nunquam conspexit. Si conspexisset, fortasse non fuisset tam temerarius mutator. Sed quomodo haberi potest ejus editio pro tam correcta et limata, ut ad apicem eam repetant nostri seculi viri eruditi, ut studiosi litterarum animadversiones ejus tanquam speculum artis grammaticæ inspicere jubeantur? Dicit e. g. Bosius in annot. ad Timol. III, 2 : *Totæ* insulæ, non *toti*, recte! asserens id contra se ipsum (habuerat enim in editione priore *toti*), et contra fidem librorum fere omnium. Monstrat enim libellus Fischerianus, solum codicem Gifanianum legere *totæ*, et adducuntur contra ea tredecim tam codices quam editiones, consentientes in *toti*. Pari modo prætulit Bosius Reg. I, 1, lectionem : Hi fere fuerunt *Græciæ* gentis duces. Fateor, legi etiam ita in editione principe; sed legunt, *Grææ* gentis, præter codicem Thottianum, Bœclerianus et Axenianus; et quis non videt, hoc esse rectius? Tam pravæ artis corrigendi usum perspicio nullum, nisi ut vaga, incerta et aspera reddantur elementa linguæ Latinæ, et ut nugis detineantur, difficultatibusque implicentur pueri, utilissimum auctorem legentes.

III. Negandum quidem non est, scriptores veteres Latinos usurpasse nonnunquam voces rariores, adhibuisse etiam Græcas, quo accuratius rem demonstrarent civibus suis parum notam. Sed voces ab usu linguæ Latinæ alienas in nitido auctore temere admittendas haud puto. Habet

e. g. editio Bosiana et quatuor illæ, quæ eam sequuntur, Thras. II, 2, *Actæorum*; habent eædem, excepta Heusingeriana, Alcib. IV, 3, *Trierem* a Græco τριήρη. Legerunt ante Bosium editiones optimæ his in locis, *Atticorum* et *triremem*, quæ verba idem significant, multoque magis usui et rei ipsi respondent. Confirmant has lectiones editio princeps, et, præter alios, codex Thottianus. Quis non credat, ita scripsisse ipsum Cornelium, et immutationem perperam a Bosio esse factam?

IV. Lectitabant veteres Græci, et Latini etiam doctiores, *Homerum*, ea diligentia, ut memoria pæne tenerent immortalia ejus poemata. Ideo non mirum, si eum citantes quandoque in voculis aut rebus minutis erraruut. Accidit id Nepoti in vita Datamis, ubi Thyum memorat natum antiquo genere ab illo *Pylæmene*, quem Homerus Troico bello a *Patroclo* interfectum ait. Respexit ad Iliad. l. V, v. 576 — 579. Ibi memoratur Pylæmenes Paphlagonum μεγαθύμων ἀσπιςάων princeps, interfectus a Menelao, non a Patroclo, qui tum Achillis comes et pugnæ expers erat. Non fefellit Cornelium memoria, in iis quæ maxime ad rem illustrandam faciebant. De Thyo Paphlagonum principe loquens, meminit, ex Homero comprobari posse, jam olim Paphlagones suis usos esse principibus seu dynastis, et Pylæmenem generis, ex quo Thyus ortus erat, auctorem interfuisse bello Trojano. Hæc recte. Parum intererat eo loco scire, a quo Pylæmenes interfectus dicatur, et in eo erravit.

Protulit Homericum versum *Dion*, ira in obtrectatorem suum Heraclidem permotus : Non posse bene geri rem publicam multorum imperiis. Est ille Iliad. II, 204 :

> Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔςω,
> Εἷς βασιλεύς.

Sunt hæc verba Ulyssis, qui Græcos jam discessum a Troja parantes coercet, et morem gerere jubet Agamemnoni, penes quem solum deberet esse summa imperii. Citatur versus ille a Nepote his verbis, *Ex secunda rhapsodia Homeri*, non adjecto Iliados nomine. Concludi inde possit, Iliadem Odyssea antelatam et a Romanis Cornelii tempore potissimum lectitatam esse.

V. Suspicati sunt primi et eruditissimi inter hujus libri commentatores, Longolius, Magius, Lambinus, errasse nonnunquam auctorem, libros Græcos, quibus utebatur, minus attente legentem. Narratur e. g. Phocion. V, 3 : « Hic quum ad mortem duceretur, obvius ei fuit « *Emphyletus*, quo familiariter fuerat usus. » Nesciunt tale nomen monumenta Græca, et contextus monet, nominandum hic fuisse aut hominem historicis non ignotum, aut potius in genere amicum quemdam. Opinio itaque est, convertisse Cornelium voces Græcas ἔμφυλος τις, id est, ex more Atheniensium, *tribulis quidam*, quo familiariter usus fuerat Phocion, in nomen homini proprium. Ita factum esse credo; nec video, cur tantopere se torqueant inter recentiores nonnulli, levem illam a Cornelio culpam amovere cupientes. Erroris Cornelium quibusdam in

locis accusavit Plinius, ut supra monuimus p. 322; et errasse etiam in rebus historicis haud parvi momenti, evincent, credo, quædam quæ postea dicturus sum. Veneramur bonos scriptores, non si causam eorum quamcumque suscipimus, et argumentis quibuslibet propugnamus; sed quum errores humanitatis sorte admissos facile excusamus, et bonos ac diligentes, qualis omnino fuit Cornelius, eos, qui, veritatis et elegantiæ studiosi, quam plurimas res recte et accurate tradiderunt, a vulgo scriptorum secernimus, quibus, dum chartam impleant, perinde est quæ scripserint.

VI. Ruditatis et in stylo et in rebus accusavit librum, quem tantopere plurimi commendant, *Caspar Barthius*, argumentatus inde, seculo Augusti non esse omnino dignum. Monstrat certe hæc argumentandi ratio, Barthium, quamvis apprime doctum, rerum humanarum modice fuisse gnarum. Extollantur, jure quidem, maximis laudibus secula illa Periclis et Augusti. At quis credat, inter tanta lumina, quæ secula illa illustrarunt, non fuisse ignes minores, nullum audaculum, qui scripta sua, parvi licet æstimata, ediderit tamen? Credidit Barthius, vitas quas habemus Imperatorum, originem quidem trahere a Cornelio Nepote, sed esse sequiore ævo ab Æmilio Probo correptas, seu potius corruptas. Præcipuum ex ejus argumentis esse video insignem, quam in vita Iphicratis animadvertisse se putavit, contradictionem, quam jam sub examen revocabo. Judicat Barthius, verba auctoris, Iphicr. III, 1, *Sed in labore remissus nimis, parumque patiens, ut ait Theopompus*, non convenire posse in eum, qui secundum c. I, 2, multum in bello versatus, multa in re militari nova attulit; concludit, esse talia indigna aureæ ætatis auctore, ideoque non a Cornelio, sed a Probo prolata. Asserit, Iphicratem aliquando exprobrasse Pharnabazo, esse eum verbis alacrem, rebus tardum. Quo ore, qua fronte, inquit Barthius, barbaro vitium exprobrare potuisset Iphicrates, nisi ipsemet laboris et strenuitatis sibi conscius fuisset? Valeret quodammodo argumentum, si animus esset Iphicratis causam omnino suscipere, et eum quovis modo a Theopompi reprehensione liberare. Sed certe concludi inde non potest id, quod vult Barthius. Nepos enim et quisque alius aurei seculi scriptor Latinus non poterat judicare de imperatore Græco, nisi secundum ea, quæ fide dignus aliquis inter historicos Græcos tradiderat. Nominat hoc loco judicii sui auctorem, Theopompum. Et quæ, quæso, contradictio reperitur inter Iphicratis caput I et III? Si quis ita judicans nesciret exempla aliorum, qui, licet in bellis strenui, in labore tamen, id est in negotiis, remissi nonnunquam fuere, edoceri potuisset vel solius Alcibiadis exemplo, et hoc vitium et illam virtutem nonnunquam in eodem homine reperiri.

VII. Sunt loci in Nepote variatione codicum tam ambigui, ut disputari ex utraque parte veritatis quadam specie possit. Conferam tantum codicem Thottianum, editionem principem, et Bosianam, seu, quæ eam sequitur, Fischerianam.

Tales loci sunt:

Themist. IV, 2 : cujus *fama*, Edit. P. et B. *flamma*, C. Th.

Pausan. IV, 1 : vincula epistolæ *laceravit*, E. B. *laxavit*, E. P. c. Th.

Alcib. II, 1 : Græcæ linguæ eloquentia *ditissimum*, E. B. *disertissimum*, E. P. et c. Th.

Iphicr. II, 5 : Epaminondæ retardavit *inceptus*, E. B. *impetus*, E. P. et c. Th.

Concedo, lectiones, quas Bosius recepit, posse defendi, muniri etiam codicum quorumdam auctoritate; sed credo, eas, quas tenuere editio princeps, et, prætor alios, codex Thottianus, magis esse probabiles.

Milt. V, 3, legitur, ut in editione Bosiana, sic etiam in ed. Princ. et codice Thottiano : « Namque arbores multis locis erant *raræ*, hoc con« silio, ut et montium tegerentur altitudine, et arborum tractu equitatus « hostium impediretur. » Eamdem lectionem recepit et tueri videtur Lambinus. Nihilominus cum Harlesio et aliis præferendum credo esse: Arbores multis locis erant *stratæ*, quam vocem expetit et ipse sensus, et id quod sequitur : Arborum tractu equitatus hostium impediretur. Aperte enim loquitur auctor de consilio, quod est in re militari usitatissimum, et quod nostris dicitur *Verhack*.

Locus vexatus in vita Attici, XII, 3, ut ex editione Bosiana editur: « Nam quum L. Saufeii, equitis Romani, æqualis sui, qui cum eo com« plures annos, studio ductus philosophiæ, habitabat, habebatque in « Italia pretiosas possessiones, » explicitus redditur lectione Lambiniana: Qui complures annos, studio ductus philosophiæ, *Athenis* habitabat. Notandum enim est, voces *cum eo* aut *eo* non inveniri in codicibus primisque impressis, sed adjectas esse e conjectura, ut aliquem sensum præberent, relata ad *habitabat*. Sed longe clarior est sensus, omisso *cum eo*, adjecto *Athenis*. Non niti hanc lectionem mutatione ex arbitrio Lambini facta, sed fide codicis antiqui, docuit J. F. Heusingerus in dissertatione, quæ editioni Fischerianæ adjecta est. Legit enim ita editio *Corneriana*, cujus supra mentionem feci.

VIII. Est boni commentatoris, observare locos auctorum, in quibus usi sunt voce quadam, significatione peculiari aut minus solita. Tum enim eruditione sua opem ferre debet lectori, non ut fieri solet in illis locis, quos mente ad rem attenta et evolvendo lexico quivis facile assequitur. Adjungam et ejus generis observationes.

Epam. VIII, 2, legitur : Ut in *periculo* suo scriberent. Hanc vocem corruptam crediderunt editores complures, quum per contextum de cippo loqui debere Epaminondam putarent. Edidit Aldus *sepulcro*, ut alias minus felices conjecturas taceam. Sed constanter tenent lectionem *periculo* codices, quibus et annumerandus est Thottianus. Defendit eam multa eruditione Bosius, sed tanta prolixitate, ut annotatio dissertationis speciem referat. Concinne magis, quæ ad rem intelligendam faciunt, collegit Gesnerus in Thesauro linguæ Romanæ. In explicanda significatione ab usu communi aliena nihil est utilius, quam monstrare progressum translationis. Notissima est illa *periculi* significatio *tentamen*,

Danice *Forsog*. Vox inde ad scripturam relata significat *Concept*, Danice *Udkast;* in rebus denique judicialibus *sententiam* verbis conceptam, quæ prælegi damnato solet, posteaque tabulis publicis inferri. Optime illustratur translata hæc significatio loco Ciceronis in Verrem, III, 79: Eorum hominum (scribarum) fidei tabulæ publicæ, *periculaque* magistratuum committuntur.

Caton. II, 3 : « A multis *tentatus*, non modo nullum detrimentum « existimationis fecit, sed, quoad vixit, virtutum laude crevit. » *Tentatus* hic idem significare, ac *in judicium vocatus*, res ipsa docet. Sed rarior est usus, et eum nec a Gesnero explicatum video.

Attic. XVIII, 2 : Sic familiarum originem *subtexuit*. Subtexere notat *anweben*, vel quod etiam a Germanis ad materiam in libris tractatam transfertur, *drein verweben*. Sic Livius : Subtexit deinde fabulæ huic, etc. Innuit Cornelius, Atticum libro, quo magistratus ornabat, res genealogicas scite admiscuisse. Non solum hanc significationem non enodatam video a commentatoribus, sed etiam in indice latinitatis Bosiano falso explicatam.

Attic. IX, 1, cfr. XVI, 3, utitur auctor voce *divinationis*, eo sensu, quo longe abest a divinatione illa superstitiosa, quam amabant veteres, et quam religio Christiana vix tandem eradicare potuit. Mutuo se explicant hi duo loci, et monstrant auctorem, supra seculum suum sapientem, parum tribuisse superstitioni, multum vero prudentiæ et constantiæ, et credidisse, in his virtutibus conjunctis veram sitam esse divinandi artem, id est, prospiciendi sibi in rebus adversis.

IV. *Observationes antiquariæ.*

Singularem et admirandam rei antiquariæ operam præstitit vir optimus *Philippus Daniel Lippert*, professor Dresdensis. Is enim picturæ et reliquarum, quæ cum ea conjunctæ sunt, artium ab adolescentia cultor, tanto incensus est antiquæ elegantiæ studio, ut senex didicerit litteras Græcas, et gemmarum effigies magno numero delectas, optime ordinatas, et singulari dexteritate, sua suorumque manu expressas, non solum communicare cum artium studiosis, sed etiam concinne et erudite explicare potuerit. Nemo est qui nescit, quanta sit gemmarum præstantia, quæ, veterum arte cælatæ, in principum aliorumque summorum virorum museis asservantur. Habet etiam Excellentissimus comes de Thott, qui tot tantasque res sua doctrina et eo, quo flagrat, artium amore complectitur, gemmas antiquas haud paucas, quas adhuc nec æri incisas, nec alia via communicatas cum eruditis credo. Opera illa splendidissima, quibus gemmæ æri incisæ exhibentur, superare mihi videtur *Dactyliotheca Lippertiana*, quæ jam quatuor maximæ formæ volumina refert. Ejus enim effigies eumdem, quem ipsi archetypi, præstant usum in mythologia et historia illustranda; imo, quum quatuor millium numerum superent et scite dispositæ sint, majorem, quam ab ullo in Eu-

ropa museo exspectari potest. Opto, ut in scholis cultioribus habeatur et tractetur hæc Dactyliotheca; pretium quamvis magnum, quod ei comparandæ impendetur, utilitate facile compensabit.

I. Notabo, quæ ex Lipperti opere ad Cornelii imperatores illustrandos pertinent. *Miltiades* ter occurrit, Chiliad. II, n. 326 et 327, Suppl. II, n. 124; *Themistocles* bis, Chil. II, n. 330 et 331; *Aristides*, Chil. II, n. 328 et 329; *Alcibiades*, Chil. II, n. 333 et Suppl. II, n. 125 et 126; *Epaminondas*, Chil. II, n. 335; *Phocion*, Chil. II, n. 334. Neminem pœnitebit legisse, quæ Lippertus scripsit ad has imagines explicandas in voluminibus Lipsiæ, annis 1767 et 1776, publicatis.

II. In Cornelio, qui mores Græcorum, ut Romanis plerumque notos, attigit potius quam explicavit, complura inveniet intelligens lector, quæ altiorem antiquitatis cognitionem requirunt. Vel sola *præfatio* materiam suppeditare posset libello de his rebus haud inutili aut ingrato. Tum demum florebit Philologiæ studium, tum demum et pueri avidis auribus accipient, quicquid ad explicandos auctores tradunt magistri, si cum linguæ Latinæ studio antiquaria et historica cognitio rite conjungitur. Multa etiam de his rebus præclare scripsisse video Longolium, Lambinum, Magium; sed multos, qui eos insecuti sunt, commentatores, aut neglexisse antiquitates, aut quæ de eis congesserunt, inani disputatione tantoque involvisse verborum ambitu, ut non facile notare et percipere possit lector id, quod ad rem pertinet. Consuli solet in evolvendis auctoribus Lexicon antiquitatum Romanarum, ex parte etiam ad ritus Græcorum pertinens, quod a *Samuele Pitisco*, magnæ eruditionis viro, elaboratum, tribus voluminibus prodiit Hagæ Comitum 1737, mea ex editione. Id Lexicon, quamvis e Grævii Gronoviique Thesauris, multisque aliis e libris congestum, vix explebit antiquitatum sciscitatoris desideria, apparatu præsertim librorum destituti. Inveni e. g. omissas voces *Poecile*, et de qua supra tractavi, *periculum*. Sub *gynæcium* seu *gynæconitis* pauca collecta sunt, illustrandæ illi consuetudini, de qua loquitur Nepos, minus idonea. Nec otium suppetit, nec fortasse suffecerint vires ad explicandam in multis auctoris nostri locis antiquitatem. Speciminis loco aliquot exhibebo observationes.

III. Quisquis litterarum Græcarum non omnino expers est, offendetur statim loco illo Cornelii in præfatione: « Nulla Lacedæmoni « tam est nobilis vidua, quæ non ad scenam eat mercede conducta. » Scimus, Lacedæmonios e lege Lycurgi ludis scenicis seu theatralibus omnino abstinuisse. Manifesti sunt loci Xenophontis, qui familiaris fuit Agesilai, et Plutarchi, qui centum post Cornelium annis scripsit, omnemque adimit excusationem, hunc non de Pausaniæ et Agesilai, sed de suo ipsius tempore loqui, quum Lycurgi leges jam essent obsoletæ. Et si unquam, corrupto rei publicæ statu, Lacedæmonii leges suas adeo neglexerunt, ut scenæ operam darent; cur præ cæteris in tota Græcia feminis, Lacedæmoniæ viduæ nobili tribuatur, quod nisi per fraudem

legis cives nonnunquam admisisse suspicamur? Mercede conduci solent, qui *in* scenam eunt, ut partes nempe agant in comœdia, non qui *ad* scenam, ut spectent. Muneris causa sumptibus publicis in aliis Græciæ urbibus exhibebantur ludi; sed quis mercede conducet eos, quibus spectare volupe est? Effugere interpretes conati sunt has quæstiones, ad quas vix apta excogitari potest responsio, tribus modis. Alii, ab Æmilio Probo profecta hæc verba putantes, asserunt, auctorem non de illo ævo loqui, quo imperatores Pausanias, Lysander, Agesilaus vixerunt, sed de eo, quo liber conscriptus putabatur, Theodosii nempe ætate; tunc forte habitos Lacedæmone ludos scenicos, tunc forte viduas nobiles eis adfuisse. Tam absona est hæc conjectura, tot contra eam valent rationes, ut operæ pretium non sit ei refellendæ immorari. Nec mentionem ejus fecissem, nisi ea, quod mirum, Lambini nomen præ se ferret. In chartam conjecisse videtur Lambinus hanc observationem, antequam factus est certior, Nepotem esse verum libri auctorem; postea illam delere oblitus. Monstrat hoc exemplum, purgandos esse a lapsibus, sive calami sive judicii, doctiorum etiam virorum commentarios, si iterata editione repetuntur. Explicant alii *scenam* per ludos gymnasticos, quos Lacedæmone magno in pretio fuisse scimus, feminas quoque eis admissas non negamus; sed pugnare videtur hæc explicatio contra usum vocis *Scenæ*, a Græcis æque ac Romanis receptum. Et restat quæstio : Quis mercede conducet viduam nobilem, ut eat spectatum? Alii denique, quorum princeps fuit Hieronymus Magius, crediderunt, legi debere *cœnam*, non scenam. Aut hanc lectionem, aut etiam *ad lenam*, corrigendo textui aptam esse credidit J. M. Heusingerus, eaque res largam præbuit materiam disputationis inter ipsum et doctissimum Stavernium. Certum quidem est, Lacænarum mores non fuisse præ cæteris castos. Sed lectio *ad lenam* non placuit beato Gesnero, jure, ut mihi quidem videtur; et, si exprobrare Nepos voluit viduis Lacænis morum licentiam, hoc sensu vix adæquate dixisse videtur: Quæ non ad cœnam eat mercede conducta.

Nihil itaque superest, nisi ut locum judicemus adeo corruptum, Æmilii fortasse Probi culpa, ut probabiliter nec explicari nec emendari possit. Nolim enim accusare Cornelium, eum in moribus Græcorum exponendis, in præfatione præsertim, ubi exempla deligenda erant notissima et certissima, tam graviter errasse.

IV. Præf. §. 1 : *Quis musicam docuerit Epaminondam.* Nihil apertius declarat hanc Græcorum morum a Romanis diversitatem, quam id quod *Cicero* ait, *Quæst. Tusc.* I, c. 4 : « Summam eruditionem Græci « sitam censebant in nervorum vocumque cantibus. Igitur et *Epaminon-* « *das*, princeps, meo judicio, Græciæ, fidibus præclare cecinisse dicitur, « *Themistocles*que aliquot ante annis, quum in epulis recusasset lyram, « habitus est indoctior. Ergo in Græcia musici floruerunt, discebant- « que id omnes, nec, qui nesciebat, satis excultus doctrina putabatur. »

Carebant Romani, quum tamen Ciceronis ætate essent florentissimi,

bonis musicis perinde ut pictoribus, quia dedecere putabant has artes viros nobiles. Quo minus erat arti honoris, eo minora studia fuerunt.

V. Præf. §. 7: *Gynæconitis*. Respondet hæc vox ei, quam Turcæ aliique Asiæ populi usurpant, *Haram*, nisi quod moribus differunt. Græcis enim unam tantum uxorem ducere fas erat, quum Mahomed, ex antiqua gentium Asiaticarum consuetudine, asseclis suis plures permiserit, qua licentia ditiores adhuc interdum utuntur. *Homerus* auctor est, jam olim feminas separatum a viris domicilium occupasse. Monstrat id exemplum Penelopes, Odysseæ libro I. Servatum fuisse eumdem Græcorum morem Cornelii etiam ætate, luculentus testis est *Vitruvius*. Is enim, de Architectura, l. VI, c. 10, quod inscribitur: « De « Græcorum ædificiorum eorumque partium dispositione, atque diffe- « rentibus nominibus, satis ab Italicis moribus et usibus discrepantibus; » non solum mentionem facit gynæconitidis, sed etiam docet, quomodo ædificata et instructa esse soleat. « In his locis introrsus constituuntur « œci magni, in quibus matresfamiliarum cum lanificiis habent sessio- « nes....... Hæc pars ædificii *gynæconitis* appellatur. » Opponitur gynæconitidi *andron* seu *andronitis*, de qua Vitruvius l. c.: « Græci enim « *andronas* appellant œcos, ubi convivia virilia solent esse, quod eo « mulieres non accedant. » Scitum fuit Diogenis Cynici de utraque parte ædium dictum, quod refert Diogenes Laertius. Quum enim ex eo, Lacedæmone Athenas veniente, quæreret aliquis, unde veniret, quo tenderet? respondit: Ex andronitide in gynæconitin.

VI. Miltiad. VI, 3, memoratur *Poecile*, porticus seu stoa Athenarum, in qua pugna depicta est Marathonia, ita ut in decem prætorum numero prima Miltiadis imago poneretur, isque hortaretur milites præliumque committeret. Ad illustrandum hunc locum nihil potest esse luculentius verbis iis, quibus usus est *Æschines* in oratione adversus Ctesiphontem. Utar versione Lambini: « Adite igitur animis ad porticum Poecilen! « omnium enim rerum præclararum extant vobis in foro monumenta. « Quid igitur est, Athenienses, quod ego dico? Hic Marathonia pugna « depicta est. Quis erat imperator? — Neminem sane vestrum esse « puto, qui non ita rogatus respondeat: Miltiades. At illic nusquam « ejus nomen inscriptum est. — Quid ita? non petiit hoc præmium? — « Petiit quidem, sed populus non dedit; verum ei pro nominis inscri- « ptione concessit, ut primus milites cohortans pingeretur. »

Patet ex his oratoris verbis, ut et e scriptoris historici narratione, mox post pugnam Marathoniam, Miltiade adhuc vivente et libero, tabulam hanc esse confectam. Itaque ad præmium Miltiadi tributum non pertinet id, quod *Plinius* refert, Hist. Nat. XXXV, 8, prælium Marathonium a Panæno, fratre Phidiæ, esse pictum, nec quod *Ælianus*, qui Polygnoto celebri admodum pictori ejusdem generis opus in Poecile tribuit; hi enim duo multis post pugnam Marathoniam annis pingendi arte inclaruerunt. Renovatam potius post combustas a Xerxe Athenas, seu etiam repetitam his pictoribus pugnæ Marathoniæ tabulam credo.

Confirmatur inde id, quod asserit Plinius l. c., summæ antiquitatis esse apud Athenienses artem pingendi, et mature eos ad culmen pervenisse, ita ut jam Candaulis, i. e. Romuli ætate, Olymp. 22, manifesta fuerit artis claritas atque absolutio. Dicit Plinius, Panænum, fratrem Phidiæ, prælium Marathonium pinxisse: « Adeo jam colorum usus percrebuerat, « adeoque ars perfecta erat, ut in eo prælio iconicos duces pinxisse « tradatur, Atheniensium Miltiadem, Callimachum, Cynegirum, Bar« barorum Datim et Artaphernem. » Quomodo pingere potuisset artifex, Periclis ætate florens, pugnæ Marathoniæ duces iconicos, nisi eum præcessisset pictor, pugnæ illi coævus? Hanc picturæ antiquitatem nec video observatam a commentatoribus Cornelii, nec satis vindicatam ab artis hujus historicis recentioribus, qui præstantiora quævis ad Periclis ætatem referre solent.

VII. Chabr. I, §. 2 : « Obnixoque genu scuto, projectaque hasta « impetum excipere hostium docuit. §. 3. Hoc usque eo tota Græcia « fama celebratum est, ut illo statu *Chabrias* sibi statuam fieri voluerit, « quæ publice ei ab Atheniensibus in foro constituta est. Ex quo factum « est, ut postea athletæ, ceterique artifices, his statibus in statuis ponendis « uterentur, in quibus victoriam essent adepti. » Exscripsi locum totum, quo facilius dignoscantur, quæ *G. E. Lessing* ingeniosissime commentatus est sub finem libri sui, qui *Laocoon* inscribitur. Quidquid de bonis litteris et artibus scripsit præstantissimus vir, cum quo in prima adolescentia intima familiaritate conjunctus vixi, lego cum maxima voluptate. Eminent enim in eo, quæ raro in uno scriptore conjuncta invenias, eruditio late patens, summum ingenii acumen, magna in argumentando vis, mirusque dictionis nitor. Celeberrimus *Winkelmannus* in opere suo de arte pulchriore commentatus erat de *Borghesio*, quem vulgo perhibent, *gladiatore*. Statua illa præclara multis in libris æri insculpta habetur. Conspicitur etiam egregia ejus effigies gypsea nostra in urbe, in arce Charlottoburgensi. Negavit Winkelmannus, esse gladiatorem, aut, ut alii volunt, *discobolum;* credidit esse militem, qui virtute sua, statuque, quo hostis impetum excepit, statuam meruerit. *Lessingius* statuam illam, comparans cum Nepotis descriptione, quam supra attuli, judicat repræsentare *Chabriam*. Unum obstare videtur. Sursum tenet miles ille scutum; quum Nepotis descriptio habeat: Obnixo genu scuto, projectaque hasta. Sed vir doctissimus ita interpungendum credit : Obnixo genu, scuto, projectaque hasta. Attigit eamdem rem in alio libro , qui inscribitur : *Antiquarische Briefe*. Potest utique, si vis, interpunctio Lessingiana habere locum. Sed si id non detur, haud minus acceptum et probandum erit Lessingii de celebri hac statua judicium. Si non omnino respondet statui, quo Chabrias impetum hostium excipere docuit, alium repræsentare videtur illustrem Græcum militem, vel etiam victorem Olympiæ, cui ad exemplum Chabriæ *in eo statu posita est statua, in quo victoriam est adeptus.*

VIII. Lysandr. III, 1. *Lacedæmonii omnia ad oracula referre consue-*

verant. Aptus in hunc locum commentarius est totus Herodotus, sententiis quippe oraculorum repletus. Monstrat, Græcos omnes oraculis plurimum tribuisse; nullum vero inter eos populum tanta superstitione ab oraculorum effatis pependisse, ac Lacedæmonios. Instituerant oraculorum gratia singulare munus. Utebantur scilicet duobus *Pythiis*, quos Delphos ad exploranda vaticinia mittere solebant; teste Herodoto, l. VI, p. 400. Sed corruptam nonnunquam fuisse *Pythiam*, docet idem Herodotus, l.V, p. 364, et VI, p. 402 et 408.

IX. Agesil. VIII, 5. *Ignorantia bonarum rerum*. Inter Græcos æque, ac alios qui *elegantiam* affectabant populos, sapientiores eam potissimum in his rebus posuerunt, quæ ad animum effingendum pertinent, sed plerique haud minus in illis, quæ ad voluptatem luxuriamque. Notabant vocibus ἀβελτερία, ἀναισθησία, homines a cognitione aut sensu bonarum rerum alienos, idque similiter, ac nostrum *Geschmack*, *Smag*, cadit æque in cogitandi ac in sentiendi rationem. Pari modo interpretanda sunt verba quæ præcedunt: Hominis *non beatissimi* suspicionem præberet. Revera *beatus* dici meretur is, qui summo animi bono, frugalitate, fruitur. Sed usurpavit etiam Juvenalis vocem, ex more Romanorum, pro divite, seu bonis externis affluente.

X. *Catonis* cap. III, describuntur ejus *Origines*, seu historiæ Romanæ libri septem. Librum hunc magnis extollit laudibus Cicero, sed docet simul, jam suo tempore fastidio fuisse Romanis. Confirmatur inde, quod sub initium hujus dissertationis monui, accidisse Romanis idem, quod apud nos fieri videmus, ut pro vicissitudine temporum et linguæ, boni quoque libri negligantur, fastidiantur, aliique in eorum locum ad tempus succedant, minoris forte pretii. Utile est conferre cum Cornelii descriptione Ciceronis judicium. Brut. c. 17 : « Jam vero *Origines* ejus « quem florem, aut quod lumen eloquentiæ non habent? Amatores huic « desunt, sicut multis jam ante seculis et Philisto Syracusio, et ipsi « Thucydidi. Nam ut horum concisis sententiis, interdum etiam non « satis apertis, quum brevitate, tum nimio acumine, officit Theopompus « elatione atque altitudine orationis suæ....... Cur igitur Lysias et Hy- « perides amatur, quum penitus ignoretur *Cato*? Antiquior est hujus « sermo, et quædam horridiora verba; ita enim tum loquebantur. Id « muta — jam neminem antepones *Catoni*. »

Hanc Ciceronis defensionem legentibus non erit mirum, Catonis præstantissimum opus jamdudum periisse.

V. *Observationes historicæ*.

Nihil magis expedit ad auctores veteres cum fructu aliquo historicæ cognitionis legendos, quam alterum ex altero explicare, supplere. Hoc commodum a commentatorum maxima parte frustra exspectatur. Pauci inter eos, qui cordi habuerunt promovere cognitionem historiæ veteris, allegarunt locos scriptorum ad eamdem rem pertinentes, quos evolvere

non cujusque est lectoris. Pauciores, inter quos Lambinus, locos auctorum, eorum præsertim, qui minus in manibus tironum versantur, in annotatione exscripserunt; at paucissimi, auctores in diversa abeuntes aut conciliare inter se, aut, re cognita, judicium de eis ferre sustinuerunt, quum erroris arguere auctorem, quem commentantur, piaculum quasi ducant. Nec in libris separatis plerisque, quos de historia vetere composuere recentiores, accessus datur ad artis historicæ penetralia, scientiam scilicet dijudicandi auctores. Alii historiam scribunt, nominatis testibus nullis, quod quidem compendiario scriptori, si modo ipse diligens fuerit fontium perscrutator, fas esse duco. Id enim elementis historiæ veteris addiscendis quam maxime convenit. Sed eruditiores oculis suis videre, diversasque rationes ponderare volunt. Citationibus superfluunt alii, quamvis ipsi raro fontes adierint, recentiorum opiniones veterum immiscent testimoniis, nec a veris falsa dijudicant.

I. Innumeri fere sunt Cornelii loci, quibus ex aliis auctoribus, pari aut majore fide dignis, suppleri potest vel etiam emendari. Varias res, quæ historiæ supplendæ et connectendæ inserviunt, tabulis Chronologicis indicabo. Hic deligam potissimum eos locos, quibus Cornelium errasse aut negligentius scripsisse credo; non detrahendi aliqua cupiditate ductus, sed veritatis historicæ studio, et juventuti inserviens, quæ sæpius veteres omnes laudari uno ore rebus in omnibus audit, et ad eos superstitiose colendos adigitur. Nihil est magis alienum a vero antiquitatis studio, quum videamus, quod supra monui, reprehendi a Plutarcho Herodotum, a Plinio Cornelium; nihil magis obtundit judicandi vim, quam acuere maxime debent juvenes litterati. Nam quum sæpissime in partes diversas abeant historici veteres (quod idem in nostra historia accidit, et quod humana fert fragilitas), aut legent eos sine judicio et sine ulla ad res narratas attentione, aut nescient, cui fidem tribuant, cui negent.

II. Dixi hujus dissert. p. 326, me non credere, Herodoti historiam unquam in conspectum venisse Cornelii Nepotis. Erunt, quos hæc suspicio offendet, qui persuasum sibi habent, auctoribus Latinis aditum patuisse ad Græcos omnes, illosque nulli pepercisse operæ hos perlegendi et indagandi. Sed cogitemus, ingentem fuisse copiam omnis generis librorum et apud Græcos, et Cornelii etiam tempore apud Romanos, quorum minima pars ætatem tulit, eoque difficiliorem fuisse delectum. Cogitemus, idem accidisse Græcis ac Romanis, quod nobis, spernere nonnunquam et negligere libros bonos antiquiores, et pro præstantioribus, novitatis gratia, ad tempus habere alios, qui revera erant minoris pretii et fidei. Si exemplo opus est, provoco ad ea, quæ Cicero dixit de Catonis Originibus, eademque occasione de Thucydide et de Philisto, exscripta a me superius. Cogitemus etiam, Græcorum libros, præsertim antiquiores, quorum exemplaria sensim multiplicabantur per librarios mercede conductos, non ubivis fuisse obvios in Italia, Cornelii maxime ætate, qua non ita dudum flagrare Romani

cœperant cupiditate Græcas litteras addiscendi. Dicere hæc omnia me puto excusandi potius Cornelii gratia, quam incusandi. Hausisse videtur sua omnia in vitis Miltiadis, Themistoclis, Aristidis et Pausaniæ, in quibus Herodoto uti potuisset, e scriptoribus nobis incognitis, sed, ut credo, ætate æque ac fide minoribus Herodoto. Si, gravi hoc auctore lecto, sciens ab eo dissensisset, haud minus indicasset dissensum, ac factum videmus in vita Themistoclis, ubi de ejus in Persas itinere loquens, ait se plures auctores legisse, sed credere potissimum Thucydidi, quod ætate proximus erat.

III. Credo itaque, Cornelium multum errasse in vita Miltiadis conscribenda, quum auctores Græcos secutus sit minus perspicuos, longo forte post Miltiadis ætatem tempore florentes. Tanta est in Miltiadis vita tradenda diversitas, si Cornelium comparare velis cum iis, quæ Herodotus, l. IV et VI, exposuit, ut vel hæc sola disquisitio amplam dissertationi materiam præbere possit. Sed quis præferre dubitabit Cornelio Herodotum, qui coævus erat Cimoni, Miltiadis filio, qui, Halicarnassi natus, nullo ferebatur in aliquam Græciæ civitatem aut familiam partium studio, qui, quæ vera essent, sciscitari et poterat et volebat, qui erat integerrimi animi multique judicii, qui denique, audiente et applaudente tota Græcia, prælegit historiam rerum in memoria recenti versantium?

IV. Luculenter docuit Herodotus, *Miltiadem*, Cimonis filium, cujus vitam Cornelius exposuit, non venisse in Chersonesum, ut coloniam Atheniensium deduceret, sed ut regnum capesseret in Doloncis, Chersonesi Thracicæ incolis, hæreditario quasi jure, et annuentibus Pisistrati filiis, qui tum Athenis dominabantur. Jam enim Pisistrati et Crœsi ætate patruus Miltiadis hujus, Miltiades, Cypseli filius, qui generis originem ab Æaco Æginæ rege trahebat, Athenis ex oraculo a Doloncis evocatus fuerat, ut ipsos regeret. Ei primum in Chersonesi dynastia successit Stesagoras, fratris Cimonis filius, tandemque huic interfecto alter Cimonis filius, noster Miltiades, qui usque ad id tempus Athenis habitaverat, et uxorem postea duxit Hegesipylam, Olori Thracum regis filiam. Ita Herodotus res narrat, l. VI, p. 392—394 et 419, ex editione mea, quæ impressa est apud Henr. Stephanum anno 1592. Consilium Miltiadis de ponte in Istro flumine dissolvendo exponitur ab Herodoto, l. IV, p. 304, ubi videmus, Miltiadem assensisse tantum consilio et petitioni Scytharum. Chersonesum paulo post reliquit, sive ob incursiones Scytharum, sive, quod probabilius est, ob Darii metum. Sed post triennium repetitus est a Doloncis, iisque imperavit adhuc multos per annos usque ad illud tempus, quo Ionia iterum sub potestatem Darii redacta est. Paulo ante *Lemnum* occupasse videtur, quam insulam non *Cares*, sed *Pelasgi* tenebant, ut Herodotus prodit, l. V, p. 338 et l. VI, p. 433. De pugna *Marathonia*, de irrita oppugnatione *Pari*, et de Miltiadis accusatione et morte multa traduntur libro VI Herodoti, quæ longe absunt a Cornelii narratione. Notabo tantum de pugna Marathonia,

quod alio loco tradit Herodotus, l. IX, p. 596, pugnam describens Platæensem. Contentio enim fuit ante hanc pugnam inter Athenienses et Tegeates, quis populus alterum teneret cornu. Opponebant Tegeatum argumentis Athenienses, se pugna Marathonia vicisse 46 nationes. Ob hujus rei famam antelati sunt Athenienses, judicantibus Lacedæmoniis.

V. In vita *Themistoclis* a Cornelio descripta non notabo ea, quæ ille prætermisit. Decet enim biographum, qui, ut ipse alia occasione profitetur, summas tantum rerum attingere voluit, multa prætermittere. Eo amplior fuit, ex instituto suo, in Themistocle describendo Plutarchus. Duos tantum locos selegi, in quibus errasse Cornelium credo.

Cap. II, §. 1 : « Primus autem gradus fuit capessendæ reipublicæ « bello *Corcyræo*, et §. 3 : Classe celeriter effecta, primum *Corcyræos* « fregit. » Intestina Græcorum bella, ea maxime, quæ paulo ante et post pugnam Marathoniam acciderunt, tam solerter enumerata sunt ab Herodoto, ut certo mentionem fecisset belli Atheniensium adversus Corcyræos, si unquam gestum fuisset. Sed nihil tale in Herodoto. Exponit potius idem Themistoclis consilium, de quo breviter Cornelius: « Nam quum pecunia publica, quæ ex metallis redibat, largitione magis« tratuum quotannis interiret; ille persuasit populo, ut ea pecunia « classis centum navium ædificaretur. » His verbis, l. VII, p. 489 : « Quum magna vis pecuniæ e proventu metallorum, quæ sunt e *Láureo*, « esset in ærario Atheniensium, eaque esset æque dividenda viritim, « denis in singulos puberes drachmis, tunc Themistocles hanc dissuasit « Atheniensibus distributionem, sed ex pecunia classem *ducentarum* « navium ad *Ægineticum* bellum comparare suasit. Hoc enim bellum « Græciæ salutem attulit, cogens Atticos nauticos fieri. » Occasionem belli Æginetici prodit Herodotus, l. V, p. 361, et aperta res est, cadere ea in bellum Ægineticum, quæ Cornelius, minus accurate historiam Græciæ antiquam tenens, de Corcyræo dixit. At, respondebit aliquis, fortasse etiam, vivente Themistocle, cum Corcyræis bellum gesserunt Athenienses? quod nescivit Herodotus, cujus vero memoriam Nepos, aliis bonis auctoribus usus, conservavit. Id omnino non probabile. Athenienses in eo demum decennio, quod a pugna Marathonia ad Salaminiam effluxit, operam dare cœperunt rei navali; occasionem præbuit bellum Ægineticum. Nullum reperitur vestigium, hoc ipso decennio Athenienses ad tantam pervenisse potentiam, ut Corcyræos debellarent, toto fere Græciæ ambitu ab ipsis distantes et jam dudum mari potentes. Efflagitarunt Athenienses hac ipsa ætate a Corcyræis auxilium, quum Xerxes transitum in Græciam pararet, teste Herodoto, VII, p. 489. Confessi sunt post id tempus Corcyræi, quum in bello adversus Corinthios suscepto opem peterent ab Atheniensibus, se iis hucusque nec socios fuisse nec inimicos, in oratione quæ legitur apud Thucydidem, l. I, c. 32. Asserit denique Thucydides, Themistoclem exulem, ea potissimum ex causa confugisse ad Corcyræos, quod bene quondam de eis meruerit, l. I, c. 136. Itaque non *fregit* eos.

Ad eumdem Thucydidem provocat ipse Cornelius in vita Themistoclis,

cap. IX; tamen, cap. VIII, longe ab ejus narratione discedit. §. 3 : « Ad « Admetum, Molossorum regem, cum quo ei hospitium fuerat, confugit. » At Thucydides loco nuper citato asserit, Admetum non fuisse Themistocli amicum; idque, quod ipsa res docet, multo probabilius. Si enim jure hospitii cum eo fuisset conjunctus, non certe *filiam* Admeti parvulam arripuisset, et se cum ea in sacrarium, quod summa colebatur cærimonia, conjecisset. Ait contra ea Thucydides, consilio uxoris Admeti, arreptum fuisse a Themistocle *filium* ejus, eumdemque supplicem petiisse et impetrasse ab Admeto pristinæ offensionis veniam.

VI. Dicit Cornelius, interfuisse *Aristidem* pugnæ Salaminiæ; fuisse etiam prætorem Atheniensium apud Platæas; pergens, c. II, 2 : *Neque aliud est ullum* hujus in re militari illustre factum.

Notatu dignissima sunt, quæ Herodotus memoriæ prodidit de rebus ab Aristide, et apud Salamina, et apud Platæas gestis, l. VIII, p. 555, et IX, p. 596; plura adhuc de iisdem refert Plutarchus in vita Aristidis. Si brevitatis gratia ea præterire volebat Nepos, omittenda tamen non fuisset pugnæ *Marathoniæ* memoria, præsertim quum inde appareat, fuisse Aristidem non solum, ut ait Cornelius, *fere æqualem* Themistocli, sed etiam æqualem Miltiadi. Certum est e Plutarcho aliisque auctoribus, fuisse Aristidem e decem prætorum numero, quamvis nomina eorum non recenseat Herodotus. Modestia et virtute sua non minimam Aristides habuit partem in victoria Marathonia.

VII. *Pausan.* I, 2 : « Hujus illustrissimum est prælium apud Platæas. « Namque illo duce Mardonius......... *haud ita magna manu* Græcia « fugatus est. »

Accurate enumerat *Herodotus*, l. IX, p. 597, exercitum Græcorum, qui ad Platæas cum Mardonio conflixit. Dicit, gravis armaturæ 38700, leviter armati circa singulos Spartiatas collocati 35700, levis armaturæ reliqui 34500; totus autem exercitus Græcus undecim myriades, minus mille et octingentis, seu potius, si numeros singulares colligas, 108900 armati. Talis numerus non appellari solet haud ita magnus, sed est maximus, quem unquam in historia Græca computatum reperi, exercitus. Si Herodoti amplissimam hujus pugnæ descriptionem perpendimus, judicabimus facile, quam parum victoriæ Platæensis, quæ universam Græciam liberavit, tribuenda sit Pausaniæ virtuti, quam multum fortunæ et aliorum Græcorum fortitudini.

VIII. *Cimon.* II, 2 : « Primum, imperator, apud flumen Strymona « magnas copias Thracum fugavit : oppidum Amphipolin constituit, « eoque decem millia Atheniensium in coloniam misit. Idem iterum « apud *Mycalen* Cypriorum et Phœnicum ducentarum navium classem « devictam cepit. » Tenent eamdem lectionem, a Bosio, et qui eum sequuntur, receptam, omnes codices, nisi quod levi mutatione nominis, Thottianus habet *Michalen*, et editio princeps *mychalem*.

Jam in eo non satis perspicuus fuit Cornelius, quod non notavit tempus, quo Cimon post patris mortem custodia tenebatur, et quo tandem liberatus ad rem publicam pervenit. Cimonis jam magnam

fuisse apud Athenienses auctoritatem ante pugnam Salaminiam, discimus e Plutarcho. Is enim tradit, illius potissimum exemplo prævaluisse consilium Themistoclis, Athenarum urbem, appropinquante Xerxe, relinquendi, et defendendi patriam mœnibus ligneis, seu navibus. Herodotus Cimonis mentionem facit nullam, nisi quod narrationi de morte Miltiadis subjungit, Cimonem filium mulctam exsolvisse. Concludi inde potest, id quod et historiæ series confirmat, non admodum longam fuisse Cimonis custodiam. Erravit vero Cornelius in rebus gravioris momenti.

Celebre ad Mycalen prælium non commissum est post illud apud flumen Strymona, et post Amphipolin coloniam constitutam. In prælio ad Mycalen non fuit dux Cimon.

Confudit auctor noster prælium ad *Mycalen*, quod est promontorium Ioniæ exadversus Samum percelebre (quod sacrum erat ob templum Panionium a duodecim Ioniæ civitatibus ibi exstructum, teste Herodoto, l. 1, p. 69), cum illo prælio, haud minus insigni, quod novem annis post commissum est, Cimone duce, ad *Eurymedonta* Pamphyliæ fluvium; ea fortasse causa in errorem ductus, quod in utroque prælio et mari et terra pugnatum est. Victoriæ Græcorum ad Mycalen amplam descriptionem dedit Herodotus sub finem operis sui. Dux Græciæ communis in eo prælio erat Leutichides Lacedæmonius, dux Atheniensium Xantippus, Periclis pater. Commissum esse eodem die, quo Pausanias victoriam Platæensem reportavit, asserunt historici, quos novi, omnes.

IX. *Cononis* et *Agesilai* vitæ, comparatæ in rebus, quæ ad *Tissaphernem* pertinent, satrapen Lydiæ. Eminuerunt eodem tempore, aliquot post bellum Peloponnesium annis, virtute bellica inter Lacedæmonios *Agesilaus*, inter Athenienses *Conon*, qui quidem jam sub finem istius belli prætor fuerat Atheniensium, et postea inter Persas versabatur. Historia non solum regum, sed etiam satraparum Persicorum in Asia, multum illustrat res ejus temporis Græcas. Celeberrimus inter eos est Tissaphernes, in cujus intimam amicitiam Alcibiades pervenerat. Is dicitur Cornelio summo studio bellum gessisse adversus Agesilaum, Ages. II; in vita vero Cononis de iisdem rebus loquens auctor dicit, Con. II, 2: « Quum Lacedæmonii « Agesilaum bellatum misissent in Asiam, *maxime impulsi a Tissapherne*, « qui ex intimis regis ab amicitia ejus defecerat, et cum Lacedæmoniis « coierat societatem; hunc adversus Pharnabazus habitus est imperator, « re quidem vera exercitui præfuit Conon. » Et cap. III: « Defecerat a « rege Tissaphernes, neque id tam Artaxerxi, quam ceteris, erat apertum. »

Hæc sibi contradicunt, aut ad minimum contradicere videntur. In vita Agesilai laudibus extollit hunc imperatorem, quod vicerit Tissaphernem. Ait in vita Cononis, Agesilaum in Asiam *venisse*, impulsum a Tissapherne. Quæ igitur laus Agesilai, et quid mirum, si Tissaphernes se vinci passus est? Exponere conabor rem omnem; tum quidem dissolvetur quodammodo contradictio apparens, sed scriptor non omnino quadam negligentiæ culpa liberabitur.

Fuit *Tissaphernes* magna fide in Darium Nothum et in ejus filium Artaxerxem Mnemona, sub eorum imperio per complures annos magnam Asiæ partem administravit, et prudens perspexit, non esse regis Persiæ, eo usque adjuvare Lacedæmonios, ut universam Græciam in sua potestate tenerent. Sed exosus erat Tissaphernes Cyro juniori, ejusque et Artaxerxis matri, sceleratæ isti Parysati; æmulum etiam habebat Pharnabazum, Hellesponti satrapen. Tempestive monuerat Artaxerxem, cavere sibi a Cyri fratris consiliis, et opera ejus in prælio ad Cunaxa magna fuit ad Artaxerxis salutem. Recte itaque dicit Cornelius : « Reminiscens Artaxerxes, Tissaphernis se opera Cyrum fratrem superasse. » Quum brevi tempore post prælium ad Cunaxa Lacedæmonii, Agesilai consilio, bellum inferrent Persis, non poterat non infensus esse Lacedæmoniis, qui tam fidum se præstiterat regi. Restitit itaque sub initium belli, quantum potuit, Agesilao in Asia grassanti. Sed quum non ex sententia gererentur res Persarum, *Parysatis*, quæ Tissaphernem, ut reliquos omnes, qui Artaxerxem adversus Cyrum adjuverant, infinitis persequebatur odiis et calumniis, proditionis eum accusavit. Hac accusatione ad desperationem adductus Tissaphernes, irritatus Parysatis et Pharnabazi calumniis et minis, factus tandem est proditor, Agesilaum Asiam devastantem non impedivit, fortasse etiam consilia cum eo clandestina iniit. Inde per Cononem apud regem accusatus, jussu ejusdem per Tithraustem necatus est. Ea in hac narratione, quæ ad Tissaphernem et Parysatin pertinent, amplius exposita sunt a perillustri *Guldbergio*, Histor. T. II, p. 127, 143, veterumque auctoritatibus munita.

X. Notatu digna est *Athenarum* per L. Cornelium Syllam expugnatio in bello Mithridatico. Non attigit eam Cornelius, nec necesse per se erat, quum vitam Pomponii Attici, non res ejus temporis Romanas persequeretur. Dicit tantum, *Attic.* II, 2 : « Posteaquam vidit Atticus, « Cinnano tumultu civitatem esse perturbatam........ idoneum tempus « ratus studiis obsequendi suis, Athenas se contulit. » Memorat postea c. IV, 1, Syllam, qui Athenas venerit ex Asia recedens.

Ita loquens, dubium reliquit lectorem de quæstione haud parvi momenti, num Atticus fuerit Athenis jam eo tempore, quo a Sylla obsessæ et ad exitium redactæ sunt ? Cinnani enim tumultus brevi post Syllæ ex Italia discessum exarserant. Tum utique gratia, qua Atticus valebat apud Syllam, plurimum prodesse potuisset afflictis Atheniensibus; et tanta res silentio prætereunda non erat.

Persuasus vero sum, ejus temporis historiam perpendens, Atticum non ante obsidionem, sed post deditionem, et quietem Athenis restitutam, in hanc urbem demigrasse, quum Sylla jam in Asia bellum gereret adversus Mithridatem. E calamitatibus, quas paulo ante pertulerat Athenarum urbs, explicanda sunt illa Cornelii verba, Attic. II, 4: « Sæpius suis opibus inopiam eorum publicam levavit; » similiter et alia beneficia, quæ Atticus privatus in civitatem afflictam conferre potuit.

EXCURSUS

J. A. BOSII, A. VAN STAVEREN,

ALIORUM,

AD CORNELIUM NEPOTEM.

PRÆFATIO, p. 3. *Nulla Lacedæmoni tam est nobilis vidua, quæ non ad scenam eat mercede conducta.* Vid. Obs. Misc. Nov. tom. VI, p. 516. *Staver.* Heusingerus, cui *ad scenam ire* non latine dictum videbatur, emendaturus erat, *ad lenam eat.* Secus autem videtur Staver. in Miscell. mem., ac Nepotem morem Laconum, quo etiam mulieres athleticis palæstræ exercitiis operam dabant, respexisse putat, et indicare, Lacedæmone nullam fuisse tam nobilem feminam, quæ, a viris et in primis adolescentibus quibusvis pretio quodam vili pellecta, non statim suam domum reliquisset, et cum iis ivisset ad palæstram, quam *scenam* vocat, quia apud Romanos scena notet quemvis locum, in quo quis spectaculo est. Dein docet, *ire ad scenam* latine dici; et aliud esse, *ire ad scenam;* aliud, *prodire in scenam. Ire ad scenam* latinissime dicitur, domo egredi ad locum spectaculis edendis constitutum; *prodire in scenam* notat, sese jam in scena sistere, et spectatoribus conspiciendum præbere, suas jam partes acturum. Nec tautologiæ est insimulandus Nepos, quum hic agat tantum de mulieribus Lacænis, et paulo post de omnibus Græcis tam viris, quam feminis. Denique per *viduas* non adeo intelligendæ illi videntur nuptæ feminæ, quæ maritos morte amissos lugeant; sed et innuptæ et nuptæ maritis destitutæ, ac solæ in ædibus, quæ forte nec clausæ, nec quibus custodes appositi sint, relictæ. Hæc omnia fusius probat Staver., idemque rejicit Jo. Hildebr. Withofii commentum in Encæniis criticis, reponentis *Encænia.* In explicatione tamen Staverenii me offendunt voces, *mercede conducta:* cur tunc turpe putabatur? Amplius igitur dispiciendum esse, cum Bœclero arbitror. Forsan dedit Nepos, *quæ non* nuda *eat ad scenam,* h. e. palæstram: *nuda* enim inter *non* et *eat* facile elabi poterat; et quum nudæ puellæ certassent cum adolescentibus, nonne viduis quoque, forsan ad novos amatores sibi parandos, idem licitum fuisse videtur? v. Heusinger. Bentley, ad Phædri fab. IV, 24, 6,

legit *ad cœnam eat*, quæ quidem jam conjectura fuit Freinshemii, Magii, Gesneri, etc. Kappii annotat. vide in Opusculis meis, pag. 458 sq. Assensum præbuit cl. Bergstræsser; contra humanissimo censori in bibl. philol. (Gœttingæ, 1773, vol. II, p. 715) mea conjectura ejusque explicatio videtur esse haud satis tuta. Cl. *Tzschucke* malit eligere Heusingerianam opinionem *ad lenam*, quod illi apte cum verbis *mercede conducta* coïre videtur: sed ea non placuit *Schlegelio*, qui, pag. 76 sq. disputat., postquam variorum VV. DD. examinavit conjecturas, tandem locum judicat adeo corruptum, Æmilii fortasse Probi culpa, ut probabiliter nec explicari possit, nec emendari. His scriptis, incidi in *Jo. Godofr. Schickedanz*, Rectoris scholæ Dessau., prolusionem scholast. *de vidua Laconica ad scenam eunte*, Dessau. 1780, 4, 1. plag. Primum *scenam* retinet, et intelligit palæstram, præcipue, quum Spartæ quoddam esset virginum cursu certamen gymnasticum, nec vero puellas, docet, tantum, easdemque maximam partem denudatas inter se certasse, sed etiam cum adolescentibus in gymnasiis consuesse simul corpora exercere; nudationem illam non fuisse turpem, sed simplicem quamdam consuetudinem, ad majus corporis robur et ad nuptias conciliandas aptam, nec adeo viduis quoque indignam. Tum, si cui illa expositio displiceat, emendationem, *cœnam* commendat, h. e. convivium, præcipue id, quod Κοπὶς dicebatur, et extra urbem in tentoriis instituebatur: ad quod illæ viduæ a procis forsan mercede conductæ ducebantur. Denique probat vulgatum *ad scenam*; addit vero et uberius exponit, Cornelium non loqui de vetustis Lacedæmoniorum moribus, sed de iis, qui suo ævo viguissent, adeoque corruptis et perditis, Lacænis luxui, deliciis et auro argentoque adsuetis: viduas igitur vel nobiles illa tempestate a spectaculis scenicis et ludicris artibus, mercede conductas, haud abhorruisse. *T. C. Harless.*

Miltiades, V, p. 13. *Nova arte, vi summa .... namque arbores .... erant stratæ.* Schedæ Gifanii, *nona partis summa.* Savaronis et Schotti libri antiqui, *in parte montis summa*, quam scripturam et Schottus probat; quod ad montis pedem instrui acies potuit, pugna vero ad montis verticem committi, urgente, ut fit, hostili acie. Sed hæc si examinanda forent, magnam singula Schotto difficultatem respondendi afferrent. Mihi persuadeo altius delitescere ulcus, quam ut ex ingenio sine Codd. Mss. ope tolli possit. Interim *nova arte* licet capere strategema, quo contra immensam Barbarorum multitudinem acies inter arborum tractus, in montis radicibus instructa: *vim* vero *summam*, alacritatem pugnandi incredibilem, et vincendi fiduciam, qui a suis castris octo fere stadia in barbaros procurrerent. Apposite Vegetius lib. 1, cap. 1: *In omni prælio non tam multitudo et virtus indocta, quam ars et exercitium solent præstare victoriam. Gebhard.* Lambinus transponit hoc pacto: *Deinde postero die sub montis radicibus acie e regione instructa, hoc consilio, ut et mont. teg. altitud. et arborum tractu (namque arbores multis locis erant raræ) equit. host. imped. ne mult. clauderentur; nova arte, vi sum. præl. commiserunt.* Si vulgatus ordo ser-

varetur, duriusculum fore existimavit. Omnino autem Puteanum sequor, eumdem sensum, sine transpositione, agnoscentem. Quid enim durum illud? *Arbores erant hoc consilio, ut teg.* Ad evitandam repetitionem, quum præclare primo quidem generatim pugnæ hujus adjumenta, *novam artem* (nov. consilium alibi vocat, singulare nimirum et e re nata celeriter repertum) *et vim summam* ac fortitudinem militum posuisset, deinde *artem* sive consilium (nomen iterare non erat necesse) in instruenda acie locoque legendo exponit: quemadmodum *virtutem* militum num. 5. itidem seorsum ostendit. *Arbores erant hoc consilio:* non sane erant hoc consilio; sed quia erant, consilio solerti aciei accommodabantur; ad ea scilicet, quæ præcedunt, referenda est hæc βραχυλογία. Quod objectum est, *arborum raritatem non impedire equitatum, sed crebritatem silvæ ac densitatem;* non concesserim omnino. Quis enim non videat, arbores licet raras et per seriem enatas, sed multis locis tamen, Miltiadi subsidium, hosti impedimentum attulisse, cujus equites nec ubique, nec libero incursu, impetuque ac recursu, nec quanto cupiebant agmine, arborum interventu præliari poterant. Ergo hic quidem nihil scrupuli. Sola restat, quæ memoratur, Marathonii campi planities. Sed quid implicamus rem satis expeditam? An pugnant ista: campus ipse planus erat et equitatui aptus; et sub radicibus montis adsiti, arbores multis locis tractim enatæ visebantur. *Gebhardus* tamen *de arboribus prostratis* conjicit, ad impediendum equitatum hostium (*ut ap. Frontin.* 2, 9.); igitur pro *raræ* legendum esset, *stratæ*, quod si in codice ullo reperiretur, jam dubio res careret, optimeque consilii ratio explicaretur, nimirum ut a tergo montibus, latere concædibus munitos Athenienses intelligeremus. *Bœcl.* Atque sic etiam *Buchnerus* rescribendum censebat. Nam in Commentario ad h. l. Hæc, *inquit*, absurdissima lectio est. Legendum vel *stratæ* vel *satæ*. Significat n. aut depactos passim truncos arborum, aut stratos fuisse, quibus accessus equitum impediretur. Longe inferiores numero erant Græci; itaque, ne barbarorum multitudine clauderentur, partim a loci ingenio petebant præsidium, partim arte atque solertia efficiebant. Locus faciebat, ne ex altera parte, qua montes surgebant, invadi possent; ars vero, ne, qua patebat campus, incurrere equitatus posset, positis contra truncis arborum, qui impedirent accedentes. Pertinet hoc ad septimam depugnandi rationem Vegetii, de qua, ut cæteris etiam, lib. III, cap. 20, exponit. Hæc *Buchnerus*. Mihi, ut ingenue fatear, nondum liquet. Ceterum artem, qua Miltiades usus est adversus Barbaros, paulo diversam facit Clemens Alexandr. I strom. p. m. 343. *Noctu*, inquit, *duxit Athenienses, per loca invia iter faciens, et eos, qui ipsum observabant, Barbaros decipiens. Hippias enim, qui defecerat ab Atheniensibus, barbaros in Atticam induxerat, et opportuna, quæ præoccupaverat, loca servabat, propterea quod erat peritus regionis. Ac difficile quidem erat, latere Hippiam. Unde merito Miltiades, et locis inviis et nocte usus, aggressus Persas, quibus præerat Datis, in certamine cum iis, quorum ipse dux erat, superior evasit.* Vult autem eum in hac re Moïsen imitatum. *Bosius.* Cod. Dan. *instructa, nova partis summa*

prœl. commiss. Leid. *et non apertissima pr. com.* Voss. C. *instructa in parte montis summa pr. com.*. Pro *arbores* Cod. Leid. *arbore*, pro *multis*, *militis*, et pro *raræ*, *stratæ*; sed *raræ* MSS. Oxon. et Voss. A. B. *Stratæ* placet Clerico, Bibl. Anc. et Mod. Tom. v, p. 1. Verba *hoc consilio* parenthesi esse excludenda et ad præcedens *prælium commiserunt* referenda, docet Scheff. Ep. 5. ad Nic. Heinsium, quod probatur in Ep. 6. ab Heins. *Stav.* Vehementer miror, quomodo viris quibusdam doctis placere potuerit, locum ita distinguere, ut verba, *namque arb. m. l. e. stratæ*, in parenthesi posita habeantur. Ni omnia me fallunt, verba illa, *namque..... clauderentur*, quod et alii viderunt, pluribus exponunt, quænam illa fuerit nova ars, qua aciem instructam Auctor dixerat. *Stratæ* autem malo, quanquam *raræ* etiam in Axen. cod. legitur. *Mosche*. Gu. *nana partis summa*. Ult. *nona partis summa*. In iisdem *raræ* legitur, sed *stratæ* cum Moschio aliisque præferendum est. *G. H. Bardili.*

Themistocles, VIII, p. 18. *Mira comitas.* Quidam codd. *communitas*: quam lectionem copiose defendit atque illustrat Bosius ad h. l. tum Clericus, art. crit. P. III. sect. 1, c. 7, fin. Gruner, it. Verheyk (qui dissentit) et Tzschucke, ad Eutrop. VIII, 2, 5. Otho, ad Gifanii obss. L. L. p. 77. *Comitas* tamen recte se habere, docent Ravius, Gebhard. et Heusinger ad h. l. quocum, quis *communitatem in aliquo* esse, usquam dixerit, nescio. Atque *humanitas* est veluti genus, qua virtute præditi se æque ac reliquos esse homines putant, et *humanitas* tunc opponitur ὕβρει, petulantiæ, aliorum contemptioni, ingenio superbo: *comitas* vero est species, et spectatur verbis et morum facilitate; comis etiam affabilis est et communis. Atticus tamen dicitur infra in ejus vita, cap. 3, 1, *communis* (h. e. æquus, humanus, blandus) *infimis*, more Græcorum, apud quos vox Κοινὸς eamdem quoque habet significationem. Sic *Demosth.* orat. de Corona, p. 529 meæ edit. *Theophrast.* charact. V, 2. Adde *Fischer* in ind. ad Theophr. v. Κοινὸς. Contra in vita Attici, c. 15, 1, *ejus* (Attici) *comitas non sine severitate erat.* Sæpius autem confunduntur illa vocc. V. Staver. in ed. maj. ad h. l. In *Terentii* Heauton. V, 1, 39 (ubi v. Westerhov.): Quemquamne animo tam *communi* (al. quoque *comi*) esse, aut leni putas? etc. *Harless.*

Themistocles, X, p. 37. *Quum se, quæ regi de Græcia opprimenda pollicitus esset, præstare posse desperaret.* Alludit Cicer. X, ad Attic. 7. Ἄδηλος scriptor apud Aristophanis Explanatorem: Οἱ δὲ φασὶν, ὅτι συνειδὼς ὁ Θεμιστοκλῆς, ὅτι οὐχ οἷος τε ἦν διαπράξασθαι τῷ βασιλεῖ, ἅπερ ἐπηγγείλατο, οὕτως ἐπὶ τὴν τοῦ θανάτου αἵρεσιν παρεγένετο. *Gebhardus.* Plutarchus tamen et alias hujus rei causas affert; qui videri in Themistocle potest. *Buchn.* Voss. B. *obtinenda.* Diod. Siculus, lib. xi, cap. 58, refert, auctores nonnullos tradere, τὸν Ξέρξην ἐπιθυμήσαντα πάλιν στρατεύειν ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα, παρακαλεῖν τὸν Θεμιστοκλέα στρατηγεῖν ἐπὶ τοῦ πολέμου, τὸν δὲ συγχωρήσαντα περὶ τούτων πίστεις λαβεῖν ἐνόρκους, μὴ στρατεύσειν ἐπὶ τοὺς Ἕλληνας ἄνευ Θεμιστοκλέους, σφαγισθέντος δὲ τοῦ ταύρου, καὶ τῶν ὅρκων γενομέ-

νων, τὸν Θεμιστοκλέα κύλικα τοῦ αἵματος πληρώσαντα ἐκπιεῖν, καὶ παραχρῆμα τελευτῆσαι. Recte acutissimus Dukerus ad Thucydidem, lib. 1, c. 138, lin. 87, ex hoc Diodori loco colligit, nihil esse, unde intelligi possit, eum pro vero habuisse id, quod de sanguine taurino a Themistocle hausto circumferebatur. Symmachi locum a Gebhardo adductum etiam profert Dukerus, et Wess. ad Diodori locum num. 7, qui loca profert medicorum, sanguinis taurini haustum pestilentem esse docentium. Plut. in Them. pag. 128, ita rem narrat: (Themistocles) ὡς μὲν ὁ πολὺς λόγος, ΑἿΜΑ ΤΑΥ͂ΡΕΙΟΝ πιὼν, ὡς δὲ ἔνιοι, ΦΆΡΜΑΚΟΝ ἘΦΉΜΕΡΟΝ προσενεγκάμενος, etc. Thucydides l. l., νοσήσας δὲ τελευτᾷ τὸν βίον· λέγουσι δὲ τινὲς καὶ ἑκούσιον φαρμάκῳ ἀποθανεῖν αὐτὸν, ἀδύνατον νομίσαντα εἶναι ἐπιτελέσαι βασιλεῖ, ἃ ὑπέσχετο. En ipsa Thucydidis verba eleganter a Nepote expressa, ut Lambinus jam observavit; videmus itaque tam Plutarchum, quam Diodorum Siculum, istum taurini sanguinis haustum habuisse pro fabula; imo Diodorum Siculum haud multum differre a Thucydide, pro certo narrantem, antequam de hac fabula mentionem faciat: ἐν ταύταις ταῖς πόλεσι κατεβίωσε, πάντων πρὸς ἀπόλαυσιν ἀγαθῶν εὐπορούμενος· καὶ τελευτήσας (certe naturali morte) ἐν τῇ Μαγνησίᾳ, ταφῆς ἔτυχεν ἀξιολόγου, καὶ μνημείου τοῦ ἔτι νῦν διαμένοντος. Plutarchi alias hujus rei causas afferentis, ut Buchnerus dicit, locum vide in Themist. pag. 127 et 128, et in Cim. p. 490: καὶ μάλιστα, ὅτι τοῦ Θεμιστοκλέους ἐπυνθάνετο δόξαν εἶναι καὶ δύναμιν ἐν τοῖς βαρβάροις μεγάλην, ὑποδεδεγμένου βασιλεῖ κινοῦντι τὸν Ἑλληνικὸν πόλεμον στρατηγήσειν. Θεμιστοκλῆς μὲν οὖν οὐχ ἥκιστα λέγεται, τὰς Ἑλληνικὰς πράξεις ἀπογνοὺς, ὡς οὐκ ἂν ὑπερβαλόμενος τὴν Κίμωνος εὐτυχίαν καὶ ἀρετὴν, ἑκὼν τελευτῆσαι. *Staveren.* Cod. Axen. *obtinenda*, quod vehementer probandum videtur. *Moschε.*

Aristides, I, p. 41. *Populiscito.* Vulgati omnes: *plebiscito.* Sed neutiquam spernendum judico τὸ *populiscito*, quod et hic in MSS. Dan. ac Leidensi, et in iisdem aut aliis Codd. infra legitur 7, 5, 4. 15, 7, 4. 19, 2, 2. Id sive quod abbreviate scriptum esset, *ppliscito* vel *pliscito*, seu quod ignotum illis esset, imperiti librarii in notius mutarunt. Dicebatur autem apud Romanos *populiscitum* lex sive jussum a populo factum. Festus in schedis Farnesianis, ut a viris doctis suppletæ sunt, col. 139: *Scitum populi dicebatur, quod sine plebe cunctus patricius ordo, rogante patricio, suis suffragiis jussit; quod autem aliquo interrogante ex patribus, et plebe suffragante scitum esset, id jam leges scriptæ dicebantur. Sed illud plebiscitum est, quod Tribunus pl. sine patriciis plebem rogavit, id est, consuluit, plebesque scivit.* Tacitus, A. III, 58, 2: *Nulla de eo populi scita; non in libris cærimoniarum reperiri.* Ceterum ita dictum, quia *populus scivit*, h. e. sanxit, constituit. Idem Festus, col. 76: *Quod in omnes homines, resve populus scivit, lex appellatur.* Boethius in Topica Cic. lib. III: *Lex est, quam populus centuriatis comitiis sciverit.* Apte igitur noster hac voce expressit decreta sive ψηφίσματα Atheniensium, quæ non a plebe, sed ab universo populo in concione sanciebantur. Nam psephismate revocatum cum aliis Aristidem, clare apparet e Plutarcho, cujus hæc sunt, p. 323, verba: λύσαντες τὸν

νόμον, ἐψηφίσαντο τοῖς μεθεςῶσι κάθοδον. Similiter Livius, 45, 25, decretum Rhodiorum, quod Polybius, 30, 5, 5, ψήφισμα dixerat, *scitum populi* vocat. *Societatem*, inquit, *ab Romanis ita volebant peti, ut nullam de ea re scitum populi fieret, aut litteris mandaretur : quod nisi impetrarent, major repulsis ignominia esset.* Polybius dixerat : τοῦτο δὲ ἐποίησαν, βουλόμενοι οὐ διὰ τοῦ ψηφίσματος καὶ πρεσβείας ἀποτυχεῖν, ἐὰν ἄλλως δόξῃ Ῥωμαίοις, in Excerpt. Legation. ecloga 93. *Bosius.*

Pausanias, III, p. 49. *Helotes.* De his separatim docteque egit *Jul. Carolus Schlæger* in diss. de Helotibus Lacedæmoniorum servis. Helmst. 1730, 4. Publici vero erant Lacedæmoniorum servi, sic dicti primum ab oppido *Helos*, in agro Laconico, juxta sinus ejusdem nominis oras, non procul ab illo loco, quo Eurotæ aquæ cum marinis miscentur. *Helotes* autem (gr. εἱλῶτες), et oppidi et regionis incolæ, antiquissimis temporibus vixerant cum Lacedæmoniis pari jure paribusque legibus. At quum non ita multo post, quam recepti erant in societatem, Agis et Sous, reges Laced., illos privassent privilegiis, iisque imposuissent tributa : ii quidem Helotum, qui agros incolebant, dicto paruerunt; incolæ autem urbis ipsius Helos, suis nixi munitionibus, se negarunt unquam imperata facturos. Quare reges, Agis et Sous, cum exercitu ad Helotum oppidum profecti, eo haud multo post expugnato, partem Helotum trucidarunt, reliquos vero abreptos constituerunt civium suorum servos, nunquam in libertatem restituendos, aut in exteras vendendos oras. His proprie dictis Helotibus, post elapsa sæcula fere tria, adjuncti sunt *Messenii*, simili ratione addicti a Laconibus servituti; unde factum est, ut omnis Helotarum turba Messeniorum insigniretur nomine. v. Thucyd. I, 101. Præcipuum autem in Helotum officiis erat agrorum cultura, ita tamen, ut reditus tantum præstarent semel constitutos eosque modicos; sed alia, duraque servitia, onera malaque sustinere cogebantur. Quæ omnia fusius explicat Schlæger. add. *Perizon.* ad Æl. H. V. III, 20. et *Valken.* ad Theocriti Adoniaz. p. 268. sq. — De varietate lectionis v. Bosium et Heusinger. *Harless.*

Pausanias, IV, p. 50. *Vincula epistolæ laceravit.* Ms. meus legit pro *laxavit*, *laceravit.* Quam scripturam Schoppii membranæ confirmant, l. 4. Verisim. cap. 2. Vinculis autem colligatas antiquorum Græcorum fuisse epistolas, Curtii hoc testimonio recte probat Barthius. *Parmenion*, ait Curtius, lib. VII, 2, *vinculum epistolæ solvens, quidnam rex ageret, requirebat. Ernst.* Sic membranæ Bavaricæ, referente *Schoppio*, *Verisim.* 4, 2, itemque Mss. Boecl. et Ernstii, rectius, ut opinor, quam *laxavit*, ut vulgo legitur. *Thucydides :* λύει τὰς ἐπιςολάς. *Diodorus :* ἀνέῳξε τὰς ἐπιςολάς. At *laxare vincula* non est solvere, aut aperire, sed remittere, aut laxiora facere. Et qui legi potuit epistola, si tantummodo laxata sunt vincula, non discissa? quid attinebat sigillum simile effingere (quod *Thucydides* Argilium hunc fecisse ait), si vincula integra permansere? *Bosius.* Leid. et Voss. A. C. *laxavit*, B. *laceravit*, sed in marg. a. m. sec. *laxavit. Staveren.*

Quum in omni hoc loco Cornelius Thucydidem est secutus auctorem, tum nunc ei ante oculos obversabatur Thucydideum illud : λύει τὰς ἐπιςολάς. Cornelium autem multo magis videri posse hoc λύει reddidisse verbo latino *laxavit*, quam *laceravit*, inde potissimum apparet, quod auctores latini commutant inter se verba *solvere* et *laxare*, non item *solvere* et *lacerare*. Hinc Virgil. Æn. 2, 259, *laxat claustra Sinon*, i. e. solvit, aperit. Cicero in *Catone maj.* cap. 3, hunc facit loquentem illa : *Multorum cognovi senectutem sine querela, qui se et libidinum vinculis* laxatos (i. e. solutos) *esse non moleste ferrent*. Quin de eadem re duo illa verba promiscue a scriptoribus latinis adhiberi, loco efficitur illo Curtii, ab aliis jam laudato, l. VII, c. 2. *Mosche*. Ax. *laceravit*, sed Gu. Ult. *laxavit*, quod post Harlesium Bremiumque reposui. Pro *rediisset* Gu. *redisset*. *Bardili*.

Cimon, III, p. 59. *Ostracismum*. De hujus nominibus, origine, historia et ritu e veteribus Diodorus Sic. 11; Plutarchus Aristide, Themistocle, et alibi (Plutarch. in vita Periclis, c. 10. tom. I. p. 391; in vita Arist. c. 1. tom. II, p. 340; in vita Cimon. c. 17. tom. III. p. 271. ed. Hutten. *Fisch.*); Aristides, Orat. Platon. 2; Pollux, Onomast. 8, 5; Scholiastes Aristoph. in Equites p. 340. et in Vespas p. 498; Tzetzes Chil. 13, 489; Hesychius et Suidas in ὀςρακισμός, etc. E junioribus Ubbo Emmius, Vet. Græciæ tom. III, p. 37 et seq.; Beroaldus, annot. in var. auct. tom. II Thesaur. Crit. p. 257; Hadr. Junius animadversion. 5, 18; Kekerm. de Rep. Athen. 2, 24, 4; Sigonius de ead. 2, 4; Scaliger ad Euseb. n. 789 et 1533; Maussacus ad Harpocrationem p. 193 seq., et accuratissime omnium Meursius, Attic. lection. 5, 18. et Sam. Petitus, Commentar. ad Legg. Atticas lib. 4. tit. 9. Justusne et reip. utilis, ad ejusque securitatem et statum conservandum aptus sit, olim hodieque disputatum. Ex antiquis supersunt judicia Aristotelis Polit. 3, 9; Dionis Chrysostomi Oratione 73; Aristidis in Platonicis passim, et Valerii Maximi, 5, 3, extern. Inter recentiores notæ sunt prolixæ disputationes duorum prudentissimorum hominum, Pauli Parutæ, lib. 1, discursu 15, et Ludov. Septalii, lib. de Ratione Status cap. 6, 7, 8, 9 : quorum hic probat, ille improbat. Adde judicium Arnisæi, Doctrin. Polit. 2, 5, et quæ ad 2, 8, 1, et 2, 10, 2, dicta sunt. *Bosius*.

Lysandeb, II, p. 65. *Itaque**** Multa videntur deesse Heusingero, qui non solum ex Bosii consilio lacunam post *itaque*, idque ab iis, quæ sequuntur, divellendum censuit, sed etiam ex Polyæno, strateg. lib. 1, cap. 45, quæ deesse viderentur, ex parte aliqua supplevit, ut jam antea Boeclerus fecerat. Thasios nimirum in Herculis templum convocavit Lysander, et, se veniam omnibus daturum, deum fidei suæ testem adhibuit. At post aliquot dies Thasios securos, et fictis ejus verbis fidem habentes, omnes trucidari jussit. *Harl.* Desunt quædam. Ego ita lego : *rebus suis. Itaque*****. *Itaque decemviralem*, etc. Non integrum folium exsectum fuisse, crediderim, ut Heusingero placuit. Nepos enim in vitis suis brevitati studet. Sed librarius, quum in describendo venisset ad voc. *Itaque*, ex in-

curia et oscitatione quasdam lineas vel periodos prætermisit, et in periodo paulo post sequente, quæ iterum a voce *itaque* incipiebat, perrexit et scripsit, *decemviralem*, etc. Est enim familiare Nepoti, eamdem particulam, qua initium periodi fecerat, paulo post repetere, ex. gr. I. 1, 2 et 3, *Neque* minus — *Neque* id magis — *Neque* eo secius. V, 3, 1, 2, *Nam* testarum — *Nam* quum. VII, 5, 1 et 2, *Itaque* tempus — *Itaque* ad Tissaphernem. ibid. *Erat enim* ea — *Erat enim* eodem. VIII, 2, 2 — 4, 6, *Neque vero* — *Neque tamen* — *Neque quisquam*. Sic etiam hoc loco, *Itaque* — *Itaque* — et alibi. Sic Cicero in epistola ad Lucceium, V, 12, quam ipse *valde bellam* dixit ad Atticum, IV, 6, quindecies particulam *enim* adhibet, et in eadem epistola, 4, 5, 8, *Neque enim* — *Neque tamen* — *Neque tamen*, etc. *Kapp.*

ALCIBIADES, VI, p. 79. *Nisi Olympiæ victoribus. Atqui nemo, ni fallor, coronas Olympicas aureas æneasve fuisse litteris prodidit : in reliquis quoque sacris Græciæ agonibus nullus dicit, victoribus tales datas esse coronas. Nam, ut a quibusdam scriptum invenio, qui Olympicis certaminibus vicisset, coronam ex olea, ut aliis placet, ex oleastro reportabat : qui Pythiis, lauream coronam cum malis : qui Isthmiis, ex pinu confectam : qui vero Nemæis, apio coronabatur.* Ita Magius ad h. l. quem et Lambinus sequitur. Quare ita existimat, *Nostrum non innuere, consuetudinem in Græcia fuisse, ut Olympiæ victores aureis æneisque coronis donarentur; sed genera duntaxat coronarum in Alcibiade expressisse, in Olympionicis vero non item : ad hos enim genus, ad Alcibiadem species intendere.* Olympionicas tamen denique non oleaginis modo coronis, ut antiquitus, sed aliquando aureis quoque, donatos fuisse, etiam e Pindaro Olympior. 8, stroph. 1, Thucydide, lib. IV, sub fin. et Tertulliano de anima, c. 29, pridem docuerunt viri docti, in his Muretus, Var. lection. 17, 7, et Pet. Faber, Agonistici 2, 22. Quanquam apud Pindarum ἀέθλους χρυσοστεφάνους, quorum *mater* Olympia dicitur, καλλιστεφάνους interpretantur non modo recentiores interpretes, sed etiam scholia græca vetera, ipsamque oleam victoribus datam καλλιστέφανον cognominari volunt; quod prolixe refellit Faber. *Bosius.*

ALCIBIADES, XI, p. 86. *Duo maledicentissimi.* Plura hac de re *Vossius, de hist. Græc.* 1, 7, et 12, et *in Addendis ad locum posteriorem. Bos.* Pro *Timæus* Leid. et Voss. A. *Thymæus.* Scio quidem, Theopompum una cum Timæo calumniæ crimine fuisse accusatum; sed omnes veraces auctores, præcipue, qui clavum clavum et scapham scapham appellant, non sunt habendi maledici; veritatis enim Theopompus fuit studiosissimus, ut Vossius ostendit. Maxima vero ei fides habenda est, res bellum Peloponnesiacum spectantes describenti, qui ad reliqua belli Peloponnesiaci detexenda animum appulit : v. Wess. ad Diod. Sicul. lib. IV, cap. 1. Orsus enim est inde, ubi Thucydides desiit : v. inter alios Polybium in Exc. de virtut. et vitiis pag. 1379. Sed et veritatis studium sæpe ei diversa ab aliis de viris illustribus testimonia quasi extorsit. Audiamus de Lysandro Plutarchum, p. 450 : Καὶ γὰρ ἡ πενία τοῦ Λυσάνδρου τελευτήσαντος

ἐκκαλυφθεῖσα, φανερωτέραν ἐποίησε τὴν ἀρετὴν, ἀπὸ χρημάτων πολλῶν, καὶ δυνάμεως θεραπείας τε πόλεων, καὶ βασιλείας τοιαύτης, μηδὲ μικρὸν ἐπιλαμπρύναντος τὸν οἶκον εἰς χρημάτων λόγον, ΩΣ ΙΣΤΟΡΕΙ ΘΕΟΠΟΜΠΟΣ. Ultima Plutarchi, quæ nunc sequuntur de Theopompo verba, loco suo relinquo, ᾧ μᾶλλον ἐπαινοῦντι πιστεύσειεν ἄν τις, ἢ ψέγοντι· ψέγειν γὰρ ἥδιον, ἢ ἐπαινεῖν. De Agesilao etiam alia alios latentia detexit. V. Plut. p. 614. Neque video causam, cur vitio ei fuerit versum, quod contra Ephesiorum sententiam evulgaverit primus Herostrati nomen. V. Val. Maxim. lib. VIII, c. 14. Ext. 5. Scio quidem, scriptorem gravissimum Polybium, qui, lib. XII, c. 15, prudens Theopompi dictum de optimo Historico cum posteris communicavit, lib. XVI, cap. 11, et (quod jam notavit Torrenius ad Val. Maximum) in Exc. de Virtut. et Vitiis, a pag. 1375 ad pag. 1380, in eum quam plurima evomuisse. Varias variorum de Theopompo sententias Perizonius etiam refert ad Ælianum, l. III, V. H. cap. 18, in fine. Cl. Wesseling tamen jure affirmare se posse opinatur, Diodorum Siculum in Philippi rebus describendis Theopompi vestigia potissimum legisse. Vide eum ad lib. XVI, cap. 3, n. 43; adde Vossium, lib. I, de Hist. Gr. c. 7, pag. 32. In quem Philippum tamen plurima fuit invectus, unde asperrimum dicendi genus *Theopompinum* vocatur. V. Pomp. ad Cic. lib. II, ad Att. Ep. 6. Sed quæstio est, vere an false scripserit. Certe Diodoro Siculo igitur fides ejus non fuit suspecta; et inter decem historicos non spernendos numeratur in fragm. Bibliothecæ Coislin. pag. 597; et ipse Nepos h. l. eum jungit cum Thucydide, qui accurata rerum descriptione omnibus Historicis antecellit, ut dicit Aristides Oration. Tom. II, p. 120. De Theopompo vide Bosium ad Iphicrat. cap. 3, §. 2. Nonne egregie et vere descripsit mores Eubuli? v. cl. Ruhnk. in Hist. Crit. Orat. Gr. pag. 66, 67, 85, 87. Recte vocavit Agesilaum τῶν τότε ζώντων ἐπιφανέστατον. V. Plut. p. 601. Præterea factiosis, ut tum erant, temporibus non omnia eodem modo referuntur. Phrynichus Comicus carminibus perstrinxit Alcibiadis accusatores. V. Periz. ad Ælian. lib. III, V. H. c. 8. *Stav.* De *Timæo* præclare disputavit, ejusque librorum fragmenta collegit Franciscus Gœller in doctissimo libro : *De Situ et Origine Syracusarum ad explicandam Thucydidis potissimum historiam scripsit, atque Philisti et Timæi Rerum Sicularum Fragmenta adjecit Fr. Gœller. Lipsiæ,* 1818, 8, p. 179 sqq. *Bard.*

THRASYBULUS, I, p. 89. *Vires, vimque pugnantium.* Arridet mihi Lambini emendatio legentis *vires, virtutemque pugn.* vel *ad vim virtutemque pugn.* Cicero, quem Noster sequitur, lib. I in Verrem, cap. 21 : *Regem Persen vi et virtute superavit.* Et paulo post, *ex urbe hostium, vi et virtute capta.* Curtius forsitan Nostrum imitatus dicit, lib. IX, cap. 7, §. 16, *eximiam virtutem virium* : ubi interpr. De sententia Cicero consulendus pro Balbo, cap. 4, p. 525. *Staver.* Valde obscurus hic locus est, miraque lectionis varietas in codd. et ingens interpretum dissensus. Equidem in conjectura Puteani *ad vices vimque pugnantium* acquiescerem. Nam, postquam hunc locum curatius perpenderam, statim, antequam Bosii notam legissem, ea in mentem mihi venerunt, quæ acutissimum illum criticum

animadvertisse postea deprehendi, ex iis, quæ præcedunt et sequuntur, colligi, hic requiri aliquid, quod ad *fortunam*, et aliquid, quod ad *milites* pertineat; ut alia omittam argumenta. *Vices* autem proprie vicissitudinem et variationem designare, et a Veteribus de fortuna pariter ac bello usurpari, docet idem ille vir doctus. Quod Savaro in suo codice invenit, *ad vires nostrum cujusque pugnantium*, id me non æque movet, ac Bosium, qui « Unde τὸ *nostrum*, ait, quod in suo Savaro invenit? Ut ingenue fatear, hæreo, et vereor, ne quid aliud lateat. » Equidem non hæreo. Quum quis τῷ *vimque* additum vidisset *pugnantium*, interpretationis causa oræ codicis sui τῷ *vices* adscripsit *imperatorum*; quod quum male pictum et per compendium scriptum fuisset, librarius quidam male legit *nostrum*, idque temere in textum recepit. Enimvero penes peritos sit judicium. Heusinger legendum judicat, *abit res ad vires utrimque pugnantium*. Alio modo docte explicat illustratque h. l. cl. Tœpfer (*virtutemque* suspicans, coll. Plauto Amphitr. I, I, 36, ibique Taubmanno; Sallust. B. C. I. n. 5; Livio, IX, c. 17, n. 3, etc.), in amici ad amicum epistola. Disseritur de locis quatuor, etc. 1767. Cl. Kappii interpretationem vide in Opusc. meis. Tu vero compara hanc Nepotis γνώμην cum sententia Ciceronis plane simili pro M. Marcello, cap. II. Add. cl. Tzs., qui, Hoc apparet, inquit, hanc sententiam superiori respondere, imperatoribus consilium, militibus vires: fortunæ vero quod accommodetur, desideramus: an *casusque?* Acute quidem, sed et Tzschuck. et Tœpfer. conjectura abit a vestigiis priscæ scripturæ *vimque*. In cod. Bœcl. tum in Puteani emendatione, *vices* respondet *fortunæ*, *vis* militibus; inverso quidem, nec tamen adeo infrequenti ordine. — *Concursu huit* (h. e. *habuit*, sed ex similitudine soni ortum), in cod. Bœcl. s. Schefferi, est vitium potius, quam ut a Scheffero, in Obss. misc. belg. p. 207, in *fluit* aut *ruit* sit mutandum, aut necesse videatur, ut propter lineolam superscriptam voc. *huit* plures litteræ desiderentur. Quæ quum in altera h. ed. scripsissem, cel. *Kappii* litteras accepi, in quibus curas secundas superioribus addidit, et, « Textus, ait, neutiquam mihi mutandus videtur. Nepos dicere vult: ad victoriam contra hostes reportandam opus esse primum *consilio* imperatoris; deinde et *robore* (*vires*), et forti ac feroci *impetu* (*vimque*) militum, denique *fortuna*, cui Veteres plurimum tribuerunt. Plutarch. vit. Lucull. et Polyb. lib. v. » Staver. in II. maj. edit. Heusingeri lect. improbat; contra e duobus codd. legere malit *abiit*, h. e. abire solet: nec male. *Harless.*

Conon, III, p. 98. Προσκυνεῖν. Valido consensu libri veteres qua excusi qua scripti προσκύνησιν. *Gebhard.* Quid. Mss. et edition. προσκύνησιν, quod, *Schotti* judicio, perinde est. Ad τὸ *venerari* tamen propius accedit alterum. Atque sic et Plinius N. H. II, 37: *Patentibus* (oculis) *dormiunt lepores, multique hominum; quod* κορυβαντιᾷν *Græci dicunt.* Ita enim legendum puto hunc locum. *Bosius.* Leid. *prochrynesin.* Voss. A, *proschrynesin.* (In Axen. Codice cum verbo Græco *quod* omittitur. Dan. Schott. et Leid. I, προσκύνησιν. Gu. *prochimesin.*) Vide not. post. ut percipies ab

interpolatore fuisse adsuta; nam si a Nepote proficiscantur, culpandus est auctor: nam τὸ *illi* respicit Persas, atqui Persæ non expresserunt hanc venerationem per verbum προσκυνεῖν, sed Græci. Idem offendit Clericum in Curtio, l. III, c. 3, § 15, *Doryphori vocabantur proximum his agmen*, de Persis agente. Snakenburg. Curtium defendere conatus est. Idem Curtius l. I, c. 13, §. 7, distinctius loquitur: *Gangabas Persæ vocant humeris onera portantes*. Locus libri VII, cap. 3, §. 1, *in Agriaspas, quos jam tunc mutato nomine Evergetas appellabant*, incurrit quoque in Clerici oculos. Sed injuria; nam Curtii verba indicant, Græcos tunc temporis Persarum vocabulum interpretatos fuisse per *Evergetas*. Curtius non peccavit, quod Græcum vocabulum servaverit, ut Clericus putat, lib. IX, cap. 1, §. 5: *Rhinocerotes quoque, rarum alibi animal, in iisdem montibus erant. Ceterum hoc nomen belluis eis inditum a Græcis: sermonis ejus ignari aliud lingua sua usurpant*. Hæc Curtii verba sunt clara. Interim vide Fabric. T. I. Bibl. Gr. l. I, cap. 6, num. 11, p. 42. Heusingerus nodum ita solvere conatur, dicens, auctorem per *illos* intelligere *vel Persas Græce loquentes, vel Cononem potius ejusque cives*. Posterius magis mihi placet, quam prius; nam Nepos agit de iis temporibus, quibus Persæ nondum Græce loquebantur: imo Alexandri temporibus ut rarum quid annotatur a Plutarcho, p. 686 in Al. quemdam fuisse δίγλωσσον ἄνθρωπον, ἐκ πατρὸς Λυκίου, καὶ μητρὸς δὲ Περσίδος γεγονότα. Et si jam statuamus Cononis ætate Persas exstitisse, qui Græce loquerentur, hos credo tunc non fuisse usuros verbo προσκυνεῖν, a Græcis in Persarum contumeliam invento, nec nisi a Græcis scriptoribus, hunc Persarum morem aversatis, usurpato. Sed ad Nepotem ipsum redeamus, qui non posterioris ætatis Græcos, sed antiquissimos auctores est secutus, non ita locutos. Herodotus, lib. VIII, cap. 85: οἱ δ' εὐεργέται τοῦ βασιλῆος, Ὀροσάγγαι καλέονται Περσιςί. Lib. IX, c. 20: Μασίςιος, τὸν Ἕλληνες Μακίςιον καλέουσι; c. 110: οὔνομα δὲ τῷ δείπνῳ τούτῳ, Περσιςὶ μὲν, Τυκτὰ, κατὰ δὲ τὴν Ἑλλήνων γλῶσσαν, τέλειον. Lib. I, cap. 7: Κανδαύλης, τὸν οἱ Ἕλληνες Μυρσίλον ὀνομάζουσι. Et ita debuerat loqui Nepos, et ita loqui solet, ut in not. post. ostendi. Plinius, lib. VII, cap. 2, p. 372, de Indis agens *Philosophos eorum, quos Gymnosophistas vocant*, sc. *Indi*. Plura adderem, nisi jam nimius fuissem. *Staver*. Illi, i. e. Græci, ut verissime Bremius. V. supra, V, 3, 1; VIII, 3, 2. Cornelium h. l. Græcos in animo habuisse, eumque Græci alicujus scriptoris verba accurate expressisse, vox *barbarorum* de Persis usurpata satis declarat. *Bardili*.

DION, II, p. 104. *Ambitione*. Equidem secundum primam voc. originem semper interpretatus fui, uti Bosius aliique fecerant, magno apparatu, insignique comitatu. Magna ostentatione, studio ad ostentationem comparato, Stav. in ed. maj. II, explicat cum Burmanno. Lambinus vero φιλοτίμως, vel *ejus gratiam aucupans*, ejusque explicationem Heusingerus non solum probat, sed copiose quoque illustrat, et, « Itaque, inquit, *magna ambitio* nimiam et indignam tanto rege Platonis captandi contentionem significat, quæ vel ex hoc potest existimari, quod venienti obviam processit, suaque manu in currum impositum, ipse auriga, in urbem invexit. »

Kohlius in comment. criticis, pag. 204 sqq., *ambire*, *ambitio*, *ambitiose*, haud ineleganter illustrat, et nostrum locum, p. 100, ubi, « Magna ambitione, ait, hic erit magna gratiæ Dionis, Platonis et aliorum aucupatione, eaque majori, quam quæ regis personam deceret, fortasse etiam insidiosa, qua fucum Dioni ceterisque facturus Dionysius erat. » *Harless.*

Iphicrates, III, p. 121. *Et animo magno et corpore, imperatoriaque forma, ut ipso aspectu cuivis injicer. admiration. sui.* Corporis dignitas duci admirationem tam apud suos, quam apud hostes conciliat. Tacitus, XIII, 8, 4 : *Ne, si ad accipiendas copias Syriam intravisset Corbulo, omnium ora in se converteret, corpore ingens, verbis magnificus, et super experientiam sapientiamque, etiam specie inanium validus.* De Cæcina idem, *Hist.* II, 30, 3. Claudianus, I, de laudibus Stiliconis :

Jam tunc conspectus, jam tunc venerabilis ibas,
Spondebatque ducem celsi nitor igneus oris,
Membrorumque modus, qualem nec carmina fingunt
Semideis; quacumque alte graderere per urbes,
Cedentes spatiis assurgentesque videbas.

Julius Capitolinus de Pertinace, cap. 12 : *Fuit autem senex venerabilis, immissa barba, reflexo capillo, habitudine corporis pinguiore, ventre prominulo, statura imperatoria. Gebhard.* Quæ his Trebellii Pollion. verbis recte explicantur : *ea corporis magnitudine, ut dignus videretur imperio.* Loquitur de Celso. Spartianus de Ælio Vero scribit, *eum fuisse pulchritudinis regiæ*; et in Pertinace, pro *imperatoria forma* dicit, *statura imperatoria. Ernstius.* Xenophon, Conviv. p.697, dicit : Μαίνονται δὲ καὶ οἱ μὴ τοὺς καλοὺς ϛρατηγοὺς αἱρούμενοι. Agamemnon jam magno corpore fuisse dicitur, unde *Agamemnonius* pro magno. Vid. Menag. ad Diogen. Laert. II, 131. Demetrius esse dicitur τῷ κάλλει, καὶ, τῷ μεγέθει διάφορος, a Diod. Sicul. XIX, 81. Licet non omnes Laconum reges magno corpore fuerint; Spartani tamen a magnis, quam parvis regi malebant. Hinc Ephori Archidamum multarunt, quod parvam uxorem duxisset, dicentes : *Non reges, sed regulos nobis gignet.* V. Plut. in Agesil. p. 596, 597. Sed Archidamus bene dotatam, uti hodie multorum mos est, formosæ præferebat. Adde Athenæum, lib. XIII, cap. 2, p. 566. Persæ non creabant Regem luscum, aut naso, auribus, aliave membrorum parte mutilatum, aut deformem. V. Brisson. l. I, de R. P. 6, p. 10. De Catheorum regibus v. Strabon. l. XV, pag. 1024. Consule omnino J. L. Cerdam ad Virg. VII, Æn. 761. *Stav.*

Chabrias, I, p. 125. *Projectaque hasta.* Chabriæ et Gorgiæ Thebano id tribuit Polyænus. V. Wesseling. ad Diodor. Sic. l. XV, c. 32. Tunc milites stare dicebantur ἐν προβολῇ. V. Cuper. I, observ. 12. *Projicere* hac significatione pro *porrigere* poni, præter Lambinum ad h. l. dicit Munckerus ad Hyginum, lib. III, Astron. poet. cap. 5. Postea idem Chabrias adversus Bœotios pro Corinthiis stetit, eosque maxima clade affecit. V. Diodor. Sicul. l. l. cap. 69. De hac Chabriæ victoria Plutarch. T. II,

Apophth. p. 193 : Τοῦ δὲ Χαβρίου περὶ Κόρινθον ὀλίγους τινὰς τῶν Θηβαίων ὑπὸ τὰ τείχη φιλομαχοῦντας καταβαλόντος, καὶ στήσαντος τρόπαιον, ὁ Ἐπαμινώνδας καταγελῶν ἔφη, ἐνταῦθα δὴ οὐ τρόπαιον, ἀλλὰ Ἑκατήσιον ἱστάναι. *Stav.* Conf. Polyæn. Strateg. II, c. 1, 2; Xenoph. Rer. Græc. V, 4, 50. Cl. Less. in Laocoon. p. 286 sqq. statuam gladiatoris Borghesii esse Chabriæ statuam arbitratur (in qua sententia etiam est cel. Saxius in doctiss. disput. de dea Angerona, p. 6, 7. Ultraj. 1766, ubi, Quis militem, inquit, Græcum genu flexo oppositoque clypei orbe in gemmis passim, veluti in Goriana Musei Florentini tom. 1, tab. 26, n. 11, obvium intueatur, nec Chabriæ inventi a Cornel. Nepote, Chabr. 1, descripti opportune meminerit? cujus vicissim scriptoris formula, *obnixo genu scuto* non aliunde clarius certiusque, quam ex hujusmodi signorum statibus intelligi potest). Ibid. Lessing. locum interpunxit *obnixo genu, scuto, projectaque hasta impetum hostis excipit.* Qua de re magna lis, quam dirimere nolo, orta est. (Et particula *que* abest a codd. hinc a Bosio atque Heusing. uncis est inclusa.) Dissensit Klotz, in Actis litt. vol. III, part. 3; et Heyne V. C. (quem fuisse censorem, suspicor), in Gotting. Act. litter. pl. 130, 1768. Suam vero sententiam et omnem controversiam uberius explicuit, Cornelii locum statuamque copiose illustravit, et, quæ scripserat, retractavit Lessing in Briefen antiquar. Inhalts, t. 1, p. 97 sq. tom. II, p. 1-58; quem vide. Adde Schlegel. p. 80. Cl. *Io. Gottl. Lindner*, Rect. Arnstad. in peculiari commentat. s. tentaminis critico-philologici part. III. Arnstad. 1783, 4, totum hunc locum uberius exponit, et, post examinatas, Lessingii præcipue, interpretationes, gladiatorem Borghens. docet esse *pugilem;* tum Diodorum Siculum, secundum quem jussit Chabrias, milites ἐν ὀρθῷ τῷ δόρατι μένειν et δέχεσθαι τοὺς πολεμίους καταπεφρονηκότως, sequutus, arbitratur, Agesilaum, quum vidisset Chabriæ milites stantes, et scuto neque pectus neque caput tegentes, sed id negligenter, quasi requiescentes, ad genu sinistrum locantes aut demittentes aut obnixo genu gerentes, hastam denique non ita, ut hostem essent excepturi, porrectam, sed vel mediam, vel rectam, vel leviter terram versus inclinatam, manu dextra tenentes, Agesilaum igitur illum militum statum habuisse strategema, quo ne deciperetur, et vinceretur, tuba suos revocasse. Enimvero ab hac quamvis ingeniosa et acuta expositione amplectenda me dubium retinent verba Cornelii, *impetum excipere hostium docuit.* Comparari forsan potest locus Valerii Flacci Argon. VI, 234 sq. de equitibus Sarmatis (ubi vide Burmann.) : *Id quoque tegmen equis, at equi porrecta per armos Et caput ingentem campis hostilibus umbram Fert abies obnixa genu*, etc. quæ ita interpretatur Burm. contos, quos equites Sarmatæ gerebant, porrectos prominuisse per armos et capita equorum, et genibus equitum sustentatos et innixos. Ibid. Burm. laudat Silium Ital. XV, 686 : *Sustentata genu per campum pondera conti Sarmatici, prona adversos urgebat in hostes.* Novum Chabriæ igitur forsan id erat, quod jusserit, scuta genibus sustentare, hastas porrectas, pronas, in hostes incursuros tenere, eoque excipere hostium impetum. *Harless.*

Timotheus, IV, p. 133. *Hæc extrema fuit ætas.* Qua Philippus Macedonibus, et Dionysius Syracusanis imperitabat; quaque Athenienses cum sociis Chiis, Rhodiis, Cois, et Byzantinis, qui ab eis defecerant, bellum, ducibus Chabria, Charete, Iphicrate et Timotheo, gerebant, quod *sociale* appellatur, et anno quarto, metu potentiæ regis Persarum, quem Chares injuria affectum contra Athenienses provocaverat, æquis conditionibus compositum est. Id quod scribunt Diod. Sicul. lib. xvi, cap. 85, et Corn. noster in vit. imperatorum jam dictorum. *Ernst.* Sic fere *Diodorus* quoque, xv, 7, 8, et *Justinus*, vi, 9. *Bos.* Adde Isocratem in Areopagit. p. 244, in fin. et pag. 263. Ætas autem extrema imp. Athen. a Nepote vocatur istud tempus, quo antiqua imperatorum Atheniensium virtus jam veluti consenuit in Iphicrate, Chabria, et Timotheo, quæ post horum obitum quasi mortua et sepulta fuit. Orsus autem fuit Auctor ab isto tempore, quo Atheniensium virtus ad quemdam juventæ florem, ut cum Floro loquar, pervenit. Unde Diodorus Siculus, lib. xii, cap. 1, quem Noster sequitur, imperatores enumerat, per quos Græcia, præcipue Athenarum civitas, stupenda incrementa fecit, ut Miltiadem, Themistoclem, Aristidem, Cimonem, et Myronidem. Plut. vero in Cim. p. 491. annotat post Cimonis obitum jam eam consenuisse, quum scribit: Μετὰ δὲ τὴν ἐκείνου (Cimonis) τελευτὴν, πρὸς μὲν τοὺς βαρβάρους οὐδὲν ἔτι λαμπρὸν ὑπ' οὐδενὸς ἐπράχθη ϛρατηγούντων Ἑλλήνων· ἀλλὰ τραπέντες ὑπὸ δημαγωγῶν καὶ πολεμοποιῶν ἐπ' ἀλλήλους, οὐδενὸς τὰς χεῖρας ἐν μέσῳ διασχόντος, συνεῤῥάγησαν εἰς τὸν πόλεμον, ἀναπνοὴ μὲν τοῖς βασιλέως πράγμασι γενόμενοι, φθόρον δ' ἀμύθητον τῆς Ἑλληνικῆς δυνάμεως ἀπεργασάμενοι· ὀψὲ δ' οἱ περὶ τὸν Ἀγησίλαον εἰς τὴν Ἀσίαν ἐξενεγκάμενοι τὰ ὅπλα, βραχέος ἥψαντο πολέμου πρὸς τοὺς ἐπὶ θαλάσσῃ βασιλέως ϛρατηγούς· καὶ λαμπρὸν οὐδὲν, οὐδὲ μέγα δράσαντες, αὖθις δὲ ταῖς Ἑλληνικαῖς ϛάσεσι καὶ ταραχαῖς ἀφ' ἑτέρας ἀρχῆς ὑπενεχθέντες ᾤχοντο, τοὺς Περσῶν φορολόγους ἐν μέσαις ταῖς συμμάχοις καὶ φίλαις πόλεσιν ἀπολιπόντες. Contra Diodorus Siculus, lib. xv, cap. 39 et 88, postquam de Cononis, Chabriæ, Iphicratis et Timothei Atheniensium laudibus egisset, Epaminondam Thebanum non tantum his, sed et Miltiadi, Themistocli et Cimoni et aliis, qui ante eum Medicis temporibus floruerunt, longe prætulit: unde etiam Ciceronis judicio Græciæ princeps fuit. Vid. Cic. lib. i, Tusc. Disput. cap. 2. Sed Nepos hic et Plutarchus loquuntur tantum de Atheniensibus, qui contra barbaros dimicarunt. Plutarchus quæ de Cimone dixit, in clariori luce collocat in T. Q. Flam. pag. 375: ubi de rarissimo exemplo *justi* inter mortales etiam bonos egerat, sine dubio Aristidem intelligens, pergit his verbis: Οἱ γὰρ Ἀγησίλαοι, καὶ Λύσανδροι, καὶ οἱ Νικίαι, καὶ οἱ Ἀλκιβιάδαι, πολέμους μὲν εὖ διέπειν, καὶ μάχας νικᾷν κατά τε τὴν γῆν καὶ θάλασσαν ἄρχοντες ἠπίϛαντο, χρῆσθαι δὲ πρὸς χάριν εὐγενῆ, καὶ τὸ καλὸν, οἷς κατώρθουν, οὐκ ἔγνωσαν. Ἀλλ', εἰ τὸ Μαραθώνιον τις ἔργον ἀφέλοι, καὶ τὴν ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχίαν, καὶ Πλαταιὰς, καὶ Θερμοπύλας, καὶ τὰ πρὸς Εὐρυμέδοντι, καὶ τὰ περὶ Κύπρον Κίμωνος ἔργα, πάσας τὰς μάχας ἡ Ἑλλὰς ἐπὶ δουλείᾳ μεμάχηται πρὸς αὑτὴν, καὶ πᾶν τρόπαιον αὐτῆς συμφορὰ καὶ ὄνειδος ἐπ' αὐτὴν ἕϛηκεν, τὰ πλεῖϛα κακίᾳ καὶ φιλονεικίᾳ τῶν ἡγου-

μένων περιτραπείσης. Quæ ita distinguas. Bella Medica a Miltiade, Themistocle, Aristide, et Cimone Atheniensibus excellenter gesta sunt pro mutua Græcorum salute et libertate. Post hos, et præcipue post Cimonis mortem, præclarum nihil adversus Persas fuit effectum, et quidquid præclare fecerint, in mutuam Græcorum perniciem fecerunt; unde Pausanias, lib. VIII, cap. 52: Τοὺς δὲ ἐπὶ τοῦ Πελοποννησιακοῦ πρὸς Ἀθηναίους πολέμου, καὶ μάλιστα αὐτῶν τοὺς εὐδοκιμήσαντας, φαίη τις ἂν αὐτόχειρας, καὶ ὅτι ἐγγύτατα καταποντιστὰς εἶναι σφᾶς τῆς Ἑλλάδος. Inter hos tamen Iphicrates, Chabrias et Timotheus ultimi Atheniensium ducum fuere memoria digni. Atticæ virtutis infantiam, multis fabulis admixtam, et adolescentiam Nepos suo loco reliquit. *Staveren.*

DATAMES, II, p. 136. *A Patroclo interfectum.* Peccat in historiam Nepos, ut jam ab aliis, et a me monstratum est. [A Menelao interfectus fuit, vid. Homer. Il. V, 878.] Sed hujusmodi errores commiserunt alii, item boni. Cicero, memoriæ vitio, lib. V. Tusc. Disp. cap. 34, *Darium* vocat pro *Artaxerxe Mnemone*, ut ante Davisium jam ostendit B. Brissonius, lib. I. de R. Persar. cap. 83. Idem, lib. II, de Gloria, *Ajacem* pro *Hectore* ponit: v. A. Gell. XV. N. A. 6. Diogenes Laertius citat *Plutarchum in Lysandri vita* de re, de qua nulla ibi fit mentio. Vid. Menag. ad Diogen. Laert. IV, 4. Strabo refert, Cæsarem primum Iliensibus agros et libertatem dedisse, lib. XIII, pag. 889; sed Casaubonus docet, hos jamdiu ante Cæsarem a Romanis ea fuisse consequutos. Plinius Niciam pictorem Attalo regi æqualem facit; qui plus centum annis serius vixit. V. J. Perizon. ad Ælian. III, V. H. 31. Lege querelas Dionysii Halicarnassei, lib. VII, A. R. cap. 1, de Licinii, Gellii, aliorumque scriptorum Romanorum, nullam temporis habentium rationem, negligentia. Lactantii Firmiani errorem chronicum ostendunt interpret. ad lib. I. de fals. rel. cap. 20. Ovidium pro Tibullo citat Seneca. V. Broekh. ad Tibull. I, 8, 26. De Pylæmene mentionem quoque facit Livius, lib. I, c. I: *Ex Paphlagonia pulsi, et sedes, et ducem, rege Pylæmene ad Trojam amisso, quærebant. Stav.* Adde Schlegel, p. 69 sqq. *Harless.*

DATAMES, X, p. 145. *Fidemque de ea re, more Persarum, dextra dedisset.* In toto pæne orbe ἔθος ἐπὶ πίστει καὶ συνθήκαις βεβαίαις τὰς δεξιὰς διδόναι ἀλλήλοις, inquit auctor *Scholiorum in Aristophanis Nubes.* At apud Persas fides dextra data omni juramento sanctior ducebatur atque conservabatur. *Diodorus*, XVI, 34: Εἰπόντος δὲ τοῦ Θετταλίωνος, ὡς καὶ δεξιὰν λαβεῖν ὁ Μέντωρ ἠξίωσεν, ἐπὶ τούτοις ὁ μὲν βασιλεὺς ὀργισθεὶς ὡς οὐ πιστευόμενος, παρέδωκε τὸν Θετταλίωνα τοῖς ὑπηρέταις, καὶ προσέταξεν ἀφελεῖν τὴν κεφαλήν. Ἐπεὶ δὲ ἀπαγόμενος ὁ Θετταλίων ἐπὶ τὴν τιμωρίαν τοσοῦτο εἶπεν, ὅτι σὺ μὲν, ὦ βασιλεῦ, πράξεις ὃ θέλεις, ὁ μέν τοι Μέντωρ δυνάμενος ἅπαντα καταπρᾶξαι, διὰ τὸ μὴ δοῦναι τὴν πίστιν, οὐδὲν μὴ συντελέσει τῶν ἐπαγγελλομένων· πάλιν ἀκούσας τούτων μετενόησε, καὶ μετακαλεσάμενος τοὺς ὑπηρέτας, ἀφεῖναι προσέταξε, καὶ τὴν δεξιὰν ἔδωκε τῷ Θετταλίωνι. Ἔστι δ' ἡ πίστις αὕτη βεβαιοτάτη παρὰ τοῖς Πέρσαις. Curtius, VI, 4, 14: *Nec dubitabat Alexander*

fidem, quo Persæ modo accipiebant, dare : inviolatum, si venisset, fore. Illud autem non satis assequor, an Reges præsentibus, quibus fidem suam obstrictum ibant, dextram dextræ jungerent, an verius dextræ simulacrum donarent, sic in eum usum more gentis fabrefactum. Junxisse dextras dextris præsentibus colligo ex loco *Josephi, antiquit. Jud.* XVIII, 12 : Ὁ δὲ, inquit, (Ἀρτάβανος) τούς τε πατρῴους θεοὺς ἐπώμνυτο, μηδὲν κακὸν δράσειν αὐτοὺς, καὶ τὴν δεξιὰν ἐδίδου, ὅπερ μέγιστον παρὰ πᾶσι τοῖς ἐκείνῃ βαρβάροις παράδειγμα τοῦ θαρσεῖν γίνεται τοῖς ὁμιλοῦσι. Quomodo vero absentibus fidem dextra dabant? Num per eos, qui ad eam accipiendam missi? Stabilire hæc videtur *Xenophon*, VI *Cyropædiæ* : Μόνον καὶ σὺ ἡμῖν θεῶν τὰ πιστὰ ποίησον, δεξιάν τε δὸς, ἵνα φέρωμεν καὶ τοῖς ἄλλοις ταῦτα, εἴπερ ἂν αὐτοὶ λάβωμεν παρὰ σοῦ. *Polyæn.* VII : Δεξιὰν αὐτοῖς ἔπεμψε νόμῳ Περσικῷ. Clarius *Just.*, XI, 15, 13 : *In quam rem unicum pignus fidei regiæ dextram se ferendam Alexandro dare. Gebhardus.* Vide ibi notas Berneggeri. In MS. Leid. erat : *More Pers. rex dextram dedisset. Bosius.* Vide et Freinshem. ad Curtii l. l. Locus Scholiastæ Aristophan. Nub. vs. 81, etiam citatur a Salvagnio ad Ovidii Ibin, vs. 528. Hinc δεξιαὶ a Græcis pro fœderibus ponuntur, ut docet Potterus ad Lycophron. vs. 51. *Staveren.*

EPAMINONDAS, V, p. 156. *Paritur pax bello.* Respexit Nepos locum Thucydidis, lib. I, cap. 124 : Ἐκ πολέμου μὲν γὰρ εἰρήνη μᾶλλον βεβαιοῦται. Hæc Epaminondæ et Meneclidæ verba multum lucis mutuantur a Polybio, lib. IV, cap. 31, qui consulendus. Ceterum scriptores Romani amant imitari Thucydidem; uti Sallustius B. Cat. cap. 3, § 2, ut jam observatum a doctis; uti et Xenophontem. Vid. Bern. Martin, lib. I, Var. Lect. cap. 12. Sulpicius in Epist. ad Ciceron. imitatur Æschylum, V, eumdem, lib. I. Var. Lect. cap. 20. Alii alios scriptores, poetarum ad exemplum, Virgilii præcipue, ut egregie ostendit F. Ursinus. Nec tantum Romani Græcos scriptores, sed quoque Græci Græcos, Romani Romanos. De Homero, quem ceteri expresserunt, vid. interp. Æliani, l. XIII, V. H. cap. 22. Quosnam auctores Thucydides fuerit secutus, vide Schol. Gr. pag. 648. Si Hecatæi Milesii et Herodoti opera conferre liceret, pluribus de iis agi posset. Vide interea Valckenarium ad Herodot. lib. II, cap. 77, lin. 51. Hecatæum ab Herodoto consultum patet e libro V, cap. 137, sed sine dubio magis propter historiam, quam ejus verba ipsa; Herodotus enim novam quamdam vim verbis indidit. Vid. Valkenar. ad l. VIII, cap. 22. Homerum tamen et Sophoclem imitatum patet. Vid. eumdem ad lib. III, cap. 19 et 80; ad lib. IV, cap. 97. Romanos a Romanis expressos negari nequit; vide de Virgilio Macrobium, lib. VI, Saturn. cap. 1, et sqq. Virgilium fere singuli expresserunt poetæ insequentes, et quidem præterea id sibi laudi duxerunt. Hoc tamen Nepote indignum videtur Heusingero in appendicula annotationum ad Themist. cap. 9, 1, putanti, *parum credibile, Nepotem alienis, quam suis verbis uti maluisse, aut sua ad Ciceronianos numeros exegisse, qui suos quoque sæpissime variat.* Sed si Nepos suis, quam alienis verbis uti maluit, cur ergo transtulit Ciceronis verba in sua a se scripta de Thrasybulo, cap. 1, §. 4 : *Itaque jure suo nonnulla ab impe-*

ratore miles, plurima vero fortuna vindicat. Locum Ciceronis ex Orat. pro Marcello, cap. 2, desumptum esse jamdudum observavit Schottus. Plura non addo. Denique uti verba, ita aliorum sententias Nepos est secutus, uti hoc capite, §. 2 : *Illi genti plus inest virium, quam ingenii*, e Ciceronis cap. 4, de Fato : *Athenis tenue cœlum, ex quo acutiores etiam putantur Attici. Crassum Thebis, itaque pingues Thebani et valentes.* Et hisce antiquius Cyri dictum apud Herodotum, lib. IX, in fine : Φιλέειν ἐκ τῶν μαλακῶν χώρων μαλακοὺς ἄνδρας γίνεσθαι. Sed de perversa hac opinione jam pluribus egi in not. post. Quibus adde Wesselingii notam ad Herodotum : sed ad rem. Nepos in præfat. scribit : *Neque sedet, nisi in interiore parte ædium, quæ gynæconitis appellatur, quo nemo accedit, nisi propinqua cognatione conjunctus.* Nonne Nepos h. l. respicit, non quidem verba, sed sententiam Ciceronis, lib. II, Tusc. Disput. c. 14 : *Quæ* (feminæ) *ceteris in urbibus mollissimo cultu parietum umbris occuluntur. Staveren.*

Epaminondas, VIII, p. 160. *In periculo.* Quum viri docti non satis congruere huic rei vocem *periculum* censerent, certatim eam emendare conati sunt. Aldus *in sepulcro* edidit : quam lectionem Hotomannus, 3, obs. 20, tuetur, probatque, et Jac. Gothofredus in commentario ad l. II, Cod. Theodos. de sentent. ex *periculo* recipit, p. 393. Longolius conjecit leg. *in peristylio*. Memmius, *in scapulo*. Lambinus, *in cippo*, vel *in cippulo*. Buchnerus, *in titulo*, i. e. αἰτίας ἐπιγραφῇ, quod etiam Cl. Kirchmaiero placere video, sed ita, ut videatur, adactus testimoniis Plutarchi et Æliani, et antiqua consuetudine, id potius de columna sepulcrali sive inscriptione monumenti Epaminondæ, causam mortis ejus indicatura, accipi velle. Sed omnes istæ emendationes nimium a scriptura librorum abeunt, qui constanter *in periculo* legunt. Propius accedit ad eam lectionem conjectura doctissimi viri, Jac. Sirmondi, qui legi vult *pariculo* : quem sequuntur H. Grotius sparsione florum ad Jus Justinianeum, p. 370, et Des. Heraldus in observationibus, cap. 50, ac in animadversionibus in Salmasii observat. ad jus Att. et Rom. lib. II, cap. 7. Nisi quod Heraldus tandem admittit τὸ *periculum* retineri posse, sed ut idem sit ac *pariculum*; qua voce significari volunt τὸ ἴσον, ἰσότυπον, ἀντίγραφον, exemplum ex archetypo descriptum, dicique ut *paricula chartæ* apud Marculphum. Sed recte docuere Salmasius in observ. ad Jus Att. et Rom. cap. 7, et lib. de modo usurarum, cap. 15 [add. idem ad Solin. p. 858. b. ad hist. Aug. p. 380, a. *Fisch.*]; ac Jac. item Gothofredus loco paulo ante laudato, vocem *pariculum* infimæ latinitatis esse, nec instituto Epaminondæ aut sententiæ legis 2 C. Th. de sent. ex *peric.* recit. convenire : quum utrobique non ἀντίγραφα sive exempla, sed prototypa et ipsissima αὐτόγραφα designentur; nec absolute dici *pariculum*, sed *pariculum instrumentum*, *paricidas chartas*, *epistolas*, etc. Ipse Salmasius [de mod. usurar. p. 667, 669 sq. 671, 677. *Fisch.*] cum eruditorum aliis *periculum* exponit, titulum sepulcralem, sive ἐπιγραφὴν monumenti : in cujus vicem sententiam, qua condemnandus erat, Epaminondas in cippo suo con-

scribi voluerit. Non quod id unquam factum fuerit; sed ut Thebanos in invidiam his verbis vocaret. Sed eo sensu hanc vocem vix alibi reperias. Neque credibile est, damnato et capitali supplicio affecto Thebanos fuisse splendidum monumentum aut titulum positurus. Nam verisimile est Thebis non minus, quam Spartæ et Athenis, damnatorum cadavera non in sepulcro paterno, sed peculiari loco sepulta. Denique verba, quæ Epaminondas in periculo scribi voluit, potius sententiam judicum aut tabulas publicas, quam elogium sepulcrale, referunt. Quanquam huic interpretationi favere videntur Plutarchus in apophth. et Ælianus, XIII, 42, apud quos Epaminondas jubet hæc ἐπιγράψαι τῇ στήλῃ. Στήλην autem viri docti exponunt columellam sepulcris imponi solitam. [Sic interpretatus est Scheffer. ad loc. Æliani: add. ibid. Perizon. de nostro etiam Nepotis loco.] Malim interpretari columnam, cui inscribebantur, quibus ignominia irrogabatur. Sic Athenienses Arthmium quemdam, Plistonactis F. Zelitem, quum urbe ejecissent, quod Græcos pecunia corrupisset, ut Persæ obsequerentur; condemnationem ejus pilæ æreæ inscripserunt, potestate facta volenti eum occidendi, eique ac toti generi ipsius ignominia irrogata; adscripta etiam causa condemnationis, quod aurum e Media in Peloponnesum invexisset. Rem narrant Demosthenes, Philippica III, p. 49, et de falsa legat. p. 235; Æschines, orat. contra Ctesiph. p. 310; Dinarchus, orat. contra Aristogitonem, p. 77, et Nonnus, sub initium collect. histor. ad Steliteut. I Nazianzeni: qui addit: στήλη ἐστὶν ἢ λίθος ἢ χαλκὸς ἐν ἐπιμήκει τετραγώνῳ σχήματι, ἐν ᾗ ἐγγέγραπται ἡ τοῦ στηλιτευομένου ὕβρις. Videri et Meursius potest in Cecropia, cap. 29. Pari modo devotionis Alcibiadis exemplum in pila lapidea incisum et in publico positum est, de quo Noster, 7, 4, 5: ubi vide a Gebhardo annotata. Atque hunc morem respexisse Plutarchum ac Ælianum, haud negaverim. Sed ut de eo verba Nepotis, et *periculi* vocem accipi debere putem, nondum adduci possum. Nusquam enim alibi, quod sciam, hoc significatu occurrit. Ac fieri potuit, ut hi mentem auctorum, unde narrationem suam hauserunt, non satis perceperint, aut in alios auctores, quam Nepos, inciderint. Quare malim de libello, sive scripto judicis, verba auctoris nostri accipere, atque illud *suo* non ad Epaminondam, ut cum aliis Salmasius facit, sed ad Thebanos referre, quo etiam Schoppius refert. Nam *periculum* indicem sive libellum Græcorum imitatione dici, Salmasius ipse locis alleg. ac in not. ad histor. Aug. p. 84, annotavit. Idque clare docent tituli utriusque Codicis de sententiis ex *periculo* recitandis. Nam quod in epigraphe, et textu l. II. C. Theodos. *ex periculo recitari*, ac *promi*, id in textu l. 3 Cod. Justin. de scriptis et in l. I C. Theod. de scripti recitatione proferri; l. II C. Justin. l. VI. Cod. Theod. et l. omnem. XL. C. Th. de appellat. *de* vel *ex libello dari* dicitur. Etiam in notis Juris Magnonis legitur: *D. P. de periculo; D. L. de libello.* Et in collatione Carthagin. II, cap. 68, dicuntur *Exceptores*, *memores* periculi *et professionis suæ*, *constituto die gesta edere festinasse*, *ita ut Notarii partis utriusque in dictando non desint.* Neque

enim possum assentiri Jac. Gothofredo, ibi *periculi* vocem proprio significatu efferri censenti. *Exceptores* sunt scribæ, librarii, ταχυγράφοι, qui acta seu gesta publici officii excipiebant, servabant, recitabant, et de jure petentibus edebant. Eorum sæpe mentio fit in illis collationibus; itemque in Notitia imperii, et alibi : ut docet Gothofredus in Comment. ad l. 11 C. Th. de numerariis, etc. Vetus inscriptio Rom. apud Gruter. xi, p. 1164 : *Hinc pater exceptor, lector, levita sacerdos*, etc. Gesta purgationis Cæciliani et Felicis cum Optato edita, p. 767 edit. Albaspinæi : *Novit eos officium publicum, id est, Ædesius et Junius Exceptores*. Quæ repetuntur p. proxima. *L. Aurelius Marcianus Aug. L. Exceptor* est in Inscr. iv, p. 372; et in aliis *Exceptor* et *Exceptores præsidis*. Fit et in libris juris aliquoties mentio *Exceptorum*, ponunturque in scriniorum officiis. Loca, præter Gothofredum l. c. et in Paratitlis ejus tituli, indicant Brisson. Lex. Juris, et Guther. de offic. domus Aug. ii, 14 et iii, 7. Græcis sunt ἐκσκέπτωρες. Suidas : ἐκσκέπτωρ, ἐκσκέπτωρος. Male interpres : *Exspeculator, Explorator, Contemplator*. Neque liquebat editori novissimo, Æm. Porto. Fortassis nec doctiss. Meursius intellexit, vix alias omissurus in Lexico græco-barbaro. In Exceptores igitur optime congruit, ut *periculi*, i. e. protocolli, ut hodie loquimur, et *professionis suæ memores, gesta edant*; non item, ut periculi sibi imminentis recordantes id faciant. Quodnam enim periculum illud, et quomodo cum *professione* Exceptorum conjungitur? Apud Capitolinum quoque in Marco Antonino, cap. xi, *periculum præfectorum, quo* (sive, ut Casaubonus legit, *ex quo*) is *semper jura dictasse* dicitur, si Casaubono et Gothofredo credimus, idem est ac libellus sive formula a præfectis præscripta, etsi aliud Salmasio visum. Vide Gothofred. l. c. p. 393. Ac ne quis sequiori demum ævo hunc vocis usum introductum existimet, Cicero quoque *tabulas publicas* et *pericula magistratuum* conjunxit in orat. frumentaria, sive lib. iii, in Verrem, c. 79 : *Ordo est honestus*, inquit, *quis negat* (de scribis loquitur)? *est vero honestus, quod eorum hominum fidei tabulæ publicæ, periculaque magistratuum committuntur*. Scio, aliter hæc verba interpretari non solum Hotomannum l. c. sed etiam Gothofredum. Vult enim tabulas publicas vocari *pericula magistratuum*, quod magistratuum administrationis tabulæ a scribis diligenter conficerentur, ex quibus postea ratio administrationis Senatui reddi posset, et sic, si repetundarum arguerentur, accusatoribus satisfieret; ideo aptissime, quibus illarum tabularum custodia committitur, *periculum magistratuum* committi dici; eodem sensu, quo ipse Cicero *suum scelus et periculum committere* dixit, pro Cluentio, paucis a fine pagellis. Sed quis non videt hæc coacta nimis esse, et *pericula magistratuum* illic, tanquam monumenta publica, *scribis committi* dici? Sirmondus quidem etiam apud Ciceronem et in utroque Codice, ac in notis Magnonis volebat *periculi* vocem reponi, suffragante Grotio; sed perperam, ut Salmasius ostendit. Cujus rationes frustra convellere conatur Heraldus. Ait, *quæ ejusmodi monumentis* (columnis puta aut pilis) *inscribebantur auctoritate publica*, αὐτόγραφα *non fuisse, sed*

ἀντίγραφα, *verum* ἰσότυπα, *et ejusdem roboris ac ipsum* αὐτόγραφον: *sententiarum autem plura fuisse exemplaria; totidem* scilicet, *quot dabantur exsequutioni mandandæ*. Fateor, me non capere, quonam hæc pertineant; neque nunc disputabo, quam vera sint. Illud quæro, cur Epaminondas non in αὐτογράφῳ, sed in *pariculo*, h. e. ut illi interpretantur, in ἀντιγράφῳ verba isthæc inscribi petierit: cur item Imperatores non ex libello sive scripto prototypo, sed ex *pariculo*, sive exemplo, sententias recitari jusserint. Hoc docere Heraldus debebat. Quid vero faciet *periculis magistratuum* apud Ciceronem? An et illic ἀντίγραφα designari dicet? Atqui non opus erat ἀντιγράφοις actorum, quum prototypa sufficeret asservari. Porro apud Nepotem *periculi* vocem Cujacius comment. d. tit. ad Cod. Justin. et observ. II, 255; Langlæus, Semestr. v, 5, et ibi Bernh. Autumnus in notis, p. 239; J. Ræuardus, lib. protribunalium, cap. 21; P. Faber, Semestr. II, 24; Osv. Hilliger, ad Donellum, XXVIII, 3, lit. H. et ex interpretibus Lambinus, Savaro, Ernstius, de libello sive tabella, in qua senténtia de Epaminonda morte multando perscribenda erat, accipiunt. Videri tamen possit de tabulis publicis potius, seu archivo Reip. accipienda; quomodo et Schoppius, Verisim. VI, 18, ac Gebhardus videntur accepisse: nisi quod hic *periculi* vocem vulgato significatu exponit; vultque *Epaminondam petiisse, ut in actis illis, in quibus suum periculum ad memoriam notetur, talia inscriberent;* ut *periculum* idem sit, quod annotatio sive commemoratio periculi illius in tabulis publicis: qui loquendi modus exemplo, puto, caret. Melius Schoppius, qui libellum sive annalem publicum interpretatur. Ut ita sentiam, facit quod in sententia inscribenda non *multandus* vel *damnatus*, sed *multatus* legatur. Quod magis archivo, quam sententiæ judicum, congruit. Et de hujusmodi monumentis Cicero quoque et Collatio Carthaginiensis videntur loqui. Sed de eo dispiciant amplius, qui me perspicaciores sunt; neque enim quidquam temere affirmare ausim. *Bosius*. Bosii explicationem probavit Gesner in thes. L. L. sub v. *periculum*; et parum discedit Schwabe, Rector Butstad. in peculiari progr. de periculo Epaminondæ, Vinar. 1780. 4, de cujus aliorumque expositionibus plura vid. in nota Harles. ad nostrum locum. Tzsch. ad ed. 2, intelligit *elogium damnationis*, quod columnæ inscribi voluit Epaminondas. Ith interpretatur *judicium, quod capitis periculum affert, condemnationem*, scriptam judicii sententiam. Prælium autem apud Leuctra commissum est secundum Pausan. VIII, c. 27, pag. 655, Kühn. et Corsin. Fast. attic. IV, p. 7. sq. Olymp. CII, 2. *Editor Bosii*, 1806.

PELOPIDAS, III, p. 167. *Ab Archia hierophante, Archiæ*. Sic omnes hodie legunt, et feliciter restitutum ab Aldo, ut creditur, locum hunc existimant; quoniam apud Plutarchum (in Pelop. c. 10, et de Socrat. genio, vol. VIII, p. 356. Opp. ed. Lips.) legitur, *venisse quemdam Athenis ab Archia hierophante ad Archiam cognominem, hospitem et amicum, litteras afferentem*, etc. Et tamen in MSS. et edd. vett. purioribus nullum vocis

hierophante vestigium, quod sciam, reperire est. Nam in iis fere legitur, *ab Archino uno ex his Archiæ*, vel *ab Archia uno Tysarchæ*, vel *Tinarchiæ*. Quod postremum Longolius et Magius (non assentiente Lambino) a negligentia Nepotis esse censent; qui quum in Græco scriptore reperisset ἀπ' Ἀρχίου τινός τιν' Ἀρχίᾳ, ita reddiderit, ac si Τιναρχίᾳ uno vocabulo scriptum esset. Speciose dictum, fateor; si meliores codd. ita legerent. Nunc quid prohibet, ne, prima lectione, quæ et optimorum codd. Dan. et Bœcl. fuit, leviter immutata, legamus: *ab Archia, uni ex his, Archiæ? Ex his;* magistratibus scil. de quibus paulo ante. Pro *uni* librarius scripsit *uno*, quod ad Archiam Atheniensem id pertinere putabat. Quanquam et hoc ferri posset, quum Titinius dixerit *uni collegii;* Terentius, *nulli consilii;* Plautus, *coloris ulli;* ut observatum Prisciano. Sic alii *isto, toto, altero*, dixere: de quo Vossius de analog. IV, 6, qui et illud Apuleii huc refert VIII Metam. *uno potiundi studio postponens omnia*. Sic noster alibi, *alteræ alæ, totæ insulæ*, pro *alteri, toti*. Fortassis et τὸ *Archino* retineri, vel in *Archinoo* mutari potest; nam utrumque nomen Athenis usitatum fuit. Certe si mittenti et accipienti unum idemque nomen fuisset, vix dubito, Nepotem addita voce aliqua fuisse eos distincturum. Nec Plutarchi loco moveor; nam is sæpe aliter, ac reliqui scriptores, nomina effert. *Bosius*. Heusinger, Bipontina, Ith, Schmieder, Paufler, habent omnes, *ab Archia hierophante*, uni ex his, *Archiæ*. Quam lectionem, ut maxime probabilem, recepimus. *Editor*.

Agesilaus, IV, p. 176. *Tanta modestia*. Imo necessitate coactus [vide ad Pausan. II, 6. *Harl.*]; nisi morte multari voluisset ab Ephoris. Vide de Clearcho, Ephoris ipsum revocantibus non obsequuto, Xenophont. l. II. Exp. Cyri, p. 228. Reges enim velut Ephororum nomine bella gerebant, ipsique Ephori bella hostibus indicebant; ex Ephoris regem in hostes emissum comitabantur. Ad hæc Agesilao in Asiam profecto triginta Spartani adjuncti erant ab Ephoris. Xenophont. l. II, H. Gr. p. 373; l. III, p. 383, et l. V, p. 439. Itaque recte quidem dici potest Laconicis legibus libenter voluisse parere, ut de eo testatur Xenophon, p. 515 (qui cum Agesilao in Asia fuit, v. Diog. Laert. II, 51, cum nota Aldobrandini): ἑλόμενος ἀντὶ τοῦ μέγιςος εἶναι ἐν τῇ Ἀσίᾳ, οἴκοι τὰ νόμιμα μὲν ἄρχειν, τὰ νόμιμα δὲ ἄρχεσθαι, attamen hanc obedientiam regiam munus ab eo postulabat. Neque etiam Romæ J. Cæsar anterioribus temporibus contra leges exercitum retinere fuisset ausus; sed tum temporis mobile vulgus et incertum, scissum erat in studia reip. saluberrimis optimatum sententiis contraria, Cæsarisque, qui quovis largitionis et officiorum genere plebeium ordinem jam suum reddiderat, partes sequutum, multum de senatus auctoritate detraxerat, et sic Julio viam sibi totique reip. postea exitiosam ad tyrannidem munierat. Recte autem docti ad h. l. observant, per nostros imperatores intelligi imperatores Romanos, in primis C. J. Cæsarem. [Respici ad Syllam et Cæsarem, etiam ad Augustum, censet Schlegel, p. 22 sq.] Sic Romani dicunt *jus nostrum* pro jure Romano, et ita

Terent. Eun. A. II. Sc. III. vs. 21 : *Haud similis virgo est virginum nostrarum*, ubi vide Donat. Cicero, lib. II de offic. cap. 15, *quod a nostris hominibus sæpe usurpatum*, i. e. Romanis. v. Munck. ad Hygin. lib. II, A. P. c. 17. *Stav.*

Agesilaus, VIII, p. 183. *Nectanabe. Nectanabe* legendum, non, ut habent exempla Veneta, *Nathabide.* Sic enim hunc appellant *Plutarchus, Diodorus Siculus, Polyænus;* nisi quod ἀδιαφόρως *Nectanabus*, et *Nectanabis*, et *Nectanebis* ab illis nominatur. Quod autem in *apophthegm. Lacon.* Νεκταβίου scriptum est, erratum esse puto. *Lambinus.* Ms. Bœcler. *Onabide. Africano* est Νεκτανάβω, *Abul Faragio* in historia dynastiarum, p. 89, *Nectanebus*, sed *Patricidæ* sive *Eutychio* in Annal. p. 266, *Pharaun Schaneck.* Ceterum Agesilaus, Tacho regno pulso, Nectanebi adhæserat : ut apparet e *Xenophonte, Plutarcho, Polyæno* ac *Diodoro. Diodorus* tamen ait, Agesilaum a Tacho, beneficio ejus restituto, non a Nectanebo, magnificis muneribus donatum. Quod ei assentiri non vult *Usserius, parte* I *annalium, T. V*, pag. 269. *Bosius.* Sane a Nectanebo, ut hic Nepos refert, magnificis muneribus fuit donatus Agesilaus, quia Tachum deseruerat, ira in eum exacerbatus, et a Nectanebo steterat, qui ejus opera Ægypti regnum, a Mendesio quodam, fugiente Tacho, occupatum, sibi vindicavit : unde a Nepote rex vocatur. Vid. Wessel. ad Diodor. Sicul. lib. XV, cap. 93, num. 91. Plutarchus, pag. 617, hujus Agesilai facinoris verissimum nomen esse *proditionem*, dicit. Adde pag. 618. Leid. m. *Natonabile.* Voss. A, *Nabide.* B, *Onabide.* Vide not. præc. de vocis scriptura; si hic quoque *Nectanebo* præferatur, ut in Chabria, cap. 2, per me licet. *Stav.* Ax. Gu. *Notonabide.* Ed. princeps, Arg. utraque Paris. Ald. *Nathabide.* Ed. Mag. Lamb. Bœcl. Bos. *Nectanabe.* Omnes fere nomen in *abide* finiunt. Optime igitur Heusingerus *Nectanabide* edidit, quod jam in præstantissimo Ult. exemplari claris litteris expressum legitur. *Bardili.*

Eumenes, I, p. 186. *Alteræ equitum alæ.* Sic MSS. Gif. Schott. Bœcl. itemque alii Lambino memorati, suffragante Gifanio in Ind. Lucret. v. *unæ.* Cæsar, de B. Gall. I, 27, *ne qua legio alteræ legioni subsidio venire possit.* Sic omnes MSS. Brantio visi habuere. Terentius, Heaut. II, II, 30, *hæc ipsa in itinere alteræ dum narrat.* Infra, XX, III, 2, *tantum otium totæ insulæ conciliavit :* sic enim e MS. legendum. Et ita veteres hanc et similes voces alias inflexisse, docent Priscianus, lib. VI; Vossius, de analog. 2, 3, et quos ibi laudat, itemque Bangius, lib. I, p. 40. Quare non dubitavi, sic pro *alteri*, quod in omnibus edd. habetur, rescribere. Porro *altera ala* est, quæ, c. 13, I, *una* dicitur; nisi is locus corruptus est, quod valde vereor : id est, una e duabus. Duæ enim antiquitus alæ erant, ut vel ipsum nomen docet (de quo Gellius, XVI, 4, ac Vegetius, II, 1), et quod *dextræ* ac *sinistræ* nominibus distinguebantur. Thomas Reinesius, ὁ πάνυ, putabat, diversas intelligi debere alas, et Eumenem prioribus istorum XIII annorum uni equitum alæ, quocumque vocabulo, novissimo autem tempore etiam alteri, quæ *hetærice* dicta, præfuisse; adeoque hic de maxima parte XIII annorum, c. vero 13 de extrema, et ultimo

vitæ Alexandri sermonem nostro esse. Sed non tacuisset h. l. Nepos de priore præfectura, si aliquam prioribus Alexandri annis gessisset Eumenes. Et qui dixisset *alteræ* (h. e. ut ille accipit, diversæ, alii) eum alæ præfuisse, quum prioris nullam mentionem fecerit? *Altera* igitur ala est alterutra, e duabus una. Sic enim loquuntur optimi scriptores. Suetonius, Galba, c. 10: *Alarum altera ægre retenta in officio.* Cicero, II, Offic. 13: *Quum te Pompeius alæ alteri præfecisset.* Hirtius, de Bello Afr. *Cæsar alteram alam mittit.* Sic Noster *alterum cornu* dixit, XVI, 4, 3. *Bos.*

Eumenes, II, p. 187. *Liberi ejus. Diodorus*, xiv, ait, Alexandrum mortuum esse sine liberis. Idem paulo post addit, Aridæum, Philippi F., Alexandri regis fratrem ex alia matre, ab omnibus principibus regem factum ac probatum; Perdiccam autem regni administratorem creatum. Sed *Plutarchus* tradit, Roxanen ex Alexandro prægnantem fuisse relictam. Atque hunc incertum filium regem esse, et se interea regni curatorem declarari Perdiccas volebat, ut ait eodem loco *Plutarchus*. Idem, περὶ τῆς *Alexandri* τύχης ἢ ἀρ. λόγῳ β, scribit, Alexandrum duas uxores habuisse, alteram Roxanen, alteram Statiram, Darii filiam, utrum autem liberos pepererit, necne, non addit. *In Alexandro* vero narrat, Statiram, quum prægnans esset, a Roxane epistola quadam insidiosa et fallaci pellectam, esse interfectam et in puteum dejectam. Alii scribunt, Barsinen Artabazi, imo Darii (ut vult *Arrianus*) filiam, Memnonis uxorem, viro mortuo, ab Alexandro compressam, filium peperisse, Herculem nomine, qui mortuo Alexandro annum ætatis decimum quintum ageret: quem regni heredem esse oportere potius, quam Roxanæ partum incertum ad regnum exspectari, Nearchum contendisse. Quid igitur dicendum? Roxanes filius, quum Alexander excessit e vita, nondum natus erat; et non ita longo post, quam natus est, tempore a Cassandro una cum matre interfectus est; et aliquanto ante Hercules Barsines filius ab eodem interemptus erat. Statira ex Alexandro nunquam prægnans fuit. Quare *Diodorum* tueri possumus, qui dicit Alexandrum sine liberis decessisse. Contra *Probus*, et si qui alii tradiderunt, Alexandro fuisse filios superstites, vere dixisse videri possunt. Nam et Roxane justa uxor peperit, et Barsine, non ignobilis mulier, quamvis justa uxor non esset, multo ante, quam Alexander moreretur, Herculem illum ediderat. Quod si quis dicat, eum solum Alexandri filium fuisse dicendum, qui mortis tempore natus esset; ne in hoc quidem *Probus* mendacii arguendus est, quod numero multitudinis utatur. Nam *liberorum* appellatione filius unus continetur. Verumtamen non unum fuisse Alexandri filium post ejus obitum, ex iis, quæ infra proferemus, intelligere licebit. De uxoribus autem Alexandri magna controversia est. Ex *Arriano*, lib. vi, quidem intelligere licet, Alexandrum tres uno tempore habuisse. *Lambinus.* Quod autem *liberorum* appellatione et unus filius significetur, testantur *Cajus L. Non est sine liberis*, et *L. Nam quem. D. de V. S; Gellius*, ii, 13; *Servius* ad illud *Virgilii Æn.* 10, *Gnatis parce tuis*, et *Augustinus*, xvi, 40, *de Civ. Dei*. Magius. Adde Ind.

Bosius. Adde Gronovium ad A. Gellium, lib. II. N. Att. cap. 13; et Arntzenius, ad Victorem, de Cæsaribus, cap. 26, num. 4, hujus significationis plura dabit exempla. Pro *quoad* Voss. B. *quod ad*. *Staveren*.

Eumenes, XI, p. 200. *Quod nunquam cum fortiore sum congressus*. Ipsi Antigono antea dixerat: Οὐδένα ἐμαυτοῦ κρείττονα νομίζω, μέχρις ἂν ὦ τοῦ ξίφους κύριος. V. Plut. in Eumene, p. 589. Hæc vero ejus verba extant, p. 594: ἐρῶ δὲ τοὺς εἰς χεῖρας ἐλθόντας· ἀλλ' οὐδενὶ κρείττονι προςυχὼν οἶδα. Sequentia verba vir doctus in Obs. Misc. Novis A. 1740, p. 155, ita constituit: *Huc minime virtute hostium, sed amicorum perfidia decidi. Neque id falsum. Nam et insigni arte fuit palæstræ, et viribus ad laborem ferendum firmis*. Ingeniose satis, sed nihil definio. Venustam Eumenis figuram ita describit Plutarchus, pag. 589: Ἦν δὲ καὶ τὸ εἶδος ἡδὺς, οὐ πολεμικῷ, καὶ τετριμμένῳ δι' ὅπλων ἐοικὼς, ἀλλὰ γλαφυρὸς καὶ νεοπρεπὴς, καὶ πᾶν τὸ σῶμα διηρθρωμένος, ὡς ὑπὸ τέχνης ἀκριβῶς τοῖς μέλεσι θαυμαστὴν συμμετρίαν ἔχουσι. Quæ Plutarchi verba male Lambinus refert ad Eumenis honestam dignitatem; quam in Eumene non fuisse declarant Plutarchi verba, uti recte Bœclerus in Indice notavit. *Staver*. Voces *Neque id falsum — figura venusta* uncis coercuit, et delere jubet Heusing. quod male cum præcedentibus cohæreant, nec satis latina sint, præeuntibus jam Buchnero et Bosio, qui ea de causa loco apposuit asteriscum. Bosio assentitur cl. Schmieder, cui tamen verba, *neque id falsum*, genuina videntur. Cl. Tzschucke quoque locum esse garruli librarii censet. Sed hoc æque durum esse videtur et acerbum judicium, ac Claudii Civilis, h. e. Withofii, emendatio, quam Staver. modo proposuit, audax est. V. cl. Kappii crisin in Opp. meis, pag. 464. Loco *non enim virt.* forsan legi potest: *jam non virtute*. Dein si Eumenes *dignitate honesta* fuisse dicitur, Nepos judicare videtur formam corporis eximiam, supra vulgarem, augustam et generosam, ita ut mascula illa viroque digna pulchritudine, membrorum structura vultusque splendore reverentiam, et, viribus corporis firmis accedentibus, timorem injiceret adversario. Sic in Dione, I, c. 2, laudat *magnam corporis dignitatem*. Atqui proprie *dignitas* in viro, *venustas* in femina laudatur. Ne tamen in eo heroicam corporis magnitudinem fuisse, aliquis suspicaretur, cujus beneficio adversarium vicisset, addidit Nepos, *neque tam* (vel forte, *neque tamen tam*) *m. c. q. f. ven*. Hæc interpretatio si placet, nihil deesse, omniaque bene cohærere videmus. *Dignitas honesta*, h. e. pulchra, quæ honorem atque existimationem parat, me non æque, ac Heusingerum offendit. Adde Bosium, et indic. Heusinger. *Harl*. Hæc verba, *neque id falsum — venusta*, quæ Heusinger. delere jubet, ob rationes in Harles. Opuscul. varii arg. allatas, rejicere non possum. Fateor quidem, ex alieno loco posita videri. At interpretibus fraudi fuit *nam*, quæ vero h. l. uti apud Florum, II, 11, 7, et passim apud Valer. Maxim. aliosque, non est conjunctio causalis, sed transitioni inservit. Nihil ergo mutandum. *Kapp*.

Phocion, IV, p. 209. *Emphyletus*. Primus Longolius suspicatus est Nepotem hic lapsum esse, quod minus curiose Græcos codices inspe-

xisset vertissetque; nam ex Aristide patere, in Græcis auctoribus scriptum fuisse ἐμφυλός τις, h. e. *tribulis*. Hunc postea Magius aliique sequuti sunt. Schottus tentabat *Euippus;* hunc enim una cum Phocione capitis damnatum fuisse, e Plutarcho in Phoc. et apophthegm. ac Æliano, XIII, 42, constat: quanquam apud Ælianum non Εὔιππος, sed Θεύδιππος legitur. Sed utrumque longius abit a scriptura Nepotis, quam ut error ex affinitate ortus videri queat. *Euphyleti* cujusdam meminit Andocides, or. de myster. (p. 18, ed. Reisk.), qui an hic locum reperire possit, viderint eruditi. Fortassis apud Aristidem nomen viri corruptum, et in appellativum transiit, quum ipse scripsisset ἐμφύλετός τις; aut Nepos ex aliis auctoribus narrationem suam hausit; aut denique in corruptos codices incidit. Certe tam oscitanter eum Græcos scriptores tractasse, vix crediderim. *Bos*. Nepotem h. l. lapsum esse, etiam judicat Schlegel. l c. p. 70. *Thudippum* quemdam nominat Plutarch. in Phoc. 35, inter eos, qui cum Phocione erant; et c. 36, de interitu illius et Phocionis plura memoriæ prodidit. Add. Periz. Animadv. histor. c. 9, p. 404 sqq. ed. Altenburg. Equidem cum Tzschuck. non video, cur nomen vere proprium esse nequeat, forte in partibus quibusdam corruptum. *Harl.*

Timoleon, IV, p. 216. Αὐτοματίας. Hoc templum αὐτοματίας videtur divellere sententiam præcedentium verborum; sed vix credo, hanc vocem hoc loco per *fortuitum casum* esse explicandam. Vox αὐτόματον sæpe opponitur ei, quod ab hominibus, sive humanarum manuum opera factum est, et pro eo ponitur, quod divinæ providentiæ originem suam debet. Sic Ælian. lib. III, V. H. cap. 1: Οὐκ ἀνθρωπίνης χειρὸς ἔργα, ἀλλὰ φύσεως αὐτομάτου. Et αὐτόματος κέλαδος, sacerdotis Delphicæ responsum vocatur, quod reddidit illa vates sibi ab Apolline ipso editum non rogata, sive consulta a Batto: vid. Schol. Pindari, O. Pyth. IV, vs. 107. Et ita, salvo meliori judicio, ἡ αὐτοματία notat *providentiam quamdam divinam, sive beneficium sibi nil tale merenti, nec opinanti ab ipso Deo datum*, quo ducem Dii se potissimum esse voluissent, quum Siciliam recreare constituissent. Audi Plutarchum, Præc. polit. T. II, p. 816: Ὅθεν οἱ μεγάλοι καὶ Δαίμονα καὶ τύχην τοῖς κατορθώμασιν συνεπιγράφουσιν, ὡς Τιμολέων ὁ τὰς ἐν Σικελίᾳ καταλύσας τυραννίδας αὐτοματίας ἱερὸν ἱδρύσατο. Vide ibi cetera. Ergo hoc factum non athei hominis animum prodit, ut putat Ernstius. Ad hæc consecravit suas ædes ἀγαθῷ δαίμονι. V. Plut. T. II, p. 542, de sui laude: quem ἱερὸν δαίμονα idem vocat, T. I, in Timol. p. 253. Denique in Siciliam profecturus Delphis Apollini sacra fecit. Vide eumdem, p. 239. Ergo atheis non est annumerandus, sed modestis, nihil suæ virtuti tribuentibus, sed Deo, fortunam regenti omnem. [Stav. ad II edit. maj. præterea comparat Lucam in Act. apost. XII, 10: Τὴν πύλην — ἥτις αὐτομάτη ἠνοίχθη αὐτοῖς, ubi αὐτομ. notet, nonnisi divina ope atque potentia, laudatque Kuhn ad Æl. XIII, V. H. c. 43, n. 2, ante ipsum in eadem sententia jam versatum. Cl. Tzschucke, quem vide, interpretatur *fortis Fortunæ*, neque tamen id, quod Plutarchus narravit, repugnare arbitratur. Contra *C. G. Grabener* in progr. de αὐτοματίας numine, sacello et cultu, Lips.

1763, intelligit Timoleonteam deam, quæ suis viribus effecerit, ut sua sponte sua se obtulerint Timoleonti, quibus opus erat, ut conatus ejus e voto succederent, quorum quidem successum et eventum alii prudentiæ ejus et laborum opus existimassent, quum tamen numinis opus fuisset, clam operantis, conatusque Timoleontis, causis sponte se offerentibus, mirifice juvantis. *Harl.*] De Timoleontis felicitate, cui, ut Pompeio, venti tempestatesque obsecundare fuere visæ, præclara dat Plutarchus in Tim. pag. 249, 250, 251. *Staveren.*

De Regibus, II, p. 221. *Ex tribus uxoribus.* Vapulat hic *Lambino* aliisque Nepos; quoniam, ut volunt, Dionysius duas tantum uxores habuerit. Et sane duas solum memorant *Cicero*, *Tusc.* v, 20; *Valer. Max.* ix, 13, *ext.* 5; *Ælianus*, xiii, 10, *et Diodorus*, xiv; sed uno die ductas ac eodem tempore in matrimonio habitas, postquam denuo tyrannidem recepisset. Verum, quum primum eam occupasset, duxerat Hermocratis Syracusani filiam, quæ ob immanes Syracusanorum contumelias ipsa sibi mortem conscivit. Sic diserte *Plutarchus*, *princ. Dionis*; quem si recte inspexissent viri docti, næ illi erroris haud arguissent nostrum, nec eorum unus de *tertia concubinæ vicem implente* cogitasset. *Bos.* Prima Dionysii uxor fuit filia Hermocratis, quæ, ut Plutarchus ait, sibi conscivit mortem. Quod jam in post. not. post Bosium docui; adde Wess. ad Diod. Sicul. lib. xiii, cap. 112: quod hujus uxoris factum, lib. xiv, cap. 44, ita narrat, ut conjiceret, eam ab aliis fuisse trucidatam. Duarum deinceps uxorum eodem tempore a Dionysio ductarum fuit altera Doris Locrensis, Xeneti clarissimi civis filia (v. Wess. ad Diod. l. l. et Interprr. ad Val. Maxim. l. ix, cap. 13, num. 36), mater Dionysii posterioris (ut Clearchus scribit in libro quarto Vitarum apud Athenæum, lib. xii, c. 11, p. 541); altera Aristomache, Hipparini f. Dionis soror, amplissimo loco nata: de quibus etiam agit Cicero, lib. v. Tusc. Disput. cap. 20, et ibi Davisium consule. De Æliani errore, quem Wesselingius observat, egerunt jam Lambinus ad Nepotem in Dione, cap. 1, et Perizonius ad Æl. lib. xii, V. H. cap. 47, et ad lib. xiii, cap. 10. Hæ fuerunt tres Dionysii senioris uxores a Nepote h. l. memoratæ. Vocem *nepotes*, quæ abest a multis, quas vidi, editionibus, agnoscunt omnes mei codices. *Staveren.*

De Regibus, III, p. 222. *Alexandrea.* Sic legit e suo cod. Gifanius, Ind. Lucr. v. *Vestis*; firmatque Lambinus illo Horatii, vi. od. 14: *Portus Alexandrea supplex.* Vetus inscriptio Neapolitana apud Gruterum, 376, 3: PROCUR. LUDI. FAMIL. GLAD. CÆSARIS. ALEXANDREÆ. AD ÆGYPTUM. Alia apud eumdem, 525, 2: TR. MIL. ALEXANDRE. AD. ÆGYPT. LEG. XXII. In nummo M. Lepidi apud Ursinum in Familiis Rom. p. 7, capiti turrito subscriptum legitur: ALEXANDREA, et in alio: ALEXSANDREA. Sic *Antiochea.* Ausonius de claris urbibus: *Tertia Phœbeæ lauri domus Antiochea.* Priscianus, lib. ii: *Inveniuntur auctores frequenter varie proferentes* ALEXANDRIA *et* ALEXANDREA, NICIA *et* NICEA, ANTIOCHIA *et* ANTIOCHEA, et mox Horatii loco jam laudato id firmat. Quare obtemperandum Gifanio cen-

sui, monenti, *ne deleantur hæc antiquitatis vestigia etiamnum in vet. lib. expressa.* Nam hucusque omnes ediderant, *Alexandria. Bosius.*

Hamilcar, I, p. 223. *Primo Pœnico bello.* Cujus scriptores præter Ernstium ad h. l. recensent Freinshemius ad Flori ii, 2, et Dausquius ad i Silii. E junioribus id egregie enarravit, tomo ii Annalium, Steph. Pighius. Res mari in eo gestas accurate consignavit Tho. Rivius, lib. iii Historiæ navalis antiquæ, a cap. 9 ad 27 usque : brevius Claud. Morisotus, lib. ii Orbis maritimi, c. 13. Ceterum *Pœnico* rescripsimus pro *Punico,* fide Gifaniani Codicis, in quo et infra c. iv, 3, et xxiv, 3, 3, *Pœnicum* legebatur, teste Gifanio, Ind. Lucr. v. *Pœniceus.* Atque sic postremo loco etiam P. Daniel in suo scriptum reperit. Nimirum ita solebant non modo vetustiores; unde in columna Duiliana CLASES POENICÆ, et in fragmento judiciario paulo ante laudato BELLUM POENICIUM PROXSUMUM ; ac ap. Cn. Nævium principio historiæ suæ (qui et ipsi *Belli Pœnici* titulum fecerat, ut e Nonio v. *calamnia* cognoscimus) *Pœnica,* seu, ut Paulus Merula corrigit (vide commentarium ejus in Ennium), *fraudes Pœnicæ :* sed etiam Augusti ac Tiberii ætate. Hinc in Fastis Capitolinis triumphalibus apud Gruter. 297, *classis Pœnica ;* et apud Valerium Max. *Pœnicum vallum,* iii, 2, 20; *Pœnicæ feminæ,* i, 6, 15; *Pœnici exercitus,* iii, 6, 4; *Pœnica victoria,* iii, 18, 6; *Pœnicus astus,* v, 1, ext. 6. *Bosius.* (Add. Stav. ad maj. edit.)

Hamilcar, II, p. 225. *Eaque impetrarint.* Hæc nec vera fortasse, nec ab auctore profecta sunt. Omissa certe sunt in Ultraject., nec impetratorum a Romanis auxiliorum ullus scriptor alius mentionem facit. *Heus.* Plura disputat Bosius, qui tamen illas voc. expungere non ausus est, quod in optimis libris MSS. inveniuntur. *Harl.* Etiamsi nullus scriptor auxiliorum, Carthaginiensibus a Romanis missorum, fecisset mentionem, uti Heusingerus affirmat; tamen exinde non sequeretur, ut hæc verba, *eaque impetrarint,* neque vera essent, neque a Nepote profecta. Nam quot, quæso, in veteri historia occurrunt, a nemine in dubium vocata, etsi unius tantum scriptoris auctoritate nituntur ? Sed enim Heusingerus falso existimat, locum Nepotis de auxiliis, a Romanis Carthaginem missis, ad ἅπαξ λεγόμενα pertinere. Nam qui Polybium, l. lxxxiii, p. 117, ed. Grov. 1670, et Zonaram, tom. ii, p. 65, ed. Hier. Wolf, legit; is de auxiliis a Romanis tunc missis neutiquam dubitare poterit. *Kapp.*

Hannibal, V, p. 237. *Quo repentino objectu viso.* Pro *objectu* Ult. ed. *objecto,* ut *viso* nomen sit, quam lectionem, si in pluribus esset, facile admitterem. Concursus plurium verborum in eamdem vocalem desinentium si quem a probanda hac lectione deterreat, is loca adeat : i, 1, 3, *incepta prospera futura ;* i, 3, 6, *consilia sua perventura ;* ii, 5, 3, *unius viri prudentia Græcia liberata est ;* ii, 6, 2, *præcipuo periculo suo ;* xii, 1, 3, *tota Græcia fama celebratum est;* xvii, 1, 4, *cum Agesilao, suo patruo ;* xvii, 7, 4, *contra ea plurima ;* xviii, 8, 7, *præterea cibaria cocta ;* xxxii, 11, 6, *ad sua castra nautica.* His omnibus in locis eadem vocali *tria* deinceps verba

finiuntur. *Quatuor*, ut nostro in loco, v, 2, 4, *Qua victoria magna præda potitus*, et xv, 1, 4, *et si qua alia digna memoria erunt. Objici* autem visum a Cicerone etiam sæpius dicitur. V. Academ. II, 16, init. De Divin. II, 69, med. et De Fat. cap. 19, init. Nihil igitur dubitationis relinquitur, quin *objecto*, quod participium verbis *tantum terrorem injecit* egregie respondet, h. l. reponi possit. *Bardili.*

Hannibal, VI, p. 238. *Adversus P. Scipionem.* Multa hic multi disputant; sed possit servari lectio Aldina, *adversus P. Scipionis filium*, nullo linguæ aut veritatis damno. *Editor.*

Hannibal, VII, p. 240. *Annui bini reges.* Nescio certe, quid Nepoti in mentem venerit, quod Sufetes hic *reges* appellaverit; ut qui non observarit, ne essent reges, et annuos fuisse datos, et binos. Justinus, libro XXXXI, c. 2, rectius Hannibalem appellat *consulem*. De supremo hoc Carthaginiensium magistratu, et nomine ejus, vide Scaligeri Castigationes in Festum, in voce *Sufes*. Suspicor, Auctorem nostrum scripsisse, aut certe scribere voluisse *prætores* pro *reges*; quum paulo ante dixerit: *Hic, ut rediit, prætor factus est.* An vero Sufetes vocari recte possint *prætores*, Cornelius videat. Quem juvare potest, quod omnis magistratus, cui pareret exercitus, appellatus sit *Prætor*. Quæ Victorini sententia est. Cui accedit, quod Asdrubal, Masanissæ nepos, in Ep. Liv. lib. L, Carthaginiensium *Prætor* appelletur. Atque hoc est nobile illud secundum Punicum bellum, cladium (sive ut Ms. meus Flori legit *gladii*) atrocitate priore bello terribilius, quod uberrimus historiarum scriptor Livius decem integris libris copiosissime; Polybius item bona parte ejus operis, quod hodie nobis reliquum; Appianus Iberica et Hannibalica; Plutarchus Fabio, Marcello, et Æmilio Paulo, satis copiose; Silius Italicus suo carmine præclare, persecuti sunt. Brevius idem scribunt Florus lib. II, cap. 6; C. Nepos hic in vita Hannibalis; Auctor de Viris illustribus *Hannibale* et Scipione; Eutropius maxima parte lib. III; Orosius lib. VI, cap. 14, et quinque seqq. Ne quid de iis dicam, qui sparsim idem attingunt. *Ernstius.* Miratur *Ernstius*, Nepotem *reges* vocasse Suffetes (idque improprie factum, etiam *Salmasius* censebat), suspicaturque eum scripsisse, aut scribere voluisse, *prætores*. Atqui hunc maximum Carthaginiensium magistratum etiam Græci βασιλέας vocant, *Aristoteles*, *Politic.* II, 11; *Polybius*, III, 33, et VI, 49, alii. *Reges* etiam alii Latinorum. Justinus, XXII, 7, 7, *Bomilcar rex Pœnorum*. Orosius, VI, 6, *Imilco rex Pœnorum*. *Bosius.*

Cato, I, p. 249. Ex libro posteriore Cornelii Nepotis. Unde hæc desumpta sint, et an in aliquo MS. codice inventa, dicere non possum: neque enim alibi, quam in edit. Gebh. et postrema Bœcleriana, et quæ hanc expressere, ea invenio. Lamb. tamen, et qui eum sequuti sunt, similia præfixere: *Ex libro secundo Æmilii Probi, seu Cornelii Nepotis*. Longolius nil aliud, quam, *Catonis vita*; Schottus, *M. Porcii Catonis vita*. Pighius, qui hanc vitam a Carolo Langio acceptam libro IX Annalium

Rom. sed pluribus locis ab aliis editionibus discrepantem, inseruit, alicubi et conjecturas suas adscripsit, hunc ei titulum præscripsit, *Vita Marci Catonis, ex Cornelio Nepote de viris illustribus.* Utcumque sit, verisimilius est, eam ex altero Nepotis libro esse, cujus, XXIII, 13, 4, meminit, quam, quod Schotto aliisque visum, fragmentum esse vel ἀνακεφαλαίωσιν libri, quem, cap. 3, 5, de Catone *separatim fecisse* se ait; nam id ne credamus, ea ipsa verba faciunt. Quis enim in fragmento aut ἀνακεφαλαιώσει operis alicujus unquam opus ipsum, tanquam diversum, laudavit? Non repugnabo tamen, si quis eum Vossio τῷ πάνυ verisimile censeat fragmentum esse ex opere *de historicis Latinis;* quum de historiis Catonis tam explicate agat, orationum autem et rerum pace belloque gestarum solum velut obiter mentionem faciat. *Bosius.*

Atticus, p. 256. Quam varie in codd. et nonnullis edd. inscribatur elegantissimus hic libellus, cognosces ex Bosii nota et Fisch. libello V. L. *Ex libro Cornelii Nepotis de Latinis historicis* in cod. Gifan. cui accedit cod. Guelferbyt. (a Jac. Frid. Heusingero curate descriptus) *Ex libro Corn. Nep. de Lat. historicis. Incipit vita Attici.* Quæ inscriptio Schlegelio in Add. et corrig. ideo probabilis est, quia scripta Attici historica satis ample a Cornelio exponuntur, eoque retractat sententiam, pag. 13 prolatam, vitam Pomponii Attici non esse nisi partem Corneliani operis *De viris illustribus*, a Gellio, XI, c. 8, perlecti et citati. Idem Schlegelius in diss. sua doctiss. cap. V, pag. 28 sqq. quatuor antiquissimas et rarissimas ed. vitæ Attici e bibl. Thottiana recensuit (ex quibus suppleri possunt, quæ scripsi ad Fabricii B. Gr. vol. V. p. 201 sq.); et ex antiquiss. ed. a. 1470, quæ vitas Plutarchi parallel. aliasque; in his *Pomponii Attici*, aut ut in altero exemplo auctiore, n. 49, inscribitur: *Incipit vita Pomponii Attici clarissimi viri, e Græco sermone in Latinum per Cornelium Nepotem translata*, pag. 41 sq. varias in vita Attici lectiones dedit, et adjecit varr. lection. ex Jensonii edit. epp. Ciceronis ad Atticum, 1470, cui annexa est vita Attici. Sed has plenius exhiberi in edit. Patav. Nepotis, observavit cl. Tzschucke. Ex illis autem edd. apparet, vitam Attici separatim quondam et ante fuisse editam, quam vulgarentur reliquæ. Ad manus quoque sunt duæ, sed diversæ edd. Ernstii. Prior, in qua textus est in particulas dissectus, et cuique parti sunt notæ subjectæ, inscripta est: *Vita T. Pomponii Attici ex Cornelio Nepote*, annotat. emendat. variis lectionibus, observat. denique cum ethicis (male excusum est *ethnicis*) tum politicis, in usum nobiliss. juventutis academ. Soranæ, illustrata ab *Henrico Ernst.* Hafniæ, 1629, 12. Posterior, in qua textus est perpetuus, quem excipiunt notæ auctiores et diligentius scriptæ, habet inscriptionem: *Speculum prudentiæ et virtutis civilis, h. e. vita T. Pomponii Attici, scriptore Cornelio Nepote*, cum notis, chronologia, glossario et nomenclatore *Henrici Ernstii.* Adjectæ sunt certo consilio annotat. *Christoph. Heidmanni*, V. C. Amstel. 1637, 12. Hujus quoque edit. notæ differunt interdum ab iis, quas Ernstius, tertium forsan recensendo vitam Attici, modo contractas modo auctiores miserat Bosio, et quas hic suæ inseruit editioni. *Harless.*

Atticus, III, p. 261. *Et domum.* Amplius Ms. *et domum voluit,* non necessario. *Patria* latius patet, quod sit regio, in qua quis natus, vel educatus. *Cicero, de legibus. Domus* vero angustiori significatione. Hinc illud : *unde domo?* quo de, libro III *Observationum per saturam*, egimus : ut, *Terentius, patria Afer, domo Carthaginensis. Dion. Lambinus* solemne illud suum, *repugnantibus libris omnibus*, servans, legit, *ut eamdem et patriam haberet et dominam*, respiciens forte versus *Martialis.* Non probo. Nec enim, quamvis terrarum domina, non tamen Attici *Roma* domina est appellanda. *Schottus.* [Attamen Schott. et Bœcl. Lambinianam lect. in contextum receperunt.] Subtiliter hæc quidem a *Lambino* excogitata lectio, in textum tamen recipi non debuit. In libb. enim : *ut eamdem et patriam hab. et domum voluit.* Hæc ultima vox, si retinenda sit, admonet nos de vitio totius loci, mutilati aut corrupti. Planissima igitur lectio illa fuerit: *ut eamdem et patriam haberet et domum.* Potuisset enim Romam patriam habere, extra Romam natus educatusque : igitur et *domum* ei contigisse ait. An aptius legerem : *Igit. p. i. m. f. q. in e. p. urbe natus, in qua domicil. o. t. e. imperii, eamdem et patr. h. et domum.* Quanquam, ut cœpi dicere, vitium gravius subesse credo. Vide omnino *Schottum, Observat.* lib. III, 8. *Bœclerus.*

Atticus, VIII, p. 266. *Sequutum est illud. Illud tempus* ed. I. cum codd. Schopp. et Ernst. Præeunte Bosio equidem cum Staver. in II. maj. ed. totum locum ita constitui : *Sequutum est illud. Occiso — ad eos convertisse; sic*, etc. Heusinger. quoque ex Bosii consilio ita interpunxit h. locum : post *convertisse* tamen, sed uncis inclusum, et revera ex superioribus repetendum, addidit *videretur,* quod in codd. Voss. 1 et 3, ac Leid. 2. et edd. prr. reperitur. Vulgo *sequutum est illud, occiso — convertisset, (aut convertisse videretur.) Sic*, etc. Atque pristinam interpretat. retinuit cl. Tzschuck. nisi ut *convertisse*, omisso *videretur,* daret ; in not. tamen mallet *convertisset* cum Bosio. *Harl. — Sequutum est illud* subintell. quod narraturus sum. Nam *illud* non ad præcedentia, sed ad sequentia referri debet, uti multa loca, in primis apud Valer. Max., docent. Nepos etiam ejusmodi abscisas formulas amat : e. gr. infra, cap. IX, 1, sequutum est bellum gestum apud Mutinam : cap. X, 2, Conversa subito fortuna est. Viri docti est conjectura, *sequutus est illud*, etc. *Kapp.*

Atticus, XII, p. 273. *Qui cum eo complures annos, studio ductus philosophiæ, habitabat.* Vulgarem, *qui complures a. st. d. ph. habitabat*, et prisca lectio confirmat. Levi tamen commutatione tentabam, *quicum plures annos st. d. ph. habitarat*, ut *cum eo* addere nihil sit necesse. Lambin. *Athenis habitabat* audaci conjectura adjecit. *Schott.* Edit. Rom. *qui cum pl. a. st. d. ph. habitabat.* Ut nos edidimus, emendavit *Ursinus ;* sequutique *Gothofredus* et *Gruterus.* Neque melius quid nunc occurrit. Illa *cum eo* facile excidere potuere ob sequens *complures.* Vulgatæ nullus inest sensus. Schotto et ed. Rom. adversatur, quod statim sequitur *habebatque. Bosius.* Bosianam adhuc sententiam sequor. *Stav.* Gu. Ed. princ. s. a. ant. Jens. a. 1478, Brix.

qui complures annos st. d. philosophiæ habitabat. Altera princ. a. 1470, Paris. et Long. *qui cum plures annos st. d. philosophiæ habitabat.* Sed edit. Corn. Arg. Lamb. Schott. Bœcl. *qui complures annos studio ductus philosophiæ Athenis habitabat,* quod unice verum esse, vel quæ sequuntur verba, *habebat in Italia pretiosas possessiones,* declarant. Eamdem lectionem Jac. Frid. Heusingerus probat in *Fragmentis Corn. Nep. Guelpherb.* pag. 124 sqq. nosque eam in textum restituere non dubitavimus. *Bardili.*

Atticus, XIX, p. 281. *Divi* [*Julii*] *filii.* Schottiani Gifanianique codicum lectionem [*Divi filii*] magis etiam, quam quos ille laudavit, quibusque similes plurimos quum nummos, tum lapides vett. apud Antiquarios habes, confirmant nummi, in quibus Augustus pariter IMP. DIVI. F. omisso. *Cæsaris* et *Augusti* nomine cognomineque appellatur, ut in æreo meo mediæ magnitudinis (cui similes et Erizzus ac Angelonus exhibent), in cujus adversa facie duo capita (Augusti et Agrippæ, ut volunt) cum inscriptione, quam diximus; in aversa, COL. NEM. et crocodilus palmæ arbori alligatus , ac duobus ramis insistens. Et in alio apud Occonem, p. 73 , in quo eadem inscriptio, et caput Augusti, in aversa vero parte : Q. MAXIMO. ITER. etc. Nempe quum eousque nemo alius inter Divos relatus esset (nam Cn. Pompeii Magni nummus, in quo templum cum hac subscriptione : CONSECRATIO , legitur, non una causa mihi suspectus est, ut alibi docebo), addito *Julii* nomine, quo is ab aliis divis discerneretur, opus non erat. Augustus autem sola *Imperatoris* appellatione, quæ illi æque ac patri Julio loco prænominis decreta fuerat, aliquando designabatur. Quare vix dubito, *Julii* nomen hic expungendum esse. Quanquam interim non desunt exempla quum nummorum , ut apud Occonem, p. 37, 42, 44, 46, 50; tum saxorum, apud Gruterum, p. 58, 1 , p. 177, 1, p. 226, 5, p. 228, 6 , p. 1084, 2, in quibus idem Augustus *Divi Julii F.* vocatur. Sed in iis ubique *Cæsaris* nomen præmittitur. Apparet autem ex hoc loco, scriptum hunc librum ante, quam *Augusti* cognomen ei decerneretur. *Bosius.*

Atticus, XXII, p. 284. *Ne ad id, quod natura cogeret, ipse quoque sibi accelerarct.* Bos. Staver. Tzschuck. Brem. Harles. *ne ad id, q. n. c. ipse quoque accelerarct,* omisso pronomine *sibi.* Codicis Gu. principumque edd. lectionem cum Heusingero revocavimus, cujus hæc ad locum nostrum annotatio est : Multa sunt Græcorum et Latinorum scriptorum loca, quibus hujus generis pronomina abundare videntur, et tamen ab ipsis auctoribus accesserunt. Exemplis, quæ a Vechnero, Hellenolex. 1, 2, cap. 6, pag. 176, et a me ad eum locum collecta sunt, unum addo Horatii, 1, Satyr. 4, 34 : *dummodo risum Excutiat sibi, non hic cuiquam parcet amico.* Non vult Horatius, ut *sibi risum excutiat,* sed *ut aliis,* oblectandi sui gratia. *Sibi* itaque apud Horatium commodi est dativus, ut hic incommodi, qui cuique orationi adjici potest. Vid. Sanct. Minerv. II, 4, et ad illum locum Perizon. n. 5. Quare *sibi accelerare ad aliquid* est, cum maximo malo exitioque suo accelerare. *Ad* vero, quod recte Bosius vindicavit,

non transponendum puto, ut sit, *ne id, ad quod natura cogeret*, quum *accelerare ad aliquid* non minus recte dicatur, quam *adire ad aliquem*. Nec enim *accelerare* frequentius activum est, quam neutrum. Nihilo minus ad *quod* repeti potest præpositio, quasi sit *ad quod natura cogeret*, quia illa ante pronomina relativa eleganter supprimitur. V. ad v, 3, 1. Hæc *Heusingerus*, cujus sententiam cum Wetzelio Titzius quoque secutus est. *Bardili*.

CORNELII NEPOTIS
CUM PLUTARCHO COMPARATIO,
AUCTORE A. A. B***,

OPUS INEDITUM.

Quum præclarissimorum Græcorum facinora jam enarrasset Cornelius Nepos : *Nos tempus est*, inquit (*Hannib.* XIII), *Romanorum explicare imperatores; quo facilius, collatis utrorumque factis, qui viri præferendi sint, possit judicari.* Qua ratione propositum illud perfecerit, ignotum, nam Romanorum vitæ periere ; sed eam fuisse sententiam crediderim, ex qua, veluti e fonte quodam, exierunt et in lucem venerunt *Vitæ* Plutarchi *parallelæ*. Quod enim lectoribus suis suaserat Veronensis ut facerent, Chæroneus ipse fecit. Et certe nihil excogitari potest, quod gentium virorumque mores et facta melius ante oculos explicet, quam si ea sanæ mentis et acutissimi judicii lance ponderata libraveris; nihil quod memoriæ efficacius succurrat, quam si, postquam suo quæque loco digesta ac disposita lectitaveris, ea omnia repetere, atque uno quasi obtutu possis amplecti. His ergo de causis nos quoque Cornelium Nepotem et Plutarchum inter se conferre non inutile censuimus, quum multa similia habeant, differant in pluribus, quumque non omnibus, in nostra præsertim Gallia, perspicuum sit, quæ sint utrique vitia, quæ virtutes; ac multo minus, quando agitur de genere dicendi. Ille enim quum, propter singularem simplicitatem, linguæ Latinæ adhuc tironibus in manus veniat, non ii sunt, hujus nempe ætatulæ, sermonis æstimatores, qui Cornelianam brevitatem et lepores Atticos sapiant; postquam vero adoleverint, vix ac ne vix quidem puerilem hujusmodi scriptorem dignum arbitrantur, quem evolvant. Huic autem id contigit, ut eum e Græca in vernaculam linguam transtulerit noster *Amyot*, et adeo feliciter transtulerit, ut, si doctos quosdam excipias, perpauci admodum sint, qui ipsum auctorem legant, nec illum Plutarcho huic Gallico posthabeant, qui ex ætatis suæ vetustate, cum duobus tantum tribusve, superstes emersit.

Plurima volumina conscripsit Plutarchus, multa quoque Nepos : sed hic uni historiæ adhæsisse et toto ingenio incubuisse videtur ; illius vero

mens in maxima rerum atque opinionum varietate versata est, et, quod plerumque diversa scribentibus accidit, non pari laude in omnibus. Multa utriusque desiderantur. Cornelii enim Nepotis, decem libri nomine, unus tantum liber re superest; Plutarcho, præter eos qui ad nostram ætatem pervenerunt, centum circiter et duodecim tribuuntur. De hac vero mole non immerito, ut mea fert sententia, dici potest, quod de se ipso Martialis, uno tamen transposito verbo :

Sunt mala, sunt quædam mediocria, sunt bona plura.

Nec me *mala* dixisse mirentur, qui Plutarchum ex recentiorum libris potius, quam ex ipsius operibus, noverunt. Quid enim est tractatus ille, *De facie in orbe Lunæ?* quid, *De primo frigido?* quid, *De audiendis poetis?* licet hunc ultimum non sine laudibus memoret scriptor Gallicus, *La Harpe*, summus ceteroquin, sed qui, ubi de Græcis agit, aliena sæpius quam sua promit, et quasi fiduciario utitur judicio. In his omnibus si quid boni inest, legentem sane fefellit. Sunt etiam, quos multis in partibus mancos et indigestos dicere ausim, præsertim quos contra *Herodotum* et *Stoicos* scripsit. Multa tamen plerosque commendant : nam præter varias, quibus distinguuntur, narratiunculas, et ea, quæ ad veterum mores apprime intelligendos pertinent, omnia in iis reperire est, quæ ad bene beateque vivendum conferant, indulgentemque illam, et quasi molle nescio quid, vel in ipsa gravitate, subridentem Academicorum philosophiam. Præcipua vero Plutarchi laus, quæque illius nomen ad remotissimam usque posteritatem feret, opus est illud *De vitis parallelis*. Hoc tantum nomine hic dicendus nobis, et cum Nepote conferendus.

In primis verborum constructionem, proprietatem et elegantiam multi advertunt, atque hac præsertim dicendi arte, inter scriptores de eadem re disputantes, ordinem assignari posse arbitrantur. Hic quidem plurimum inter se differunt Plutarchus et Nepos : qua vero causa tantum discriminis intersit, paucis explicabimus.

Post Græciam a regibus Macedonum subactam, paulatim et fere nulla intellecta mutatione, in pravum detorqueri cœpit lingua Græca, et a recto illo tramite, quem Plato, Thucydides, Sophocles tam feliciter inierant, paululum deflectere. Mox, quum alieni populi ingruerent, et tum Mithridaticis rebus aliisque bellis, tum longa Romanorum dominatione, frequentius inter Græcos et Barbaros commercium habitum esset, malum invaluit. Tunc quidam litterarum impendentem illam ruinam, quum omnino prohibere nequirent, saltem retardare tentaverunt, et, quod in hac linguarum conditione apud omnes gentes commodum esset, optimorum inter veteres et Atticos præsertim scriptorum vestigiis quam tenacissime institerunt : unde *Atticistarum* nomen illis inditum.

Sed dum pauci, tale exemplum secuti, ad Pericleos fontes adverso flumine navigarent, plures incursu torrentis sese rapi siverunt, in primisque Plutarchus, qui mixtum quoddam et adulterinum dicendi genus

amplexus est; ut ægerrime definiri possit, quos inter scriptores sit potissimum annumerandus. Modo enim sublimis exsurgit, modo humilior jacet; quum pleraque in eo plana et aperta sint, sæpissime tamen difficiles occurrunt sententiæ, obscurioris interdum et inextricabilis sensus; multa Xenophonteæ ætatis venustatem, multa alia sequiorem et vergentem græcitatem redolent. Illa quoque varia et prope infinita Plutarchi doctrina impedimento fuit, ne pura omnino et simplici concinnitate oratio ejus excelleret. Quum enim maximam voluminum multitudinem evolvisset, ea omnia rudia sæpe elementa ita inter se contulit, ut nunc rhetorum motus et affectus adhibeat, nunc graves philosophorum sententias, et præsertim ubique, post minima intervalla, invenias *disjecti membra poetæ*?

Si cui vero non omnino apertum videatur, quibus de causis intortam et obscuram dictionem Plutarcho vitio verterim, is legat modo prima *Phocionis* vitæ capita, ut statim notum habeat, quid intelligam : hic enim rectam sane sententiam scriptor profert, quasdam nimirum esse civitatum conditiones, in quibus necesse sit, ut reipublicæ principes inserviant temporibus, et sese hominum cupiditatibus accommodent; sed dum id omnibus modis confirmare nititur, similitudinesque congerit modo ex historia, modo ex poetis, modo ex physicorum mathematicorumque præceptis depromptas, rem obscurat, quam illustrare potuisset, si adfuisset modus. Et quidem graves plerumque sententias et acute cogitata inter narrandum inserit egregius ille morum ac vitæ magister; sed inani verborum luxurie laborat, longiores et interdum longius arcessitas similitudines coacervat; nec desunt etiam, in quibus pravum ætatis suæ judicium prodit. Nam, ingeniosus licet ipse criticus, iisdem tamen vitiis nonnunquam argui potest, quibus ceteros arguit. Exemplum afferre mihi liceat eo magis notandum, quod in eadem, quam merito reprehendit Plutarchus, sententia, Tullius, vir multo delicatioris judicii, magnam esse *concinnitatem* existimet: sed hic, culpæ laudator, culpam fugit; ille, qui vidit meliora probavitque, deteriora secutus est. Hegesias Magnesius (alii Timæum perhibent), quum in historia dixisset, qua nocte natus Alexander esset, eadem Dianæ Ephesiæ templum deflagravisse; adjunxit, *minime id esse mirandum, quod Diana, quum in partu Olympiadis adesse voluisset, abfuisset domo.* De Nat. deor. II, 27. « Adeo « frigida sunt, inquit Plut. in *Alexandro*, hæc Hegesiæ verba, ut ipsum « incendium extinguere potuissent. » Deridendum, hercule, derisorem! Uter enim frigidior, Hegesiasne de Diana, an de Hegesia Plutarchus ?

Ea laus Nepoti tribuenda, quod nunquam istis verborum igniculis decipitur. Imo, sententiarum parcissimus, raro admodum, propriam mentem exprimendo, rerum seriem dirimit, et multum a Plutarchi more abhorret, qui nunc physicas interserens, nunc philosophicas παρεκβάσεις, unamquamque Vitam intercipit; quod sæpenumero non ὀχλεῖ tantum, ut ipse dicit, sed quisque sani judicii vir ægre feret. Nepos contra, si vel minimam sententiam cuilibet facto subjunxerit, quasi

culpæ conscius sibi videtur. *Hoc loco libet interponere,* inquit in *Pelopida*, III, *etsi sejunctum ab re proposita est*. Et tamen ejus animadversiones, quæ plerumque civilem prudentiam et regendam rempublicam spectant, non solum clarrissimum veritatis lumen, sed egregiam quoque brevitatem et vividioris dicti aciem secum ferunt. Sic illa, in *Chabria*, III, quam Sallustianam diceres : *Est enim hoc commune vitium in magnis liberisque civitatibus, ut invidia gloriæ comes sit, et libenter de his detrahant, quos eminere videant altius ; neque animo æquo pauperes alienam opulentium intuuntur fortunam.* Duo tantum notavi, in quibus peccasse Nepotem censeo, in priori quidem levius, quum ita de *Eumene*, XIII, loquitur : *In quo quanta fuerit omnium opinio eorum, qui post Alexandrum Magnum reges sunt appellati, ex hoc facillime potest judicari, quod nemo, Eumene vivo, rex appellatus est, sed præfectus ; iidem, post hujus occasum, statim regium ornatum nomenque sumpserunt.* Quod scilicet non tam Eumenis, quam verecundiæ causa esse factum scribit Justinus, XV, 2, et ego quoque existimo : non enim uno eodemque temporis momento omnes post Eumenis mortem regium nomen affectarunt ; sed, ubi unus præivisset, omnes sunt unius ambitionem imitati. Alterum exemplum gravius arbitror : quod quidem pertinet ad præjudicatam illam plerorumque veterum opinionem, qui nullam fere nisi civilem virtutem colendam esse existimabant, nullum esse fidei locum erga patriæ hostes. Scilicet quum Darius, rex Persarum, in bello adversus Scythas, pontis in Istro flumine facti Miltiadem et quosdam principes custodes reliquisset, ille ceteros hortatus est, ut pontem rescinderent ; ita enim regem vel hostium ferro, vel inopia, paucis diebus interiturum. *Cujus ratio*, inquit Nepos, *Miltiad.* III, *etsi non valuit, tamen magnopere est laudanda, quum amicior omnium libertati, quam suæ fuerit dominationi.* Miltiades tamen fidem dederat, se nunquam regis consilia proditurum, quam, hercule, fidem ne pro ipsius quidem civitatis commodis violare debuisset, sed Aristidis, et ipsius etiam Athenarum plebis æquare magnum animum, qui, paucis post annis, Themistoclis consilium, utile quidem, sed inhonestum, communi omnium consensu rejecerunt.

Ceterum adeo non multos hujusmodi errores in Nepote deprehendas, ut contra nemo non fateatur, quidquid is cogitaverit, veritate simul et vi valere, quodque magni etiam faciendum, eum nunquam in dicendo a recta simplicioris naturæ via deflexisse. Hoc quidem quum puro et candido ingenio, tum ipsi, quæ Nepotem tulit, ætati tribuendum arbitror. Multo enim sermonis elegantiæ aptior et accommodatior fuit, quam Plutarchi ætas. Jamdudum Terentii, Lucretii, ceterorumque poetarum industria, prisca illa Etruscæ barbariæ labes prorsus evanuerat, nec tamen ad hunc politissimum cultum lingua pervenerat, qui ubi in plurimis scriptis enitescit, necesse quodammodo est, ut auctor jam aliud quam ingenuam perspicuitatem, inaffectatasque venustates consectetur, si quid novi et singularis in publicum proferre voluerit. Itaque Nepos eodem semper tractu fluit ; ne unam quidem sententiam, si mendosos

aliquot locos excipias, in eo inveniri posse puto, quæ lectorem vel minime moretur; in omnibus magna est *superbissimi illius aurium judicii* reverentia; in omnibus exquisita elegantia, miranda proprietas verborum, absolutissima præsertim brevitas. In hac nempe Sallustium et Thucydidem ad imitandum sibi proposuisse videtur, ita ut hunc non æmuletur modo in plurimis, sed sæpius etiam ad verbum transferat, quod *Pausaniæ* et *Themistoclis* vitam legenti planum erit.

Sed quoniam Themistocleæ epistolæ interpretationem significavi, obiter hic notare liceat, id ex ea posse colligi, Nepoti scilicet Græcum sermonem non penitus fuisse perspectum. Hæc enim verba Xerxi Themistoclem scripsisse narrat Thucydides, I, 137 : Πάρειμι διωκόμενος ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων διὰ τὴν σὴν φιλίαν, quæ quidem ita convertit Nepos, in *Themist.* IX : *Nunc autem ad te confugi, exagitatus a cuncta Græcia, tuam petens amicitiam.* Hanc vocem διὰ τὴν σὴν φιλίαν, intelligimus nunc *propter tuam amicitiam*, non *tuam petens amicitiam*. Nec dicat aliquis Nepotem Thucydidis quidem sensum tenuisse, sed verba ipsa transferre non voluisse; qui tum gravius peccavisset. Namque ubi Themistocles se ad Regem confugere profitetur, verba hæc, *tuam petens amicitiam*, plane superfluunt. Significantior sensus et ad impetrandam Regis gratiam efficacior, si supplex innuerit, se propter ipsam hanc gratiam ab omni Græcia fuisse exagitatum. Censeo ergo διὰ τὴν σὴν φιλίαν, quod Thucydides ad διωκόμενος retulit, Nepotem ad πάρειμι retulisse.

At si ex una sententia Romanum historicum Græco sermone non familiarissime usum mihi in suspicionem venit, ex multo pluribus Græcum linguæ Latinæ non fuisse peritissimum conjici potest, neque ipse inficiatur. Nam dum Romæ, et in ceteris Italiæ urbibus commoraretur, ut ipse nos in vita *Demosthenis* docet, munia quæ obiit et philosophicæ disputationes impedimento fuere, ne Latinam linguam diligenter perciperet; Romanorum vero libros, quum jam senior esset, legere cœpit, nec tam verbis facta didicit, quam verba factis. Huic inscitiæ quidam errores in Plutarcho adscribendi sunt, et id in primis, quod omnia, quæ de Romanis imperatoribus memorat, non facillime iis intelligantur, qui Latina scripta non norunt. Quin idem de Græcis etiam ducibus ausim dicere, in quorum Vitis multa manca et obscura invenire est, nisi prius antiquos auctores, et eos qui eadem quam Plutarchus tractaverunt, lectitaveris. Multa in *Agesilao* sine Xenophonte, in *Cimone, Pericle, Nicia* sine Thucydide non intelligas. Sæpe etiam errat in rebus notissimis. « Quum Alexander, inquit, raros quosdam et delicatos pisciculos He« phæstioni misisset : *Ego*, inquit Anaxarchus philosophus, *satraparum* « *capita maluissem.* » Qui sensus his verbis in hunc modum expositis subesse possit, nemo, ut arbitror, suspicabitur. Nec lucidiora fecit Plutarchus, quum hanc addidit sententiam : Οἷον ἐξευτελίζοντα καὶ καταειρωνευόμενον τοὺς τὰ περίβλεπτα μεγάλοις πόνοις καὶ κινδύνοις διώκοντας, ὡς οὐδὲν ἢ μικρὸν ἐν ἡδοναῖς καὶ ἀπολαύσεσι πλέον ἔχοντας. Id tantum novimus, ipsum Plut. non percepisse, quid sibi vellent hæc Anaxarchi verba.

Quum enim Anaxarcho invisus esset Nicocreon, Cypri satrapes, et a philosopho Alexander post lautissimum prandium petiisset, quid in tali convivio posset desiderari: *Delicatissima res*, inquit Anaxarchus, Nicocreonta intelligens, *nempe satrapæ cujusdam caput.* Ceterum, quod non intellexit Plutarchus, Nicocreon optime intellexerat, magno Anaxarchi malo, quem quum in Cyprum insulam tempestas detulisset, captum interfici jussit *memor iræ tyranni.*

Quum ergo tot tantaque sint et in verbis et in sententiis, quæ Plutarcho vitio vertere jure possis, cur tandem ille Græcos inter historicos cum Herodoto, Thucydide, Xenophonte primas tenet? Cur ab omnibus doctis viris tanti fit, ut quidam interrogatus, quem superesse mallet, si, uno excepto, omnes antiqui scriptores desiderandi forent, Plutarchum responderit? Cur in illo legendo juniores simul et senes, quod perpaucis admodum contigit, tantopere delectantur? Cur Bœotiæ oppiduli incola, diu post Græciæ gloriam natus, Atheniensibus illis et Pericleis par in quibusdam partibus, fama superior evasit? Duobus potissimum causis id tribuendum arbitror. Primum enim nullus fortasse Plutarcho major in describendo fuit; qui tam graphice, ut aiunt, rem depingit, ut non solum narratam audire, sed ipse adesse credideris; tantaque arte omnia disponit, ut, vix librum evolvere cœperis, vividis affectibus et præpotenti impetu raptus, huic perlegendo adhæreas, velut in illis accidit commentitiis narrationibus, in quibus auctori quælibet fingere datur et suo arbitrio res ordinare. Quid autem in his fabulis magnificentius, quid formosius, quam quum Cleopatra, imo Venerem ipsam dixerim, prima vice Antonium aggreditur? Quid lamentabilius, quam Niciæ et Atheniensium in Sicilia, Crassi et Romanorum in Parthiene clades? Quid in ipso Homero τραγικώτερον, quam illud Corneliam inter et Pompeium longum supremumque vale? quam Demosthenis et Tullii, Porcii et Phocionis, Eumenis, Sertorii, Gracchorum, Philopœmenis et tot illustrium virorum cædes? Plerosque enim cruenta mors intercepit, quasi sit a natura comparatum, ut viris illis, qui omnia circum se movent, omnia quoque infensis animis obsistant, et gloria ipsa, cui tanta cupiditate inhiant, quasi Horatiana illa Necessitas, *manu gestet ahena* catenas, et exilia, et enses, et venena.

At non egregium modo narratorem rerum in Plutarcho invenias; sed etiam, quæ quidem illi præcipua laus est, morum felicissimum indagatorem, enuntiatoremque peritissimum. Optime enim intellexerat, quid propositi habere debeat is, qui vitas clarorum virorum scripturus est; nempe viros præbere veluti *intus et in cute* conspicuos, nec publica tantum facta, sed privatos quoque mores, privata dicta in commentarios referre. « Nam, ut ipse memorat, in plerisque horum virorum publicis « facinoribus, fortunæ maxima pars tribuenda est; si quid vero privati « fecerint, si qua verba dixerint, in his, veluti in quodam speculo, co« gitationes ipsas et intimam mentem deprehendere est. » Quæ quidem apertius et fusius alibi explicat: « Non ego, inquit, historias scribo, sed

« vitas; nec sane illustrissimis facinoribus semper inest absoluta virtutis aut « vitiorum manifestatio; at sæpius leve quoddam factum aut dictum, vel « puerilis lusus, mores magis aperte declarat, quam cruenta prælia, et « bellicæ expeditiones, et oppugnationes urbium. Quum ergo pictores « ex vultu et fronte, in quibus mores deprehenduntur, similitudines « omnino pendere existiment, ceterarum partium incuriosi; sic nobis « concedatur animi præsertim indiciis adhærere, et imaginem cujusque « mentis exprimere; prælia, cæteraque bello vel domi gesta cæteris re- « linquantur. » In his dedit artis suæ quasi legem.

Nec præcepta tantum, sed exemplum quoque Plutarchus exhibuit. Ubique enim in Vitis hujusmodi verba aut facta occurrunt, quæ non tam fortem et peritum ducem, regem magnanimum, aut integrum magistratum describunt, quam ipsum hominem, qualis fuerit. Equidem quum viderim, in Curtio aut Arriano, Alexandrum bella et incendia longe lateque circumferentem, et domito, qua patebat, Cyri imperio, ad aridas usque Scytharum solitudines et Oceanum, terrarum terminum, avaras et insatiabiles porrigentem manus, ambitiosum regem fuisse, mihi perspicuum est; sed plenior, ut existimo, et vividior imago fuisset, si eum, ut Plutarchus, ostendissent, puerum adhuc et in prima ætate, mœrentem, quod omnium victor Philippus nihil ipsi vincendum relinqueret, ac deinde Aristoteli infensum, quod librum edidisset, in quo occultas doctrinas fecisset publici juris, dum ipse sibi uni notas vellet, quasi non mundi solum, sed omnium physicarum rerum angusto in limite æstuans, superarum quoque et mentibus tantum perceptarum imperium appeteret. Nos quidem, quando Cæsar populum largitionibus sibi devincit, aut cum Pompeio et Crasso amicitiam conjungit, ut nefario illo triumviratu rempublicam opprimat, perpetuum dictatorem præsentimus; at quanto apertius ipse se declarat, Euripidis versum dictitando: *Si violandum est jus, regni tantum gratia violandum est.* Ceteri Cæsarem tyrannum inter Romani fori tumultus ostenderunt; Plutarchus tyrannum in deserto Hispaniensis provinciæ oppidulo deprehendit, in quo primum se esse mallet Cæsar, quam Romæ secundum. Nullus autem vel in ipsa paternæ domus, vel in rhetoricarum officinarum umbra, curiosam Plutarchi aciem fugiat; qui jam in pueritia pervicaces et invictas Catonum animas detegit. Nam quæ pericula unquam horrebit, quem ne mors quidem flexit puero a Latiis legatis intentata? Quem unquam tyrannum feret, qui ipsos etiam inter condiscipulos tyranni filium pugnis et unguibus, quum aliter non posset, lacessit et persequitur? Infinitus sim, si omnia hujusmodi exempla hic afferre velim.

Sed quum inter homines adesse semper videatur suum cuique virtuti vitium, sic summum illud morum et privatæ vitæ studium scriptorem ad id adduxit, ut quædam levioris et quasi nullius momenti notaret. Neminem sane fallit, veteres maximam in servandis auspiciis, adeundisque oraculis curam posuisse; neque rem historico omittendam censeo. At minime necesse est, ut fabulosam ideo ineptiarum seriem in

quaque virorum vita ordiatur. Non minus quam septem et viginti prodigia aut oracula in *Alexandro* numeravi. Tanta porro in memorandis puerilibus nugis industria suspicionem hanc lectori afferre possit, Plutarchum nempe ipsum eadem superstitione laborasse. Huic vero philosopho, qui pulchram illam expressit sententiam, *superstitionem scilicet, aquæ instar, in ima tantum loca insinuare*, qui librum ipse *De superstitione* conscripsit, exsurgendum quoque erat, nec in imis locis, cum insulsis illis religionibus, residendum.

Nunquam hac in parte vituperandus Nepos; sed nec eam laudem meritus est, quam Plutarcho tribuimus, viros ipsis factis, quamlibet minimis, describere. Ille tamen idem, ac Plutarchus, sibi proposuisse videtur; nam : *Vereor*, inquit in *Pelopida*, I, *ne, si res explicare incipiam, non vitam ejus enarrare, sed historiam videar scribere.* Sed multum abfuit, ut, in proposito exsequendo, Plutarchum adæquaret :

Proximus huic, longo sed proximus intervallo.

Rarissime enim nobis hominem ipsum ostendit gloriæ bellicæ fastu, aut civilium munerum apparatu nudatum. Vix unum aut alterum hujus quasi arcanæ vitæ exemplum afferre possim; quædam in *Cimone* occurrunt, sed hæc ipsa non minus ad publicos, quam ad privatos mores, pertinentia. At si rectam illam moralis historiæ viam non ingressus est Nepos, id huic causæ fortasse tribuendum, quod librum ad finem perducere tam vehementer cupiverit, ut lex quædam imposita ei fuisse videatur, intra certos scilicet et temporis et voluminis terminos subsistere. Hæc veluti fatalis necessitas in unaquaque fere pagina, et jam a præfatione deprehenditur : *Plura persequi*, inquit, *tum magnitudo voluminis prohibet, tum festinatio, ut ea explicem, quæ exorsus sum.* Sic in *Epaminonda*, IV : *Quoniam uno hoc volumine vitas excellentium virorum concludere constituimus, quorum separatim multis millibus versuum complures scriptores ante nos explicarunt.....* Sic alibi sæpissime; etsi, *quum obscuriora sunt alicujus viri gesta, eorum rationem explicet :* quod patet præsertim ex *Datame*, unde quidam fere tantum in *Datame* veram Nepotis manum agnoscunt. Sed et id rarum admodum est. Ceterum eam dicendi brevitatem in omnibus habuit; namque ille idem Nepos est, qui omnem omnis ævi historiam tribus tantum voluminibus conscripserat, ut testatur Catullus his verbis:

Jam tum, quum ausus es, unus Italorum,
Omne ævum tribus explicare chartis,
Doctis, Jupiter! et laboriosis.

Quæ quum ita forent, diversum a Plutarcheo dicendi genus amplexus est, et ad hanc festinandi cupiditatem magis accommodatum.

Quidam priscos inter historicos orationibus concionibusque viros et gentes depingere voluerunt : qua laude Thucydides et Livius ante omnes ita floruere, ut, si hæc ornamenta demas, maxima simul eorum virtus absit. In Plutarcho Veturiæ ad Coriolanum, multæque aliæ orationes; in

Nepote Hannibalis ad Antiochum, et Attici morientis ad amicos verba, satis demonstrant, eos non contemnendos oratores esse potuisse; sed neuter hoc laudis genus consectatus est: prior quidem, ut existimo, quia in hac publica verborum et sententiarum pompa hominem ipsum deprehendi raro admodum arbitrabatur; posterior forte, quia hic apparatus cum ea, cujus adeo studiosus erat, brevitate minime congruebat.

Viros igitur pingere voluit Nepos selectis quibusdam, sed vividis insignibusque, habitus et morum lineamentis. Et certe in virorum imaginibus hoc modo exprimendis, non extremum inter Latinos obtinuit locum, aliquando par Sallustio. Quem, exempli gratia, virum eloquentius depinxit *Primus* ille *Romana in historia Crispus*, quam Nepos *Epaminondam* his verbis, III : *Erat enim modestus, prudens, gravis, temporibus sapienter utens, peritus belli, fortis manu, animo maximo; adeo veritatis diligens, ut ne joco quidem mentiretur. Idem continens, clemens, patiensque admirandum in modum; non solum populi, sed etiam amicorum ferens injurias; in primisque commissa celans, quod interdum non minus prodest, quam diserte dicere; studiosus audiendi : ex hoc enim facillime disci arbitrabatur.* Plenam illam et perfectam brevitatem, quæ tot tam paucis includit, in primo quoque Alcibiadis capite reperire est; et cuilibet Aristidis, Thrasybuli, Cimonis vitas evolventi, plurima hujusmodi occurrent, quibus egregie Sallustiani styli acies emicat. Una sæpe sententia satis est, quæ absolutissimam clari viri imaginem in animis excitet. Sic illud de *Datame*, VII : *Quo nuntio Artaxerxes commotus, quod intelligebat, sibi cum viro forti ac strenuo negotium esse, qui, quum cogitasset, facere auderet, et prius cogitare, quam conari consuesset.* Quæ hic desiderari possunt, ut ille prudenter audax Datames intelligatur?

Sed in hoc dicendi genere hoc præcipue cavendum, ne scriptor suum potius ingenium proferre velit, quam intimam ipsius viri indolem. Magnum enim discrimen interest inter eum, qui egregios viros propriis eorum factis depingit, et eum, qui suis ipsius dictis. Dum prior, egregia quæque facinora, et quæ ad mores maxime pertinent, deligendo, virum ipsum ante oculos ponit, et una eademque luce cuncta illuminat; posterior, vividiores sententias proferendo, et e verbis ignes quasi excudendo, scintillas quidem elicit, at quæ nonnunquam perstringunt potius, quam illustrant. Ergo indolis, morum, atque omnino veritatis describendæ ratione, quæ præcipua est, Plutarchum Nepote multo majorem arbitror; atque ut ingeniosissime, sic et optimo jure de eo locutum Gallicum scriptorem censeo, cujus verba hic transferam (Ess. sur les Éloges, ch. IX) :

« *Appareant mihi magni omnium ætatum viri : eos videre, cum eis colloqui* « *volo*, inquiebat ad famosam in Oriente quamdam vatem, quæ mortuos « ex inferis excitare posse putabatur, quidam excelsi animi generosæque « mentis adolescens, qui mox regnaturus erat. Tum sapiens vir nescio « quis, non procul hinc ignotam vitam agitare solitus : *Quod petis*, ait, « *ego faciam. En librum hunc lege, et quæ vivunt hic mentes, attentius consi-*

« *dera; dum leges, circumsurgere ingentes umbras miraberis, quæ tibi usque* « *adhærebunt*. Et dedit adolescenti *Vitas* philosophi Chæronei. »

Ergo, ut omnia, quæ de utroque commentatus sum, paucis complectar, Nepos in dicendo præstantior est, Plutarchus in cogitando frequentior; unus, elocutionis studiosior, brevitate et elegantia, alter, sententiarum, copia et varietate magis placet. Nullum in priore verbum deprehendas, quod vituperare possis; sed nec grandia illa, quæ lectorem vel invitum rapiunt. In posteriore quæcumque vitia occurrant, ea, præpotentibus rerum affectibus raptus, præteribis. Ille facta potius docet, hic mores. Eruditus, qui omnem linguæ Latinæ elegantiam tenere voluerit, Nepotem; philosophus, ut sciat qui homines fuerint, qui nunc sint, Plutarchum legat. Sed multi alii suppetunt Romani sermonis magistri; alterum vero Plutarchum quam apud gentem, qua in ætate reperies?

INDEX
HISTORICUS ET GEOGRAPHICUS
IN
CORNELIUM NEPOTEM.

A.

Ace, urbs Phœniciæ, dicta etiam Ptolemais, in sacris litteris Accho, apud Josephum Ἄκη, nunc *St. Jean d'Acre*, xiv, 5.
Actæi, antiquum Atheniensium nomen, viii, 2.
Adimantus, collega Alcibiadi datus, vii, 7.
Admetus, rex Molossorum, ii, 8.
Adrumetum, colonia Phœnicum in Byzacio, xxiii, 6. Al. Hadrumetum.
Ægæ, Macedoniæ oppidum, xxi, 2.
Ægates insulæ, sitæ in mari mediter. juxta Siciliam, xxii, 1.
Ægos flumen, urbs Hellesponti, vi, 1; vii, 8; ix, 1.
Ægyptus, nota Africæ provincia, xii, 2; xiv, 4 et 5; xvii, 8; xviii, 3; Ægyptius rex, xi, 2; Ægyptia classis, xii, 2; Ægyptium bellum, xiv, 3; Ægyptii satellites, iv, 3; Ægyptii cum Persis bellum gerentes, xii, 2 et 3; Ægyptiorum munera Agesilao missa, xvii, 8.
Æmilius (L. Paulus) occisus, xxiii, 4; consul, xxiii, 13; Æmiliorum familia, xxv, 18.
Æolia, Asiæ regio ad mare Ægeum, inter Troadem et Ioniam. Eam restituere Atheniensibus aggreditur Conon, ix, 5.
Æolis, ejusdem regionis nomen. Principes ejus secum deducit Darius, i, 3.
Africa, pars orbis tertia, vi, 3; xx, 2; xxi, 3; xxii, 2; xxiii, 3, 7 et 8; xxiv, 1.
Afros corrumpere studet Lysander, vi, 3; Africanorum fortissimi Hamilcar et Hannibal, xxi, 3; Africanæ possessiones, xxv, 12.
Africanus, vide Scipio.
Agamemnonis belli gloria, xv, 5.
Agesilaus, Lacedæm. rex factus, in Asiam bellatum proficiscitur, xvii, 2; inducias dat Tissapherni, et servat quamvis perfido, ib.; Phrygiam populatur, xvii, 3; Ephesi militem exercet, ib.; domum revocatur, xvii, 4; Athen. et Bœotios apud Coroneam vincit, ib.; victoriam clementer exercet, ib.; Corinthii belli victor,

urbe abstinet, XVII, 5; consilium ejus subitum, XVII, 6; munificentia et modestia in cultu, XVII, 7; corporis bonis infelix, XVII, 8; contemptus ab Ægyptiis, ib.; moritur, ib.; summus dux, XXI, 1; nomine potius quam potestate rex, XXI, 1; ei comparatus Chabrias, XII, 2.

Agis, rex Lacedæmoniorum, filium relinquit Leotychidem, XVII, 1.

Agnonides, rhetor Atheniensis, XIX, 3.

Agrippa, M. Vipsanius, filiam Attici ducit uxorem, XXV, 12.

Alcibiades. Eo in virtutibus et vitiis nihil excellentius, VII, 1; quomodo educatus, VII, 2; dux bello Peloponnes. delectus, VII, 3; ab inimicis accusatus, et a magistratu Athen. revocatus ad dicendam causam, VII, 4; Lacedæmonem demigrat, ib.; hinc ad Tissaphernem, VII, 5; restituitur inde ab Athen. quorum res præclare gerit, ib.; magno applausu excipitur, abolita devotione, VII, 6; rursus in invidiam recidit, VII, 7; Philoclem ad occasionem rei conficiendæ frustra excitat, VII, 8; ad Pharnabazum se confert, VII, 9; cujus opera perit, VII, 10; ejus elogium, VII, 11.

Alcmæon (Amphiarai vatis Græci, et Eriphyles filius) matricida, XV, 16.

Alexander M. Babylone moritur, XVIII, 2; morbo consumitur, XXI, 2; Alexander ejus filius e Roxane, XVIII, 6.

Alexander, Pheræus tyrannus, Pelopidam in vincula conjicit, XVI, 5; eum Epaminondas bello persequitur, ib.; equum in eum concitat Pelopidas, ibid.

Alexandrea, urbs celebris Ægypti, XXI, 3.

Alpes Italiam ab Gallia sejungunt, XX, 3; transiit eas Hercules Graius, et post eum Hannibal, ib.; Alpici, pro Alpinis incolis, ibid.

Ammon, cognomentum Jovis, VI, 3.

Amphipolis, oppidum Thraciæ, sic dictum, quod utrinque flumine Strymone allueretur, V, 2.

Amyntas Macedo, XI, 3; ejus filius Philippus rex, XVIII, 1; XXI, 2.

Andocides, unus e decem Græciæ oratoribus: de quo vid. Plutarch. in vitis Rhetor. et Photium in bibliothec. VII, 3.

Anicia, Attici consobrina, uxor Serv. Sulpicii, XXV, 2.

Antigenes, præfectus argyraspidum phalangis apud Alexandrum, XVIII, 7.

Antigonus persequitur Eumenem, XVIII, 5; obsidet, ib.; imperium capit, XXI, 3; in prælio cadit, ibid.

Antiochus Magnus, rex Syriæ, potentissimus, XXIII, 2; non paret consiliis Hannibalis, XXIII, 8; ei legati Romani Hannibalem in suspicionem adducunt, XXIII, 2; apud Thermopylas fugatur, XXIII, 8 sqq.

Antipater inter præcipuos amicos Alex. M., XVIII, 2; ei summa rerum decernitur, XVIII, 5.

Antonius M. hostis judicatus cedit Italia, XXV, 9; redit in eam, XXV, 10; triumvir reipublicæ constituendæ, XXV, 12; absens litteris colit Atticum, XXV, 10.

Apenninum transit Hercules, XXIII, 4; mons est Italiam dividens, ab Alpibus ortus.

Apollinis consilium, Atheniensibus per oraculum Delphicum datum,

II, 2; Apollini donum dat Pausanias, IV, I; Apollinem consulunt delecti colonorum Athen. oraculum Apoll. Delphic., I, I.
Appollocrates Syracusas obtinet, X, 5.
Appia via, XXV, 22.
Apulia, Italiæ regio, XXIII, 4.
Arabicus sinus, fragm. VII.
Arcades, populus Græciæ in Peloponneso, XV, 6; Arcadum conventus, ib.; ex Arcadia hospes, VII, 10.
Archias, polemarchus Thebanus, XVI, 3.
Archias, hierophanta, XVI, 3.
Archilochus poeta, fragm. I.
Ardeatinum prædium Attici, XXV, 14: al. Arretinum.
Arete, X, I, 4 et 8.
Argi, oppidum in Peloponneso, II, 8; Argivi Alcmæon et Orestes, XV, 6; in Argivos invehitur Epaminondas, ib.
Argilius, ex Argilo, Thessaliæ urbe, IV, 4.
Ariobarzanes, præfectus Lydiæ et Ioniæ, XIV, 2, 5 et 13.
Aristides cognomine Justus appellatus, III, I; obtrectatione Themistoclis exul factus, ib.; belli Persici necessitate restitutus, ib.; prætor in prælio apud Platæas, III, 2; justus, æquus, innocens, ib.; abstinens, III, 3; pauper moritur, ibid.
Aristomache, soror Dionis, uxor Dionysii majoris, X, I et 8.
Armenii, ex Armenia, Asiæ regione, orti, XIV, 8.
Arsidæus, filius Datamis, XIV, 6: al. Aridæus.
Artabanus Xerxem interficit, XXI, I.
Artabazus, Pharnaci f., a Xerxe ad Pausaniam mittitur, IV, 2.
Artaphernes classi præficitur a Dario, I, 4.
Artaxerxes Macrochir, rex Pers., XXI, I; pulcherrimæ corporis formæ laudem habet, ib.; fortissimus Persarum, ib.; morbo moritur, ib.; veniam dat Themistocli ad se veniendi, II, 9 et 10; magnis eumdem muneribus donat, II, 10.
Artaxerxes Mnemon, rex Pers., XXI, 2; justitiæ fama floruit, ibid.; Ægyptiis bellum illaturus, Iphicratem exercitui præficit, XI, 2; obit, XXI, 2; apud eum numero militis fuit Datames, XIV, I.
Artemisium, promontorium Eubœæ, II, 3.
Asia, una e tribus orbis antiqui partibus, I, 3; succumbit Europæ, II, 5; qui Asiam incolebant Græca lingua loquentes, I, 3; Asiam Tauro tenus regi erepturus erat Agesilaus, IX, 2.
Aspendii, XIV, 8, Pamphyliæ populi ab Aspendo oppido ad Eurymedontem sito dicti.
Aspis, Cataoniæ dynastes, XIV, 4.
Athamanes, gens Epirotica, Acarnaniæ et Ætoliæ vicina: al. Acarnanes, XIII, 2.
Athenæ, civitas clarissima, VIII, 2; splendidissima, VII, II; antiquitate, humanitate, doctrina, præstat omnes, XXV, 3; propugnaculum est barbaris oppositum, II, 7; ceteris gentibus imperare consueverat, IX, 3; victæ Lacedæmoniis serviunt, VII, 9; VIII, I; liberantur per Cononem, IX, 4; Athenas incendio delet Xerxes, II, 4; Athenarum arx ex manubiis ornata, V, 2; Athenis duæ factiones, IX, 3. V. de hac urbe Meursium.

Athenienses colonos Chersonesum mittunt, I, I; profligant Persas, I, 5; insulas, quæ barbaros adjuverant, bello persequuntur, I, 7; classem ædificant, II, 2; petuntur a Xerxe bello, ib.; Apollinis consilio oppidum relinquunt, ib.; confligunt cum classiariis Xerxis, III, I; triplicem Piræei portum constituunt, III, 6; victoria Marathonia et Salaminia magnam gloriam consequuntur, ib.; Amphipolim coloniam mittunt, V, 2; bellum indicunt Syracusanis, VII, 3; oppugnant Chium, V, 4; Samum, et capiunt, XIII, I; undique bello premuntur, XIII, 3; Atheniensium clari viri quem exitum habuerint, XX, 4; eorum opes senescunt, VII, 5; indicunt Lacedæmoniis bellum, IX, 2; XVII, 4; cum Bœotiis aliisque sociis vincuntur apud Coroneam, XVII, 4; Atheniensium classis contra Xerxem, II, 3; Athenienses summam imperii maritimi obtinent, III, 2.

Attica, regio Græciæ, ubi Athenæ sitæ, I, 4; VII, 4, etc.

Atticus (T. Pomponius) equestri loco, bene educatus eruditusque, XXV, I; Cinnano tumultu Athenas studiorum causa migrat, XXV, 2; liberalitate Athenienses devincit, ibid.; a quibus ample honoratur, XXV, 3; Sullæ gratus, XXV, 4; amicos Romæ non destituit, ib.; redit Romam, ib.; Cæcilii avunculi obsequio conciliati heres fit, XXV, 5; Ciceroni et Hortensio æmulis perfamiliaris, ib.; bellis civilibus, honoribus, litibus, præfecturis abstinuit, XXV, 6; Cæsari gratus, nec Pompeio invisus, XXV, 7; ærarii privati factionem disjecit, XXV, 8; Brutum abjectum levat, nec Antonium potentem adulatur, ib.; rursum ejusdem Italia pulsi uxorem et liberos, ac familiares tuetur, XXV, 9; a quo reduce et potente conservatur, XXV, 10; prudentia ejus in civilibus turbis, ib.; fides et liberalitas erga amicos, XXV, 11; quorum pericula et incommoda levavit, XXV, 12; industria ejus in re familiari, XXV, 13; in conviviis et voluptatis instrumento cautio, XXV, 14; virtutes ὁμιλητικαί, XXV, 15, 16, 17; scripta et libri, XXV, 18; cum Augusto affinitas et familiaritas, XXV, 19 sqq.; morbus et consilium finiendæ vitæ, XXV, 21; obitus et exsequiæ, XXV, 22; Atticus scripsit historias, XXIII, 13.

Aurelius C. Consul, XXIII, 7.

Autophradates, Lydiæ satrapes, persequitur eos, qui ab Artaxerxe defecerant, XIV, 2 et 8.

B.

Babylon, urbs Chaldææ. Babylone moritur Alexander M. XVIII, 2; XXI, 2.

Bæbius Cn. Tamphilus cons. XXIII, 13; M. Tamphilus cons. ib.

Bagoas ad Alcibiadem interficiendum mittitur, VII, 10; alii Bagæus.

Balbus L. Cornelius, XXV, 21.

Barcas cognomine Hamilcar, XXII, I.

Bisanthen (castellum Thraciæ) munit Alcibiades, VII, 7.

Bithyni, incolæ Bithyniæ, XXIII, 11; Bithynia, provincia Asiæ min. ibid.

Bœotii (s. Bœoti), XV, 8; bellum indicunt Lacedæmoniis, IX, 2; XVII, 4; magis firmitati corpo-

ris, quam ingenii acumini inserviunt, VII, 11; plus ei genti virium inest, quam ingenii, XV, 5.
Borni, castellum in Chersoneso Thraciæ ad Propontidem, VII, 7.
Brutus M. (interfector Cæsaris) adolescens familiariter utitur Attico, XXV, 8; proficiscitur in exilium, ibid.; ejus interitus, XXV, 11; penes Brutos est respublica Rom. XXV, 8.
Byrsa, interior pars Carthaginis, fragm. III.
Byzantium, urbs Thraciæ, hodie Constantinopolis, IV, 2; VII, 5.
Byzantii bello subacti, XIII, 1.

C.

Cadmea s. Cadmia, arx Thebarum, dicta a Cadmo, conditore Thebarum, occupatur a Phœbida Laced. XVI, 1; recuperatur a Pelopida, XVI, 3; XV, 10.
Cadusii, inter mare Caspium et Pontum sita gens, XIV, 1.
Cæcilius Q. eques Rom. difficillima natura, XXV, 5; testamento adoptat Atticum, ib.; ejus domus, XXV, 13; monumentum, XXV, 22.
Cæsar, Julius, occisus, XXV, 8; ejus interfectores, ib.
Cæsaris (Octavii) potentia, XXV, 12; prosperitas, XXV, 19.
Cæsarianum civile bellum, inter Cæsarem et Pompeium, XXV, 7.
Calidus, L. Julius, poeta, XXV, 2.
Callias, Atheniensis, divitiis clarus, V, 1.
Callicrates, civis Atheniensis, Dionem interfici curat, X, 8.
Calliphron, saltator, XV, 2.
Callistratus, Atheniensium legatus, XV, 6.
Camillus felicior Manlio, fragm. V.
Camissares, pater Datamis, XIV, 1.
Canus Gellius, XXV, 10.
Cannensis pugna, apud Cannas pugnata, XXIII, 5.
Capitolium, arx Romæ, XXV, 20.
Cappadoces, XIV, 8; Cappadocia, Asiæ regio, Datami data, XIV, 1; ab eodem vindicata, XIV, 5 et 7; Eumeni data, XVIII, 2; ei confinis Cilicia, XIV, 4.
Captiani, gens Asiatica, XIV, 8; Schott. Caspiani.
Capua, urbs Campaniæ, XXIII, 5.
Cardaces, genus militum apud Persas, XIV, 8.
Cardianus, ex urbe Cardia in Chersoneso Thraciæ ortus, XVIII, 1.
Cares, Lemni incolæ, e Caria, Asiæ regione, oriundi, I, 2; XIV, 1; Caria, XVII, 3.
Carthago, XXI, 2; fuit maxima totius orbis terrarum et potentissima urbs secundum Suidam. Et habuisse initio tertii belli Punici intra se quidem civium septingenta millia, in Libya vero trecentas urbes sub ditione sua dicitur. V. Bochart. Geogr. sacr. Part. I, lib. 4, c. 20. Carthago speciem duplicis oppidi habuit, fragm. III.
Carthaginienses apud Crimessum fluvium Timoleon fugat, XX, 2; C. Lutatius superat, XXII, 1; Carthaginienses pacem faciunt cum Romanis, ibid.; auxilia petunt a Romanis, XXII, 2; legatos cum donis Romam mittunt, XXIII, 7; Hannibalem domum vocant, ib.; Carthaginienses duo, Hamilcar et Hannibal, omnium barbarorum fortissimi, XIV, 1.
Cassander, unus e successoribus Alexandri M., nomen regium sumit, XVIII, 13; Macedonia pellitur, XIX, 3; cum eo consentiunt

optimates Atheniensium, ibid.
Cassius C. interfector Cæsaris floret, xxv, 8; exulat, ib.; interit, xxv, 11.
Cataonia, regio Asiæ, Cappadociæ vicina, xiv, 4.
Cato XVII annorum stipendium primum meruit, xxiv, 1; quæstor, ædilis pleb. ib.; prætor. ib.; consul triumphavit, xxiv, 2; censor luxuriam coercuit, ibid. inimicitias suscepit reipubl. causa, ibid.; ejus elogium, xxiv, 3; studia, ib.; scripta, ib.; dictum elegans, fragm. III.
Catullus, poeta elegantissimus, xxv, 12.
Catulus, Q. Lutatius, pacem facit cum Carthagin. xxii, 1.
Centenius C. prætor cadit, xxiii, 4.
Ceraunus, cognom. Ptolemæi, xxi, 3; quod ideo nactus est, quod in bello quasi fulminaret.
Cethegus P. Cornelius cos. xxii, 13.
Chabrias Athen. clarus invento quodam in prælio, xii, 1; item bellis in Europa et Ægypto, Cypro, xii, 2; Ægyptios sponte juvat, et ideo domum revocatur, xii, 3; plurimum aberat patria, ib.; telis hostium perit, xii, 4.
Chalciœcos, iv, 5; ædes Minervæ Lacedæmone, ita dicta, quod æreum esset templum, ut Livius ait, sive quod ædificatum a Chalcidensibus. Nisi malis ipsius Deæ nomen esse. Sane ἱερὸν τῆς Ἀθῆνας τῆς χαλκιοίκου vocant Thucydides et alii.
Chalcis, urbs Eubœæ, xiii, 3.
Chaones, gens Epirotica, xiii, 2.
Chares Athenis honoratus et potens, xii, 3; plurimum in Sigæo vixit, ibid.; adversus Charetem subornat Phocionem Demosthenes, xix, 2; non satis in eo præsidii creditur, xiii, 3.
Charonis Theb. domus, xvi, 2.
Chersonesus, sc. Thraciæ, peninsula, κατ' ἐξοχὴν sic dicta, Straboni magna, 1, 1 et 2 sqq.
Chius, insula mediterranei maris, quæ hodie *Scio* dicitur, xii, 4.
Cicero (M. Tull.) æqualis Attici et amicus, xxv, 1 et 9; ejus epistolarum ad Atticum elogium, xxv, 16; Hortensii in eloq. æmulus, xxv, 5; invisus Antonio et infensus, xxv, 9 et 10; futura prædixit ut vates, xxv, 16; quando primam causam judicii publici egerit, fragm. iv; defensionem pro Cornelio iisdem pæne verbis, quibus edita est, peroravit, ibidem.
Cicero (Q. Tullius), Marci frater, xxv, 15 et 16; prætor Asiam obtinuit, xxv, 6; Attici sororem in matrimonio habuit, xxv, 5 et 7; ejus filius Quintus, xxv, 7.
Cilices, e Cilicia, regione Asiæ minoris, oriundi, xviii, 8; Cilicia, viii, 4; xiv, 1 et 4; Ciliciæ portæ, xiv, 7.
Cimon Atheniens. ob parentis multam in vincula compactus, v, 1; a sorore liberatur, ibid.; ad principatum pervenit, v, 2; Cimonis res gestæ, ibid.; ostracismo ejicitur, v, 3; revocatur, ibid.; ejus liberalitas, v, 4; mors, v, 3.
Cinnanus tumultus, a L. Corn. Cinna cons. excitatus, xxv, 2; Cinnanæ partes, ibid.
Citium, oppidum Cypri, patria Zenonis Stoici, v, 3.
Clastidium, oppidum Galliæ Cispadanæ, hodie *Chiasteggio*, xxiii, 4.
Claudius M. cons., xxiii, 7.

Cleon Halicarnasseus, VI, 3,
Cleophantus Corinthius, fragm. X.
Cnidus insula, IX, 4.
Conon egregius terra marique bellator, IX, 1; ad Pharnabazum se confert, IX, 2; usui est adversus Lacedæmonios, ibid.; accusat Tissaphernem apud Artaxerxem, IX, 3; donatur muneribus et bello præficitur, IX, 4; Lacedæmonios ap. Cnidum fundit, ibid.; dum patriæ studet, a Tiribazo in vincula conjicitur, IX, 5; plurimum Cypri vixit, XII, 3; ejus memoriam renovat statua filii juxta paternam posita, XIII, 2.
Corcyra, XIII, 2; II, 8; Corcyræum bellum, II, 2.
Corinthus, X, 4 et 5; XI, 2; XX, 3; a tyranno liberatur, XX, 1; eam oppugnare non vult Agesilaus, XVII, 5; circa eam confertur omne bellum, unde appellatum, ib.; Corinthii sæpe adjuti Dionysiorum opibus, XX, 2.
Cornelius L. Cos., XXIII, 8.
Coronea, urbs Bœotiæ, XVII, 4.
Cotta L. Cos., XXV, 4.
Cotys, rex Thraciæ, XIII, 1; ejus filia, XI, 3.
Craterus, unus e ducibus Alexandri M., XVIII, 2; cadit, XVIII, 4.
Cretensium avaritia delusa, XXIII, 9.
Crimessus, Siciliæ flumen, al. Crimissus. Græcis Κριμισὸς, aut Κριμισσὸς et Κριμησὸς, XX, 2.
Crithote, urbs Hellesponti, XIII, 1.
Critias Atheniensium tyrannus mittit ad Lysandrum, VII, 10; dux tyrannorum Atheniensium cadit in prælio, VIII, 2.
Cyclades, insulæ maris Ægæi, circulari figura sitæ, vulgo insulæ *Archipelagi*, I, 2.
Cyme, urbs maritima Æolidis in ora sinus Smyrnæi, hodie *Focia nova*, VII, 7.
Cyprus, insula Asiæ in mari Syriaco, IV, 2; XII, 2; XII, 3; Cyprii, V, 2; IX, 4.
Cyrenæ, urbs Libyæ, præcipua provinciæ Cyrenaicæ, ubi hodie regnum Barcæ, versus Syrtim magnam, vulgo *Cairoan*, XVII, 8; Cyrenæi, XXIII, 8.
Cyrus (major) rex Persarum, in prælio cadit, XXI, 1; Cyrus (minor) frater Artaxerxis Mnem. bellum fratri parat, VII, 9; superatus a fratre, IX, 3.
Cyzicum obsidione liberat Timotheus, XIII, 1; Cyzicenus, XV, 4.

D.

Damon, musicus, XV, 2.
Darius Hystaspis F. Persarum rex, XXI, 1; adversus Scythas infeliciter bellat, I, 3; Græciæ dominatum agitat, I, 4; pugna Marathonia vincitur, I, 5.
Datames bello Artaxerxis in Cadusios illustratus, patri successit, XIV, 1; adversus defectores quoque magni fuit ejus opera, XIV, 2; Thyum vincit capitque, ib.; quem insolito ornatu regi adducit, XIV, 3; Aspim imprudentem opprimit, XIV, 4; hinc benevolentia regis, aulicorum invidia, XIV, 5; quorum insidias Pandates Datami aperit, ibid.; igitur deficit a rege, ibid.; adversus Pisidas proficiscitur, XIV, 6; defectionem soceri egregie dissimulat, ibid.; hostem vincit, ibid.; a filio proditur regi, XIV, 7; cujus exercitum ingentem adversus se missum concidit, XIV, 8; ad pacem invitatur, ib.; mox

insidiis appetitur, quarum primas discutit, XIV, 9; denique Mithridates imagine amicitiæ virum illicit, XIV, 10; et in colloquio per fraudem interficit, XIV, 11.
Datis classi Pers. præficitur, I, 4.
Decelia, oppidum Atticæ, VII, 7.
Delphi, urbs Bœotiæ, I, 1; II, 2; VI, 3.
Delphicus Deus, Apollo, IV, 5.
Delus, una Cycladum insularum in mari Ægæo, III, 3.
Demades, orator Atheniensis, Athenas tradi cupit Antipatro, XIX, 2.
Demænetus, Atheniensis, petulans homo, XX, 5.
Demetrius, rex Asiæ, Antigoni filius, in custodia generi perit, XXI, 3.
Demetrius Phalereus, Atheniensis, in factione optimatum erat, XIX, 3; ei CCC statuæ decretæ, I, 6.
Demosthenes, celeberrimus Athenis orator, imo Græcorum oratorum princeps, in exilium pulsus, XIX, 2; proditus a Phocione, ibid.
Dercyllus, Antipatri præfectus Atticæ, XIX, 2.
Dianæ templum apud Gortynios, XXIII, 9.
Dinon, historicus, IX, 5.
Diomedon Cyzicenus Epaminondam frustra tentat corrumpere pecunia, XV, 4.
Dion Syracusanus describitur a bonis fortunæ, animi, corporis, X, 1; Dionysio intimus, ibid.; legationibus adhibitus, ibid.; Platoni Syracusas accito deditus, X, 2; simultatem tacitam cum Dionysio exercet, X, 3; mox suspectus Corinthum dimittitur, X, 4; uxore et filio spoliatur, ibid.; bellum parat tyranno, X, 5; Syracusis potitur et ad pactiones tyrannum redigit, ibid.; adversis conflictatur, X, 6; multa impotenter agit, X, 7; a Callicrate quodam simulata amicitia decipitur, X, 8; et interficitur, X, 9; post mortem converso affectu desideratur, X, 10; ejus cædis mentio etiam, XX, 2.
Dionysius prior diligit Dionem, X, 1 et 2; ejus causa Platonem arcessit, ibid.; somno sopitus obit, ibid.; idem fortis, continens, ambitiosus, felix, XXI, 2.
Dionysius filius Platonem et Philistum arcessit, X, 3; Dionem ingenii præstantia suspectum Corinthum dimittit, X, 4; a quo bello petitus ad pactiones redigitur, X, 5; Dione interfecto, rursus Syrac. potitus est, XX, 2.
Dionysiorum tyrannis, X, 1.
Dionysius Thebanus, musicus, XV, 2.
Dodona, urbs Chaoniæ in Epiro, Jovi sacra: pro oraculo Dodonæo, sive potius sacerdotibus oraculi, VI, 3.
Dolopes Scyrum obtinent, V, 2, populi Thessaliæ.
Drusilla natus Tiberius Claudius Nero, conjuge scilicet Tib. Claudii Neronis, quæ post Augusto nupsit, Livia Drusilla, XXV, 19.

E.

Elis, VII, 4; urbs Eleæ, regionis Peloponnesi, primaria, Homeri ætate vici formam adhuc habens, paulatim vero vicinorum huc commigrantium multitudine et opibus aucta.
Elpinice Cimonis soror, V, 1.
Emphyletus, XIX, 4.

Ennius Q. poeta a Catone Romam deductus ex Sardinia, magnique æstimatus, xxiv, 1.

Epaminondas Thebanus, honeste natus, xv, 2; diligenter educatus, ibid.; bonis animi ac virtutibus egregius, xv, 3; abstinentiæ exemplum edit, xv, 4; dicta ejus acuta, xv, 5 et 6; patiens fuit injuriarum, xv, 7; retinet imperium diutius, quam per leges licebat, ibid.; accusatus ut se defenderet, xv, 8; fortis in morte, xv, 9; uxorem nunquam duxit, xv, 10; bello civili abstinuit, ibid.; Thebas solus illustravit, ibid.; Epaminondæ impetus, xi, 2.

Ephesus, xi, 8; xvii, 3; olim a Caribus et Lelegibus habitata, post colonia Atheniensium et Ionum, principe Androclo, Codri postremi regis Attici filio, aucta, inter urbes Ioniæ post Miletum multis seculis maxima, ditissima, Asiæ totius intra Taurum montem emporium nobilissimum.

Epirus, regio Græciæ trans sinum Ambracium versus occidentem in ora maris Ionii, xxv, 8.

Epirotes Pyrrhus, xxi, 2; Epirotæ, xiii, 2.

Epiroticæ possessiones, quas habet aliquis in Epiro, xxv, 14.

Eretria, Euboicarum civitatum maxima, capitur, i, 4; fuit et alia ejusdem nominis urbs in Thessalia.

Eryx, xxii, 1; mons post unum Ætnam reliquos Siciliæ magnitudine superans, in cujus vertice templum Veneri positum erat, quæ propterea poetis Erycina dicitur. Ceterum sic quoque appellata urbs fuit inter fastigium et radices montis illius sita, quæ nunc vicus *vallis Mazaræ*, vel *Trapano del monte* vocatur.

Etruria, sive Hetruria, quæ aliis veterum Tuscia, nunc *la Toscana* dicitur, xxiii, 4; pars Italiæ notissima, inter mare Tyrrhenum ad occasum et meridiem, montem Apenninum ad septemtrionem, et Tiberim fluvium ad ortum.

Evagoras, xii, 2.

Eubœa, i, 4; ii, 3; insula Græciæ, oræ Atticæ post promontorium Sunium, itemque Bœotiæ et Locrensi et Maliensi objecta, et pelago non lato ab iis dirempta.

Eudoxus, fragm. vii.

Eumenes Cardianus scriba primum Philippi, xviii, 1; inde Alexandri, ibid; post cujus mortem Cappadociæ præfectus destinatur, xviii, 2; Leonnati insidias vitat, ib.; Perdiccæ fidus, xviii, 3; pugnat cum Cratero et vincit, xviii, 4; damnatur capitis, xviii, 5; obsessus callidum usurpat inventum, ibid.; evadit, ib.; Olympiadi prudenter consulit, xviii, 6; et subvenit, ibid.; adversus Antigonum bellum suscipit, xviii, 7; imperii auctoritatem apud suos commento assecutus, ibid.; vincit Antigonum, xviii, 8; veteranorum licentia impeditur, ibid.; Antigonum adventantem deludit arte, xviii, 9; cui perfidia militum deditur, xviii, 10; et conservasset ille, ibid.; nisi invidia consilii totius obstitisset, ibid.; igitur in duram custodiam conjectus, xviii, 11; insciente denique Antigono interficitur, xviii, 12; et ab eo

honorifice funeratur, xviii, 13.
Eumenes rex Pergamenus, Romanis amicus, vincitur dolo Hannibalis, xxiii, 11.
Eumolpidæ, vii, 4 et 6; familia sacerdotum Athenis, ab Eumolpo dicta, quos et concilio publico aliquando præfuisse auctor est Alexander ab Alex., iv, 11.
Europa, i, 3; xii, 2.
Europæi adversarii, ab Europa hostes, xviii, 3.
Eurybiades, rex Lacedæmoniorum, ii, 4.
Eurydice, mater Perdiccæ et Philippi, xi, 3.
Eurysthenes, rex Spart., xvii, 1 et 7.

F.

Fabius Q. Maximus dictator Rom. in agro Falerno Hannibali se objicit, xxiii, 5; callidissimus imperator, ibid.; Q. Fab. Max. cos., xxiv, 1; Fabiorum familia, xxv, 18.
Fabiani milites, συνεκδοχικῶς de præstantibus militibus, xi, 2.
Falernus ager, xxiii, 5; in mediterraneis Campaniæ.
Feretrius, xxv, 20; cognomen Jovis.
Flaccus, L. Valerius, xxiv, 1 et 2.
Flamininus, L. Quintius, consularis, xxiii, 12.
Flaminius cos. occiditur, xxiii, 4.
Flaminius circus, fragm., xi.
Flavius C. xxv, 8.
Fregellæ, xxiii, 7; Latii oppidum clarum, a L. Opimio excisum a. 630 ab U. C., ut Livius refert.
Fulvia, uxor Antonii, xxv, 9.
Furius L. cos. xxii, 7.

G.

Galba Serv. qui prætor Lusitanos diripuit, xxiiv, 3.
Gallia; ab ea Italiam sejungunt Alpes, xxiii, 3.
Gellius Q. Canus, xxv, 10.
Geminus Servilius, xxiii, 4.
Germania; in ea potoria vasa ex onyche facta, fragm. viii; in Germaniæ littora Indi quidam exiere, fragm. vii.
Golonæ, locus in agro Troadis, iv, 3; rectius Colonæ.
Gongylus Eretriensis, iv, 2.
Gortynii, xxiii, 9; Gortyn sive Gortyna, urbs Cretæ, etiam Strabonis ætate clara, Cnosso finitima, nunc exiguus pagus.
Gracchus T. Sempronius insidiis periit, xxiii, 5.
Graccho C. filia Bruti nuptum data, fragm. ix.
Græcia, pro regione, ii, 9; pro incolis Græciæ, i, 6; Graius saltus, xxiii, 3.
Grunium in Phrygia castrum, vii, 9.

H.

Haliartus, vi, 3; urbs Bœotiæ ampla et locuples, arcto loco inter imminentem montem et lacum Copaidem, nec procul a lacu alio minore et Permesso oppido. Bello Macedonico funditus deleta est a Romanis.
Halicarnassius vel Halicarnasseus, ortus Halicarnasso, urbe Cariæ, ii, 1; vi, 3.
Hamilcar, Carthagin. primum imperator fortunam Carthag. in melius convertit, xxii, 1; ejus in pace facienda consilium, et pertinacia, ibid.; res trepidas rursum restituit, fines imperii propagat, otium reddit tota Africa, xxii, 2; Hasdrubali filiam collocat, xxii, 3; in Hispania res magnas gerit, xxii, 4;

in prælio cadit, ibid.; odium ejus in Romanos, ibid.; Hamilcar et Hannibal fortissimi et callidissimi Afrorum, xxi, 3; imo omnium barbarorum, xiv, 1.

Hannibal Carthaginiensis, major ceteris imperatoribus, xxiii, 1; adversus hostem invictus, suorum invidia debilitatur, ibid.; hereditario in Romanos odio Philippum, mox Antiochum concitavit, xxiii, 2; apud quem in suspicionem adductus purgat se, ibid.; novem annos natus in militiam ductus, ibid.; juravit inimicitias cum Romanis, ibid.; imperator fit minor quinque et viginti annis natus, xxiii, 3; Hispaniam triennio subigit, Saguntum expugnat, ibid.; Pyrenæum saltum transit, ibid.; apud Rhodanum, Padum, Trebiam, Romanos vincit, xxiii, 4; apud Trasimenum rursus, quamvis æger oculis, ibid.; ut et in Apulia, ibid.; Fabium strategemate deludit, xxiii, 5; Minucium, Sempronium Gracchum, Marcellum vincit, ibid.; in Italia semper prælio superior, ibid.; revocatus domum, cum Scipione de pace frustra agit, xxiii, 6; mox pulsus Adrumeti contrahit copias, ibid.; interim pace cum Romanis facta, res in Africa gerit, xxiii, 7; ex quo imperio domum revocatus præturam laudabiliter gerit, ibid.; deinde metu deditionis profugus ad Antiochum, domi exul judicatur, ibid.; denuo Carthaginienses ad bellum conatur inducere, xxiii, 8; confligit adversus Rhodios, ibid.; Antiocho fugato Cretam profectus, xxiii, 9; astu quodam opes suas servat, ibid.; hinc ad Prusiam venit, eumque adversus Romanos instigat, xxiii, 10; Eumenem mirabili dolo superat, ibid.; repetitus a Romanis, et mox in castello suo circumsessus, venenum sumpsit, xxiii, 12; de tempore mortis ambigitur, xxiii, 13; Græcas litteras didicit, ibid.; quos rerum suarum scriptores nactus sit, ibid.; laudatur, 21, 3; xiv, 1; Marcello interfecto, quomodo se gesserit, fragm. ix; ab eodem victus est, ibid.

Hasdrubal male audit ex contubernio Hamilcaris, xxii, 3; fit ejus gener, ibid.; succedit ei, ibid.; mores vetustos pervertit, ibid.

Hellespontus, modo fretum inter Sestum et Abydum significat, modo regionem freto adjacentem, inde a Dardano usque ad Cyzicum, ii, 5, etc.

Helotes, Εἵλωτες, servi Lacedæmoniorum, iv, 3.

Helvius C., xxiv, 1: aliter Ælius.

Hephæstio magni æstimatur ab Alexandro, xviii, 2.

Heraclides, x, 5; interficitur, x, 6.

Hercules: ex Herculis progenie principes, xvii, 1; Hercules Graius ante Hannibalem Alpes cum exercitu transiit, xxiii, 3.

Hipparinus, x, 1.

Hippo, xxii, 2; urbs Africæ valentissima.

Hipponicus, omnium Græcorum divitissimus, vii, 2.

Hispania citerior, xxiv, 2; id est, Tarraconensis provincia. Quum enim antiquitus in tres partes divisa esset Hispania, a Romanis postea in duas, citeriorem et ulteriorem, quæ Bæticam et

Lusitaniam veterem complectitur, distingui cœpit.
Histiæus Milesius, I, 3.
Hystaspes, Darii pater, XXI, I.
Homerus, XIV, 2; X, 6; fragm. I.
Hortensius Q. princeps eloquentiæ, Ciceronis æmulus, XXV, 5.

I.

Icetas vincitur, XX, 2.
Indi quidam, vi tempestatum ex Indicis æquoribus in Germaniæ littora abrepti, Q. Metello Celeri a rege Bætorum dono dantur, fragm. VII.
Iones, I, 4.
Ionia, Asiæ minoris regio, I, 3; VII, 5; IX, 2, etc.
Iphicrates Atheniensis, disciplina militari nobilis, XI, I; in qua multa meliora et nova attulit, ibid.; præsertim in armatura, quam expeditiorem reddidit, ibidem; plurimum in Thracia vixit, XII, 3.
Iphicratenses milites, pro præstantibus, XI, 2.
Ismenias captus, XVI, 5.
Ister fl., I, 3.
Istria unde dicta, fragm. VII.
Italia, VII, 4; X, 5, etc.

J.

Jason tyrannus, XIII, 4.
Junia familia, XXV, 18.
Jupiter Ammon, VI, 3; Feretrius, XXV, 20; Jovis antistites, VI, 3.

L.

Labeo Q. Fabius Cos. XXIII, 13.
Lacedæmon, VI, 3.
Lacedæmonii: ab iis auxilium Athenienses petunt, I, 4; ab iis cuncta Græcia liberatur, IX, 4; Lacedæmonii principes Græciæ, VI, I; terra marique duces, III, 2; eorum potentia, VII, 9; tyrannis, id est insolens in ceteros Græcos dominatus, XV, 5; Lacedæmonii intelligunt, de principatu sibi cum Atheniensibus certamen fore, II, 6; tyrannos imponunt Atheniensibus, VIII, I; bellum iisdem indicunt, V, 3; auxilio privati sociorum, XV, 6; retinent arcem Theb., XVI, I; in societate, quam cum Artaxerxe fecerant, non manent, IX, 2; post Leuctricam pugnam nunquam se refecerunt, XVII, 7; eorum potentia perculsa, XVI, 2; eorum reges duo, XVII, I; VI, 3; Lacedæmonii victus atque cultus parcimoniæ dediti, VII, 11; omnia ad oracula referebant, VI, 3.
Laco, per antonomasiam, pro Agesilao, XIII, I; XVII, 2.
Laconica, sc. regio, XIII, 2.
Lælius C. Terentio æqualis, fragm. I et VI.
Lamachus, unus e collegis Alcibiadis, VII, 3.
Lamestius, XX, 5.
Lamprus, musicus, XV, 2.
Lampsacum, aliis Lampsacus, II, 10; urbs insignis cum portu optimo, circiter initia Hellesponti, per quem Propontis in mare Ægæum enititur, Callipoli, in Chersoneso Thraciæ sitæ, opposita.
Lathyrus, rex Ægypti, fragm. VII.
Lemnus insula, I, I et 2.
Lentulus Spinther, fragm. VIII.
Leonidas, rex Lacedæmon. II, 3.
Leonnatus, unus ex Alexandri amicis, XVIII, 2.
Leotychides, XVII, I.
Lesbus, XII, 3; insula in Ægæo

pelago, magnitudine soli Eubœæ concedens, inque meridiem a septemtrione porrecta.

Leucosyri, xiv, 1 : nunc Cappadoces; sic dicti ad differentiam fusci coloris Syrorum.

Leuctra, vicus Bœotiæ, iv, 7; xvii, 6.

Leuctrica pugna, xv, 6 et 10; xvi, 4.

Ligures, xxiii, 4.

Longus Tiberius, xxiii, 4; collega P. Corn. Scipionis cos.

Lucani, pro regione Lucanorum, xxiii, 5.

Lucretius, xxv, 12; poeta ingenio et facundia præcellens.

L. Lucullus, xxv, 5; fragm. ix.

Lusitani, xxiv, 3.

Lutatius C. fudit Carthag., xxii, 1.

Lycus, pater Thrasybuli, viii, 1.

Lyco Syracusanus, x, 9.

Lydi, xiv, 8.

Lydia, regio Asiæ, ix, 2; xiv, 2.

Lysander Lacedæmonius Athenienses jam diu in Peloponnesios bellum gerentes casu conficit, vi, 1; hinc elatus et dominationi suæ studens X viros constituit passim, ibid.; quæ potestas sublata rursum, vi, 3; crudelis manet et perfidus, vi, 2 et 4; reges abrogare molitur, ideoque oracula corrumpere instituit, vi, 3; sed judicio liberatur, ib.; denique occiditur apud Haliartum, ib.; a Pharnabazo delusus egregia accusatione, vi, 4; factiosus et potens, xvii, 1; muros diruit Athen., ix, 4.

Lysimachus, iii, 1; alius, xviii, 10; prælio cadit, xxi, 3.

Lysis Tarentinus, philosophus Pythagoreus et Epaminondæ præceptor, xv, 2.

M.

Macedones veterani, xviii, 10; Macedonum militum fama, xviii, 3.

Macedoniam præoccupare destinaverat Leonnatus, xviii, 2; Olympias repetit, xviii, 6; Macedonia pulsus est Cassander, xix, 3.

Magalia, seu, ut alii, Magaria, pars exterior Carthaginis, Byrsam amplectens, fragm. iii.

Magnesia, urbs Asiæ apud Mæandrum, ii, 10.

Magnes, civis Magnesiæ, xiv, 5.

Mago, frater Hannibalis, xxiii, 7; domum revocatur, ibid.; fraternis calamitatibus involvitur, xxiii, 8; ejus interitus, ibid.

Mamercus, dux Italicus, capitur, xx, 2.

Mamurra, eques Romanus, frag. x.

Mandrocles, xiv, 5.

M. Manlius, fragm. i.

Mantinea, urbs Arcadiæ, xv, 9.

Marathon, campus clade Persarum et Miltiadis tropæo insignis, i, 4.

Marathonia pugna, i, 6; victoria, ii, 6; Marathonium tropæum, ii, 5.

Marcellus M. Claudius cos., xxiii, 13; xxiv, 1; quinquies cos. apud Venusiam cadit, xxiii, 5; quomodo, morte ejus audita, Hannibal se gesserit, et quomodo corpus ejus tractarit, fragm. ix; an Hannibalem vicerit, ibid.; Marcellus Claudius, alius, qui postea vixit, xxv, 18; Marcellorum familia, ibid.

Mardonius quis, iv, 1; a quo victus, ibid. et iii, 2.

C. Marius filius, xxv, 1; hostis judicatus juvatur ab Attic. xxv, 2.

Massagetæ, populi Scythiæ Asiaticæ, xxi, 1.

Media, XVIII, 8; Asiæ regio, ab occasu transversa oblique Parthiæ occurrens.
Medi satellites, IV, 3; ex Medis, pro e Media, XVIII, 8.
Medica vestis, fluida et perlucida, IV, 3.
Melpum, opp. Italiæ Transpad., fragm. VII.
Meneclides, obtrectator Epaminondæ, XV, 5.
Menelai portus, XVII, 8.
Menestheus, filius Iphicratis, XI, 3; matrem pluris facit, quam patrem, ibid.; fit prætor, XIII, 3.
Messena restituta, XV, 8; XVI, 4.
Metellus Q. Celer, fragm. VII.
Micythus, XV, 4.
Milesius, Mileti urbis civis, I, 3.
Miltiades colonos Chersonesum ducit, I, 1; Lemnum et Cycladas capit, I, 2; consilium dat excutiendæ dominationis Persicæ, I, 3; Marathonia pugna vincit, I, 5; quale præmium victoriæ ceperit, I, 6; Pari oppugnatione casu abstrahitur, I, 7; ob id damnatus in vinculis moritur, ibid.; vera damnationis ejus causa, I, 8; laus ejus, I, 1, 2 et 8.
Minervæ ædes, IV, 5; templum, XVII, 4.
Minucius Rufus M. F., XXIII, 5; Q. Minucius cos., XXIII, 8.
Mithridates, Ariobarzanis fil., XIV, 4 et 10.
Mithrobarzanes, XIV, 6.
Mitylenæi multa millia jugerum agri Pittaco muneri dantes, VIII, 4.
Mocilla L. Julius, prætorius, XXV, 11.
Molossi, gens Epirotica, II, 8.
Munychia, portus Atticæ, ut Stephanus ait, seu, ut Strabo, collis, Chersonesi speciem præbens, introitum habens oris angusti, VIII, 2.
Mutina, XXV, 9.
Mycale, urbs Cariæ, V, 2.
Myus, urbs Asiæ, II, 10.

N.

Naxus, insula in Ægeo mari, II, 8; hodie *Nicosia*.
Nectanabis, rex Ægypti, XVII, 8; et Nectanebus, XII, 2. V. Excurs.
Neocles, sive ut in quibusdam MSS. Neoclus, II, 1.
Neontichos, VII, 7: castellum in Thracia.
Neoptolemus cadit, XVIII, 4.
Nepos Corn. M. Ciceronis, ut qui maxime, amicus familiarisque fuit, fragm. IV.
Neptuni fanum, asylum, IV, 4.
Nero C. Claudius, XXIV, 1; Ti. Claudius Nero, Drusilla natus, qui Augusto successit, XXV, 19.
Nicanor, Cassandri præfectus, Piræeo potitur, XIX, 2.
Nicias, unus e collegis Alcibiadis, VII, 3.
Nilus fl., XVIII, 5.
Nomentanum prædium, XXV, 14; de Nomento, oppido Latinorum, v. Cluver. Ital. antiq.
Nora, castellum Phrygiæ, XVIII, 5.
Numidæ frustra insidiantur Hannibali, XXIII, 6.
Nysæus, X, 1.

O.

Octavius Cæsar Atticum familiariter per epistolas colit, XXV, 20.
Œdipus, parricida et incestuosus, XV, 6.
Olympiæ victor, præf.; Olympiæ victores quibus coronis donati, VII, 6.

Olympias, mater Alexandri, Eumenis consilium, mox et auxilium implorat, xviii, 6.
Olympiodorus, tibicen, xv, 2.
Olynthus, urbs Thraciæ, xvi, 1.
Olynthii bello subacti, xxiii, 1.
Onomarchus, custodum præfectus, xviii, 11.
Orchomenii, vi, 3.
Orestes matricida, xv, 6.
Otacilius L. Pilitus, fragm. vi.

P.

Pactye, urbs in Isthmo Chersonesi Thraciæ ad Propontidem. Al. Perinthus, vii, 7.
Padus fl. xxiii, 4 et 6.
Pamphylium mare, xxiii, 8.
Pandates, xiv, 5.
Paphlago, per antonomasiam, pro Thyo, xiv, 2.
Parætaca, regio Mediæ, xviii, 8.
Parus insula (una e Cycladibus, candido marmore celebris) oppugnata, i, 7; Parium crimen, super Pari oppugnatione intentatum, i, 8.
Patroclus, xiv, 2.
Paulus L. Æmilius cos., xxiii, 13.
Pausanias, varii moris homo, Mardonium fudit, iv, 1; hinc incivilis insolentia, ibid.; quæ felicitate augetur, iv, 2; ambit amicitiam Xerxis, ibid.; ideo multatur, ibid.; vincula rursus meretur et effugit, iv, 3; suopte indicio deprehenditur, iv, 4; in Chalciœco interit, iv, 5. Fit ejus mentio, iii, 2; rex Lacedæmoniorum dicitur, viii, 3.
Pausanias, Phil. percussor, xxi, 2.
Peducæus Sextus, xxv, 21.
Pelopidas, Theban., per factiosos patria pellitur, xvi, 1; adolescentibus undecim stipatus insolito habitu Thebas redit, xvi, 2; magistratus violentos occidit, xvi, 3; libertatem reddidit, Cadmeam restituit, ibid.; altera Thebis persona fuit, xvi, 4; adversa perpessus, xvi, 5; cadit in prælio, ibid.; vir fortis, xv, 7.
Peloponnesus, x, 10; xv, 7, etc.; Peloponnesii, ix, 5; Peloponnesium, vel, ut vulgo, Peloponnesiacum bellum, vii, 3, etc.
Perdiccas, Amyntæ et Eurydices filius, xi, 3.
Perdiccas, inter amicos Alex. M. xviii, 2.
Pergamenæ naves, xxiii, 11.
Pericles, vitricus Alcibiadis, vii, 2.
Perperna M. Censorius, xxiv, 1: al. Perpenna.
Persæ fusi, i, 5; venatibus et luxuriæ dediti, vii, 11; Persarum dominatio, i, 3.
Persia, totum imperium Persarum, cujus pars est Persis, xii, 3.
Persis, ii, 10; Persidis finitima regio, xviii, 7; Persicum bellum, ii, 2; Persicæ res, ix, 5.
Peucestes, corporis custos Alexand. xviii, 7.
Phalereus portus, al. Phalericus, ii, 6; unus e tribus Atheniensium et antiquissimus, et brevissimo ab urbe spatio remotus.
Pharnabazus, vii, 10; satrapes regius, vi, 4; satrapes Ioniæ et Lydiæ, ix, 2; dux belli Ægypt. destinatus, xiv, 3.
Pheræ, colonia Lacedæmon., ix, 1.
Phidias, in vulg. pro Pilia, uxore Attici, cui Athenienses statuam posuerunt, xxv, 3.
Philippides, cursor ejus generis, qui hemerodromi vocantur, i, 4. Al. Phidippus, vel Phidippides malunt.

Philippense prælium, quo Augustus scil. Brutum et Cassium devicit, xxv, 11; sic dicitur, quod prope Philippos, Thessaliæ urbem, commissum.
Philippus, Alex. M. pater, xi, 3; idem Amyntæ filius vocatur, xviii, 1; idem Philippus rex, xix, 3; Macedo multa moliebatur, sc. dominationis consilio, xiii, 3; a Pausania occiditur, xxi, 2; ejus domus et familia, xviii, 6.
Philippus Aridæus, Alexandri frater, xix, 1, et 3.
Philippus, rex Maced., Demetrii filius, Persei pater, xxiii, 2.
Philistus, historicus, Syracusas reducitur, x, 3; tyrannidi amicus, ibid.
Philocles, prætor Atheniensium, vii, 8.
Philostratus, frater Callicratis, Atheniensis, x, 9. Al. Philocrates, vel Philocratus.
Phocion, Atheniensis, Bonus cognom., xix, 1; paupertate memorabilis, ib.; ejus dictum super ea, ib.; Demadis consiliis mixtus Demosthenem pellit, xix, 2; Piræeum securitate sua prodidit, ibid.; capitis damnatus a populo, xix, 3; causam dicit apud Philippum, ibid.; Athenas reductus damnatur, xix, 4; ejus dictum, ib.; a servis sepultus est, ibid.
Phœbidas, Lacedæmonius, x, 1.
Phœnices victi, v, 2; Phœnicibus naves imperatæ, ix, 4.
Phryges, xiv, 8.
Phrygia, vii, 9; xiv, 2.
Phyle, castellum Atticæ, viii, 2.
Pilia, uxor Attici, xxv, 3.
Piræei portus triplex, ii, 6; xix, 2; vii, 6; viii, 2.
Pisander, vii, 5; ix, 4.
Pisidæ, populi juxta montem Taurum habitantes, xiv, 4.
Pisistrati tyrannis, i, 8.
Pittacus, unus e septem sapientibus, viii, 4.
Platææ, urbs Bœotiæ, apud quam cum universo exercitu Mardonius Persa cæsus est, iii, 2; iv, 1.
Platæenses, i, 5; Platæense prælium, iii, 2.
Plato Tarentum venit, x, 2; a Dionysio patre Syracusas perducitur, ibid.; rursum a filio precibus Dionis, ut antea, Athenis arcessitur, x, 3; persuadet tyrannidis finem facere, ibid.; a patre Dionysio venundari jussus, x, 2; Platonis symposium, vii, 2.
Pœcile, Ποικίλη, i, 6: porticus Atheniensis a varietate picturarum sic dicta, quæ ibi positæ.
Pœnus, per antonomasiam pro Hannibale, xxiii, 10; Pœnicum bellum primum, xxii, 1; secundum, xxii, 4.
Polybius, historicus, xxiii, 13.
Polymnis, Epamin. pater, xv, 1.
Polysperchon Cassandrum Macedonia pellit, xix, 3.
Pompeium qui et cur secuti, xxv, 7; Cn. Pompeii M. res gestas scripsit L. Otacilius, fragm. vi.
Pontus, xxiii, 10.
Procles, vel Proclus, xvii, 1.
Proserpinæ ædes, x, 8.
Prusias, Bithyniæ rex, xxiii, 10; jus hospitii violare non audet in Hannibale, xxiii, 12.
Ptolemæus, ex Alex. M. amicis, postea Ægypti imperio celebratus, xviii, 10; xxi, 3.
Ptolemæus Ceraunus interficit Seleucum, xxi, 3.

Pydna, urbs Macedoniæ littori accubans, II, 8.
Pylæmenes, Thyi pater, XIV, 2.
Pyrenæus saltus, XXIII, 3.
Pyrrhus, Epirotes, ictu lapidis interiit, XXI, 22.
Pythia, I, 1; II, 2; subaud. sacerdos Apollinis Pythii, quæ consulentibus respondebat: alio nomine Phœbas.

Q.

Quirinalis collis, XXV, 13.

R.

Rhodanus fl. XXIII, 4 et 6.
Rhodii confligunt cum Antiochi copiis, XXIII, 8.
Roma vocatur Urbs, in qua domicilium orbis terrarum est imperii, XXV, 3; quando condita, fragm. 1.
Romanus populus omnes gentes virtute superavit, XXIII, 1; Romanum nomen, populus, XXXIII, 7; Romano non licebat alibi civem fieri, XXV, 3.
Romulus, XXV, 20.
Rubrum mare, XXIII, 2.

S.

Sabini, XXIV, 1.
Saguntus expugnata, XXIII, 3.
Salamin, vel Salamis, II, 2; III, 9. Insula clarissimi nominis ad stadia quasi LXX in longum porrecta, incipiens e regione Megaridis, sed majore sui parte Eleusinio littori ditionis Atticæ opposita, freto angusto ab Amphiale promontorio sejuncta, cum urbe cognomini, quondam in Austrino latere, quod Æginam intuetur, posita, deinde in latus adversum contra Atticam translata.
Salaminia pugna, III, 2; victoria, II, 6.
Samothracia, XXV, 11.
Samus, VII, 5; XIII, 1; deficit ab Athen., XIII, 3.
Sardes, urbs Lydiæ, XVII, 3; IX, 5.
Sardinia, XXIV, 1; Sardiniensis triumphus, ibid.
Saufeius L., XXV, 12.
Scipio P. Cornelius ter vincitur ab Hannibale, XXIII, 4; ejus filius, Africani pater, XXIII, 6.
Scipio Africanus principatum in civitate obtinuit, XXIV, 2.
Scipio Cornelius, pro Cornelius Scipio, Attici familiaris, XXV, 18.
Scismas, XIV, 7; Al. Sysmas.
Scyrus, insula, una ex Cycladibus, V, 2.
Scythæ premunt Darium, I, 3.
Scythissa, XIV, 1.
Seleucus, XVIII, 5 et 10; a Ptolemæo dolo interfectus, XXI, 3.
Sena, XXIV, 1; Piceni, sive Umbriæ in Italia oppidum.
Servilia, Bruti mater, XXV, 11.
Servilius Cn. Geminus, XXIII, 4.
Servius Galba, XXIV, 3.
Sestus, XIII, 1, civitatum Chersonesi præcipua et munitissima, habens portum cum statione navium opportunissimum, colonia Ætolica, patria Herus, amicæ Leandri Abydeni, natatu Hellespontum per noctem ad amicam trajicere soliti: cui ex obliquo Abydus in littore Asiæ respondebat cum portu quoque egregio, declinans paulum ad austrum a pontis loco, ut Sestus ad Boream. Hodie *Dardanellæ*.
Seuthes, rex Thracum, VII, 8.
Sicilia, VII, 5 et 6; eam Dion armis capit, X, 5; in pristinum

statum restituit Timoleon, xx, 1; Siciliæ possessionem Carthaginienses complures annos tenuerunt, xx, 2.

Siculi, xx, 3.

Sigæum, xii, 3; Idæ promontorium vocat Aristoteles.

Silenus, historicus Græcus, xxiii, 13; alii male Philenius.

Sinus Arabicus, fragm. vii.

Socrates, vii, 2.

Sophrosyne, x, 1.

Sosilus, historicus et Hannibalis præceptor, xxiii, 13.

Sosius C. cos., xxv, 22.

Sparta sine muris, xvii, 6; oppugnata, xv, 8; pæne capta, xvii, 6; Spartam omnium sociorum legati convenerunt, xv, 6; sub potestatem Xerxis redacturum se pollicetur Pausanias, iv, 2.

Spartani, xvi, 2; xxi, 1.

Strymon fl. Thraciæ, v, 2.

Sulla Atticum frustra Athenas deducere cupit, xxv, 4; Sullæ seni Atticus fuit jucundissimus, ibid.

Sullanæ partes, xxv, 2.

Sulpicius P. cos., xxiii, 7; Sulpicius trib. pl. interfectus, xxv, 2; Sulpicius, histor. xxiii, 13; Sulpicius Serv., xxv, 2.

Syracusæ, x, 2, 3, 5, 6; xx, 1, 2, 3; initio a Corinthiis conditæ, xx, 3; libertati restitutæ, xx, 1.

Syracusani Timoleontem publice sepeliunt, xx, 5; Syracusanis bellum indictum, vii, 3.

Syria, xxiii, 8.

Sysamithres, vii, 10.

T.

Tænarus, iv, 4; promontorium et urbs in finibus agri Lacedæmoniorum.

Tamphilus Cn. Bæbius, cos., xxiii, 13; M. Bæbius, ibid.

Tamphilana domus, xxv, 13: al. Cæciliana.

Tarentum, x, 2: urbs Calabriæ perampla et præpotens. Tarentina purpura, fragm. viii.

Taurus, mons Lyciæ, ix, 2; xiv, 4; xviii, 3.

Terentius, P. Scipionis Afr. et C. Lælii æqualis, fragm. i.

Thacus, xvii, 8.

Thasus, insula Thraciæ et Macedoniæ vicina, vi, 2; Thasii, v, 2.

Thebæ, vii, 4; liberatæ a Pelopida et Epaminonda, xvi, 4; 15, 18; exitio ereptæ, xv, 8; quando imperarint et servierint, xv, 10; Thebani occidunt Lysandrum, vi, 3; formidantur a Lacedæmoniis, xvi, 1; Spartam oppugnant, xv, 8; viribus, non ingenio censendi, xv, 5.

Themistocles qua adolescentia, ingenioque usus sit, ii, 1; bello Corcyr. rempublicam præclare gerit, ii, 2; confligit primum cum Xerxe, ii, 3; eumdem astu et loco vincit, ii, 4; in Asiam relegat, ii, 5; muros Atheniensium restituit consilio et arte, ii, 6 et 7; ejicitur, ii, 8; absens proditionis damnatur, ib.; varia fuga agitatur, ibid.; epistola ejus ad Artaxerxem, ii, 9; a quo magnifice donatur, ii, 10; opiniones de morte ejus, ib.; æqualis et obtrectator Aristidis, iii, 1.

Theopompus, historicus, ii, 3; vii, 11.

Theramenes, vii, 5.

Thermopylæ, ii, 3 et 4: angusti aditus, unde et nomen portarum;

alteram vocabuli partem ab aquis calidis, quæ in faucibus, accepere.
Thessaliæ tyranni, xvi, 5; civitates, ibid.
Thraces, i, 1; xi, 2; a Cimone fugati, v, 2; pecuniæ Alcibiadis insidiantur, vii, 9; vinolenti et rebus venereis dediti, vii, 11.
Thracia, vii, 7; xii, 3.
Thressa, Thracia femina, xi, 3.
Thrasybulus patriam a triginta tyrannis liberat, viii, 1; contra quos primo Phylen occupat, viii, 2; mox Munychiam, ibid.; ubi civiliter victoria utitur, ibid.; constituta pace, legem oblivionis fert, servatque, viii, 3; qualis corona ei data, viii, 4; in tabernaculo denique interfectus est, ibid. Fit ejus mentio, vii, 5 et 7.
Thucydides, ii, 1 et 9; iv, 2; cujus ætatis historicus, vii, 11.
Thurii, pl. urbs Italiæ, Sybaris ante dicta, vii, 4.
Thyus, dynastes Paphlagoniæ, xiv, 2; a Datame capitur, ibid.
Timæus, histor., vii, 11; maledicus, ibid.
Timoleon, Corinthius, patriam a tyranno liberavit, Syracusas servitute, Siciliam oppressione, xx, 1; fratrem, qui tyrannidem occupaverat, interfici jussit, ib.; unde judicia in se concitavit hominum et matris odium, ibid.; Dionysio Sicilia depulso pepercit, xx, 2; Carthaginiensium copias fugavit, Mamercum cepit, ib.; res Siciliæ instaurat, xx, 3; privatus sponte factus, magno tamen publice in honore fuit, ibid.; oculorum in senectute jacturam fert moderate, xx, 4; modestia ejus, ibid.; pietas, ibid.; conviciorum patientia, ib.; prælia maxima natali die fecit, xx, 5; celebri sepultura honoratus, ibid.
Timoleonteum, gymnasium Syracus., xx, 5.
Timophanes, frater Timoleontis, tyrannidem occupat, et imperio fratris occiditur, xx, 1.
Timotheus, Atheniensis, describitur, xiii, 1; ejus facta illustria, ibid.; statua rari honoris, xiii, 2; emeritus revocatur ad militiam, xiii, 3; accusatus proditionis multatur, ibid.; Chalcidem se confert, ibid.; moderate et sapienter vixit, xiii, 4. Fit ejus mentio, xi, 3; Lesbi plurimum vixit, xii, 3.
Tiribazus Sardibus præest, ix, 5.
Tisagoras, frater Miltiadis, i, 7.
Tissaphernes, vii, 5; præfectus Pers. deficit a rege, ix, 2 et 3; hostis judicatus, ix, 4; inducias petit et violat, xvii, 2.
Tithraustes chiliarchus, ix, 3; dux, xiv, 3.
Torquatus L., condiscipulus Attici, xxv, 1; consul, xxv, 4; A. Torquatus, xxv, 11.
Trasimenus, lacus in agro Perusino, xiii, 4.
Trebia, fluvius ex Apennino monte in Padum fluens, xxiii, 4 et 6.
Troadis ager, iv, 3.
Trœzen, vel Trœzene, ii, 2: urbs Peloponnesi clarissima, paululum a littore recedens.
Troicum bellum, xiv, 2.
Tusculum municipium, xxiv, 1.

U.

Utica, xxii, 2: urbs Libyæ post Carthaginem maxima, quam Velleius Paterculus, i, 2, circa

Codri tempora Tyrios, paucis annis post Gades, condidisse scribit.

V.

Valerius L. Flaccus, XXIV, 1.
Varro C. Terentius, victus, XXIII, 4.
Veneti, fragm. VII.
Venusia, urbs Apuliæ, Horatii patria, XXIII, 5.
Vettones, Hispaniæ citerioris populi, XXII, 4.
Volumnius P., præfectus fabrum Antonii, XIV, 12.
Vulsonis Cn. Manlii res gestæ Hannibali memoratæ, XXIII, 13.

X.

Xenophon Socraticus, XVII, 1.
Xerxes mari et terra bellum infert Europæ, II, 2; in Asiam suam relegatur, ib. et XXI, 1; ab Artabano ferro interimitur, XXI, 1.

Z.

Zacynthii adolescentes, X, 9.
Zama, XXIII, 6: urbs Africæ, hodie *Zamor*.



INDEX

GRAMMATICUS

IN

CORNELIUM NEPOTEM.

A.

A stirpe, ab initio familiæ et origine, xxv, 18.

Ab tam tenui initio tantæ opes profligatæ, tantillis ab initio viribus, xvi, 2.

Abdere se in Thraciam, vii, 9; veluti in sinum securitatis: de eo, qui suam fortunam occulere studet. Bœcl.

Abest a persona principis, non decet principem, xv, 1; abesse ab invidia, remotum esse ab obtrectationibus invidiæ, xii, 3; ab urbe, peregre esse, xxv, 20.

Abjectus opponitur florenti, xxv, 8.

Abripere, intercipere, xiv, 4; abripi, de iis qui ex solo patrio in aliud trajiciuntur, i, 4.

Abrogare alicui imperium, pro non prorogare, xv, 7.

Abstinentia, animi scil. adversus pecuniam invicti, xv, 4, etc.

Accedere ad manum, collatis signis dimicare, xviii, 5; ad rempublicam, capessere rempublicam, ix, 1.

Accipere conditionem, ratum habere id, quod offertur, xiv, 8; acceptus male, qui prælio fusus, xviii, 8.

Accubare, humi jacere, xvii, 8.

Accusare cum accusativo rei, vi, 4; cum ablat. rei per ellipsin præpositionis de, vi, 3; i, 8; vii, 4; cum genitivo rei, i, 7; iv, 2, etc.

Acer, ὀξύθυμος, irritabilis, xiii, 3.

Acerba mors, luctuosa, tanquam præmatura, v, 4; acerbius imperium, crudelitas, xviii, 6; acerbitas, rigor, x, 6; acerbitas temporis pristini, indigna prist. temp. illata, vii, 6.

Acheron, pro inferis, x, 10.

Acquiescere, significanter, de morte, vitam laboriosam secuta, xxiii, 13.

Acroama, xxv, 14: Acroamata vocantur quicumque sive in theatro, sive in convivio (uti h. l.), voluptatis causa audiuntur, musici omnes, et scurræ, moriones, qui cantu nervorum, tibiarum et vocum, facete ridiculeve dictis, recitatione etiam aliqua, delectant aures. Conf. Ernest. in

Excurs. VIII ad Sueton. Aug.
Actor, XXV, 3; ab auctore, secundum Buchnerum, ita differt, ut hic suadeat, ille curet et agat.
Adhibere memoriam nullam contumeliæ, ea ad ultionem non uti, XV, 7; in convivium, secum ducere, Præf.
Adire ad aliquem, II, 7.
Adjungere aliquid, addere iis, quæ dicta sunt, XV, 10.
Adjutor, collega belli gerendi, IX, 4.
Adolescens, de quadragenario, XXV, 8; de triginta annos habente, admodum adolescentulus, XXII, 1.
Adorior oppugnare, VIII, 2, etc. Aggredior hoc facere, conatum cum effectu notat. Adoriri Dodonam, de conatu corrumpendi sacerdotes Dodonæos, VI, 3.
Adscitus lepor, XXV, 4: opponitur nativo.
Adversum tenere proficiscentibus, de vento, qui proficiscentibus flatu est contrarius, qui contra spirat, I, 1; adversum Athenas, e regione, II, 3.
Adversarius, de eo, qui factionem comparat, X, 7; adversarius populus, hac voce notatur τὸ φιλαίτιον, sive adversandi premendique superiores libido, XIII, 3; adversarius in rep. administranda, ἀντίτεχνος, ἀντιπολιτευόμενος, XV, 5; adversarii, obtrectatores, æmuli, XV, 7.
Ædes, pro templo, XXV, 20; IV, 5; X, 8.
Ædium primus locus, atrium, Pr.; pars interior, ibid.; pars superior, X, 4.
Ædificator, qui ædificandi studio ducitur, XXV, 13.
Ædificium, de casa, VII, 10; de castello, XXIII, 12.
Ædilis plebis, ad differentiam Ædilium Curulium, et Cereal., XXIV, 1.
Æmulari aliquem, contendere de gloria cum aliquo, XV, 5.
Æneæ coronæ, VII, 6; statuæ, XXIII, 9; loricæ, XI, 1.
Æquiparare aliquem labore, corporisque viribus, VII, 11.
Æquam conditionem versuræ non habere; non invenire, qui æquo ac modico fœnore mutuam det pecuniam, quo debita sua solvat, XXV, 2.
Æquitas, III, 2: conjuncta cum justitia et innocentia, lenitas est et clementia.
Æquitate summa res Chersonesi constituit, I, 2: ubi, interprete Ravio, æquitas juris, ἰσονομία est intelligenda.
Æquitas animi, VIII, 2: animus paucis contentus.
Æris terna millia, scutati triginta, XXV, 13: æris terna millia sunt 3000 assium. Si omittas æris, subaudi nummum, ut sint 90 scutati, quæ verisimilior summa. Manut.
Æstimata est lis ejus tot talentis, quantus in classem sumptus factus erat, I, 7: ex antecedenti consequens notatur, i. e. ex æstimatione delicti, multa. Asconio litem æstimare est, pecuniam de qua lis fuit, et propter quam reus condemnatus est, in summam redigere. Valerio Maximo, V, 3, est pœnam finire, h. e. multam definire.
Ætas extrema, senectus, XXIV, 2; XXV, 10; ætas extrema imperatorum, ultimi tum imperatores erant, XIII, 4; ætatis vacatio, senectutis immunitas a bello, XXV, 7; ætati omni aptissimus,

hominibus cujuscumque ætatis, xxv, 16.
Afferre manus, vim facere, xx, 1.
Affinis, vir sororis; hæc enim propria vocis acceptio, xx, 1; ita affinitas, x, 1.
Afflictæ res, inclinatæ, accisæ, ix, 2.
Agere, proprio sensu, xiv, 3; colloqui, x, 2; tractare, transigere, v, 1; administrare, xxiii, 8; movere, perturbare, xxv, 9; causam populi, studere democratiæ, xix, 3; egit nihil aliud quam ut, περίφρασις magnæ contentionis et studii, xxiii, 10.
Agellus, de tenui possessione, xix, 1.
Agnoscere natum, ipso Cornelio interprete, suum dicere, xvii, 1.
Agricola solers, rei rusticæ peritus, xxiv, 3.
Ala equitum, xviii, 1: Alæ dictæ exercitus equitum ordines, quod circum legiones dextra sinistraque, tanquam alæ in avium corporibus, locabantur.
Alienum, intempestivum, ἄσκοπον, 1, 6; plane inidoneum, ii, 4; extraneum, viii, 1; xv, 1; alienatæ insulæ, quæ defecerant, v, 2.
Altera persona, unus ex duobus, quibus respublica plurimum debet; additur, secunda tamen, ut referatur ad superiorem et primum, xvi, 4; alteræ alæ, pro alteri, xviii, 1.
Ambitione magna deducere aliquem, x, 2: vehementi studio et contentione, et cum ostentatione quadam; seu, ut alii explicant, φιλοτίμως, honorifico apparatu ac comitatu.
Ambitus largitiones, captatoriæ donationes in ambiendis per malas artes honoribus, xxv, 6.
Amiciores conciliantur homines, xvii, 2.
Amici regis, Persarum sc. 1, 3: ita vocantur principum consiliarii, præfecti, proceres.
Amicos tueri, opibus officioque adesse eis, xv, 3.
Amicitia, pro societate, xv, 6.
Amiculum agreste duplex, xiv, 3. Ferrarius, de re vestiaria, P. II, 1, 9 et 10, putat duplex vestimentum dictum, quod densum crassumque ac duplici filo contextum et villosum esset; vel quod duplici panno consertum. Græcis est χλαίνα διπλῆ.
Amittere optimates, x, 7: eorum favorem.
Amœnitas domus, id quod domui amœnitatis causa conjunctum est, xxv, 13.
Anagnostes, xxv, 13.
Anfractus longior viæ, xviii, 8.
Angustiæ maris, ii, 3.
Animadvertere, considerare, xv, 6; conspicari, xvi, 5; animadversa varietas fortunæ, observata, xiii, 4.
Animatæ bene insulæ, in fide manentes, v, 2; oppon. alienatæ, v, 2.
Animus, pro fiducia constantiaque, 1, 4; maximus, pro fiducia sui constantiaque, x, 5; animo isto esse, id consilii habere, xviii, 11; animo bono facere, proposito non scelesto, xvii, 6; animo bellare, h. e. consiliis, occultis moliminibus, xxiii, 1; xviii, 4; animo æquo ferre, sine indignatione, x, 6; sine obtrectatione, xxv, 1.
Anno vertente conficere iter, h. e.

integrum annum itinere insumere, XVII, 4.
Annalis, scil. liber, XXIII, 13.
Annicula, XXV, 19.
Antiquitatis amator, XXV, 18 : h. e. historiæ antiquæ.
Antistare cui, præstare, III, 1.
Antistites Jovis, sacerdotes, VI, 3.
Apparare, moliri, XVIII, 2.
Apparatus, conjungitur cum munitionibus, de operibus πολιορκητικοῖς, XVIII, 5; apparatus regius, de cultu, IV, 3.
Apparere, ministrare : de honoratiore ministerio, XVIII, 13.
Appellatus est, ut vellet, compellatus, rogatus, XXV, 8.
Appetere majores res, de incivili elatione, IV, 2; appeti ultro, in pretio haberi, amari, fragm. V.
Applicare se, accedere, se conjungere, III, 2.
Apud, coram, VI, 4; penes, XIX, 2.
Arbitrium, electio, IX, 4; arbitrio alicujus rem remittere, tractationem rei penitus committere, XXII, 1; omnia geruntur, de summo imperio, IX, 2.
Arcessere, advocare, X, 2.
Arguere, crimini dare, VII, 7; argui crimine, convinci, IV, 3.
Argutissime in scholis præcipere : de subtilitatibus philosophorum, fragm. V.
Arma pedestria, h. e. peditum, XI, 1; armorum officinæ, XVII, 3; arma abjicere, XII, 4; tradere adversariis, summum dedecus, XXII, 1.
Armare quem, ad arma instigare, XXIII, 10; armare se imprudentia alterius, consilia sua ex alterius imprudentia ducere, X, 8.
Armillæ aureæ, XIV, 3 : de hoc ornatus genere post alios Ruben. elect. I, 38, et Bartholin. opusc. pecul.
Ars nova, nova ratio, singulare inventum, I, 5; artes ceteræ, virtutes, XV, 2.
Artifices, quos cultus domesticus desiderat, XXV, 13 : ad voluptatem et lucrum locata eorum opera; sunt autem ejusmodi servorum nomina : gladiatores, agitatores, funambuli, palæstritæ, pictores, cælatores, etc.
Ascendere gradum eum, ad eum honorem, XIX, 2.
Asciscere civitatem, jus civitatis, civem fieri, XXV, 3.
Aselli, piscium genus, fragm. X.
Aspergi infamia, VII, 3.
Asperitas, difficillima natura, quod genus hominum Græci δυσκόλους vocant : distinguitur a severitate, cujus excessus est.
Aspernari conditionem, recusare, V, 1; passive occurrit, fragm. V.
Aspicere, ἀντιβλέπειν, ἀντοφθαλμεῖν, erectis et irretortis oculis intueri, XV, 8; revereri, XII, 4.
Assecla prætoris, de legato ejus, XXV, 6.
Astu, vel Asty, Gr. ἄστυ, urbs, oppidum, de Athenis peculiariter et ἐξοχῆς ritu dictum, II, 4; urbs Athenarum, quatenus ab arce et portu distinguitur, VII, 6.
Athletæ, XII, 1; XV, 2.
Attendere animum ad cavendum, VII, 5.
Attingere poeticen, aliquid operæ in illo studio ponere, XXV, 18; regionem, eo pervenire, X, 5; summas rerum, ἀκροθιγῶς διέρχεσθαι, XVI, 1 : opp. res explicare.
Avare facere, VI, 4.
Audire : quod quidem nos audieri-

mus, III, 1. Formula elegans corrigendi, quæ generalius dicta sunt. Audientes dicto, XI, 2, obedientes.

Avertere puppes, de recedentibus, XXIII, 11.

Augeri adjuvarique ab aliquo, promoveri ad majora ope consilioque alicujus, XIX, 2; agro, urbibus augeri, donari, locupletari, XIII, 1.

Aulici, XIV, 5.

Αὐτοματίας sacellum, XX, 4: v. Plut. περὶ εἱμαρμένης, et Gyraldum in hist. Deorum, syntagm. XVI. Non assequuntur rem, qui per casum fortuitum vertunt, quomodo Lamb. Melius Xylander, qui Fortem Fortunam. Coluit haud dubie cum Siculis hoc numen Timoleon, hoc respectu, quo fortuna omnium actionum laborumque humanorum domina et moderatrix credita est; ut sit illa ipsa ἀγαθὴ τύχη, cui multa Græci Romanique monumenta consecrarunt, cujus cultum ex vetere astrologia deducendum autumat Seldenus, de diis Syr. Syntagm. I, 3. Retulit ad hujus deæ auspicia ac numen, quidquid habuit Timoleon successuum: unde patet, qualis Dea, et quo fine culta.

Avunculus, XXV, 13, etc.

B.

Barba promissa, al. prolixa, XIV, 3.

Barbarus, qui Græcis est peregrinus, II, 4; IX, 4; I, 7; XVIII, 3, etc.

Beatus: non beatissimus, nec ditissimus, nec pauperrimus, XVII, 8.

Bellum agere, opp. suscipere, XXIII, 8; totum delere, eleganter de subito et insperato fine imposito, hostibus impetu oppressis, VII, 8; ducere, in longum extrahere, VII, 8; XIV, 8.

Benevolentia civium, pro pignoribus et documentis benevolentiæ, VII, 6.

Benignitas, de præstito auxilio, XX, 2.

Bonus civis, significanter de eo, qui habitus statusque civilis amans, officiis civilibus servit, II, 3; BONUS, Gr. χρηστὸς, cognom. Phocion. in virtutis honorem datum, XIX, 1; boni, nobiles, optimates, XXV, 22; res bonæ, delicatæ, lautæ, splendidæ, XVII, 8; bonum naturale, bonum naturæ, VIII, 1; X, 1.

Bonitas, pro æquitate civilis imperii, I, 8; excellens, virtus et moderatio animi, XX, 5; Attici, morum facilitas, τὸ ἠθικὸν καὶ εὐόμιλον, XXV, 21; naturalis perpetua, moderati cautique judicii constantia, τὸ εὐσταθὲς τῆς φρονήσεως, XXV, 9.

Boreas ventus, aquilo, I, 2.

C.

Cadere, de morte bellica proprie, IV, 1; cadit imperii majestas, evertitur, XVI, 2; res cadit præter opinionem, h. e. evenit, I, 2.

Cadi, fragm. VIII.

Caduceum, κηρυκεῖον: tabellarius cum caduceo, caduceator, κῆρυξ, XXIII, 11.

Cærimonia summa colitur hoc sacrarium, sanctitas religione inviolabilis notatur, II, 8.

Calces remittere, de equis, XVIII, 5.

Callida liberalitas, quæ non honesti studio, sed tempori datur et utilitati, XXV, 11; callide cogi-

tare, perite, solerter, sapienter, ut nihil te lateat fugiatque, XIV, 8; callidissime conjicere de futuris, perspicacissime et providentissime, II, 1.

Canere, vox propria de oraculis, vatibus, poetis, XXV, 16.

Canes venatici, XVI, 2.

Capere dolorem ex curatione morbi, XXV, 21; fructum oculis, voluptatem percipere, XVIII, 11; humanitate, VII, 9; elegantia vitæ aliquem, XXV, 19, conciliare sibi, sui reddere studiosum.

Capessere rempublicam, II, 2: Cic. accedere ad rempublicam de gerendis magistratibus.

Caput Græciæ, urbs domina, princeps, imperans ceteris, XV, 10.

Capitulatim, κεφαλαιωδῶς, summatim, XXIV, 3.

Carere, non uti, XVI, 1.

Caritas patriæ, VII, 5 et 8; XV, 4. Caritatem ita distinguit Cic. in partit. orat. XVI, ut caritas sit Deorum, patriæ, parentum; et amor fratrum, conjugum, liberorum, familiarium.

Casa, domus exigua, tugurium, VII, 10.

Castrum, munitus muro locus, VII, 9; ejus diminut. castellum, XXIII, 12; castra nautica, XXIII, 11, de statione navium.

Casus, infortunium, XVIII, 11.

Causam interponere, II, 7, causari, prætextu uti; interserere, I, 3; causam transferre, culpam, XV, 8; causam dicere, defendere se in judicio, VII, 4; causa capitis, judicium capitale, XIX, 2.

Celebrare, sc. funus, de officio exsequiarum, XX, 5.

Celebritas, frequentia, Præf.

Censor, XXIV, 2; censorius, qui aliquando censuram gessit, XXIV, 1.

Certus, fidus, IV, 2; 7, 10; certa dies, præstituta, XII, 3.

Chordæ, cithara, XV, 1.

Cibaria, XVIII, 8.

Ciconiæ in deliciis ciborum, fragm. X.

Circulus, XV, 3: cœtus vulgo coeuntium ac fabulantium, qui collatis capitibus videntur veluti orbem facere. Lipsius.

Citari auctorem, voce præconis declarari, proclamari, Præf.

Citharizare, canere cithara, XV, 2.

Civiles fluctus, XXV, 6; procellæ, XXV, 10: de bellis civilibus.

Civitas, quæ libertate usa est, ἡ δημοκρατουμένη πόλις, I, 8; civitatis alienæ esse, h. e. alienigenam, XVIII, 1.

Clandestina consilia, occulta molitio, XXIII, 2.

Classis communis Græciæ, II, 3; classi præficere, ἀρχιθάλασσον constituere, I, 4.

Classiarii, milites classis, I, 7.

Clava, XIV, 5.

Coarguere tyrannidem, cum exprobratione tyrannidis convincere, XV, 6.

Cogitare: quum cogitasset, facere audebat, XIV, 7. Cogitare distinguitur a facere, conari, ita ut consilium primo et deliberatio adhiberi, deinde maturari factum intelligatur. Ita cogitata, IV, 3, sunt molimina, quam vocem conjurationi et insidiis propriam notavit pridem Bernegg. ad Justin. XXI, 4. Alias idem est ac sentire: amice cogitare est φίλα τινὶ φρονεῖν, XXIII, 2.

Coire, conspirare, XVI, 2.

Colere, de cultu religioso, XX, 4; aliquem litteris, XXV, 20, fami-

liariter et sæpe ad aliquem scribere; colere aliquem, xxv, 11, in honore habere.
Collabefacere, III, 1 : de dignitate statuque aliquem depellere.
Collocare multitudinem in agris, 1, 2, deductis colonis assiguare, quos colant, et incolant, agros; collocare cui filiam, sc. in matrimonium, xxv, 19.
Comes gloriæ invidia, XII, 3.
Comitari, scil. funus, XVIII, 13; xxv, 22.
Come ingenium, facile ad audiendum præceptorem et artes capiendas, x, 1.
Comitas, civilitas cultus et affabilitas, 1, 8.
Comitium Spartæ, Xenophouti τὸ ἐφορεῖον, XVII, 4; comitia amicorum, xxv, 4.
Commendare alicui regnum, fidei alicujus committere, ejus curæ et tutelæ credere, XVIII, 2, dicitur ea vi, qua morituri necessitudines suas aliaque amicis commendare dicuntur; commendatio tanta oris atque vultus, VII, 1, de oratione commendata viribus actionis, ut loquitur Quintil. II, 3, naturalique vultus gratia et pronuntiandi excellentia valente.
Commissa celare, tacere fidei suæ concredita, xv, 3.
Commoda : adversus commoda populi stare, XIX, 4, pro crimine majestatis.
Commode saltare, εὐαρμόστως, εὐσχημόνως, perite, concinne, eleganter, et ad modos ac numeros apte, II, 10; verba facere, de eo, qui nativum linguæ leporem exprimit, II, 10.
Commovere se non sunt ausi, eleganter de molitione nefaria, cohibita atque veluti constricta, XVII, 6; commoveri, excitari ad rem accuratius agendam, XIV, 7; perturbari, XIV, 6; irritari, x, 2.
Communis infimis, xxv, 3 : popularis, δημοκρατικός.
Complecti, de luctantibus, xv, 2.
Composito, de industria, ἐκ παρασκευῆς, XIV, 16.
Conari, XIV, 7, ipsum actum notat, effectui rem dare; conata perficere, destinata : significanter, x, 8.
Conciliare servitutem civibus, xv, 5. Bœclerus hæc ita : blandiente otii titulo, paulatim civibus suis servitutem, quæ sub isto otio certa latet, veluti acceptam reddere; facere, ut quod omnium noxiosissimum est, veluti profuturæ tranquillitatis elogio placeat ameturque.
Conciliator nuptiarum, xxv, 12 : pararius, προξενητής.
Concilium amicorum, conventus, xv, 3.
Concinnus in brevitate respondendi, cujus breve responsum aptissime congruit, appositæ responsiones cum suavitate dicti notantur : ἀποφθεγματικὸς Græcis esset talis homo, xv, 5.
Concio populi, II, 1 : de judicio publico.
Concludere uno volumine, complecti, xv, 4; conclusio pro obsidione, XVIII, 5.
Concupiscere majora, IV, 1; alibi majores res appetere : de molitionibus elatorum et incivilium hominum, qui, suo statu non contenti, ambitiose res novas quærunt.
Concutere opes alicujus, labefactare potentiam, xv, 6.

Condiscipulatus, συμμαθητεία, xxv, 5.
Conditio, de pactione, xiv, 8; de facultate, xxv, 2; de matrimonio, xxv, 12.
Conditor urbium visus Timoleon, quia eas instauraverat, ac refecerat, xx, 3. Sic aliis condere urbem, gentem, imperium, est perpolire, corrigere, et quasi ex integro restituere: vid. Freinsh. ad Flor. 1, 3.
Conductitiæ catervæ, xii, 1; de mercenariis militibus, qui ferme delectui domestico opponuntur.
Conferre legem in perniciem civitatis, legi obsequendo perniciem patriæ afferre, xv, 7.
Conficere, colligere, xxiii, 10.
Confidere, plus est, quam sperare, cui opponitur, 1, 1.
Conflare bellum, xii, 2.
Confluere, de copia et studio concurrentium ad aliquem, vii, 6.
Conscripti patres, xxiii, 12, de senatu Romano usurpatur, qui tanquam solemni titulo ita compellari, vocarique consuevit: conscripti alias ii proprie dicebantur, qui a Bruto primum lecti in senatum, expulso regno, οἱ καταγραφέντες εἰς τὸ βουλευτικὸν συνέδριον; vide Liv. ii, 1; nec ignorari interim debet, etiam primos illos ab Romulo institutos centum senatores, πατέρας ἐγγράφους dici Halicarnasseo l. ii.
Consentire, conspirare, xiv, 5; consensio, conspiratio, vii, 3; globus consensionis, conspirantium, xxv, 8.
Consequi quid, xxiii, 10, perficere; consecuta est eum magna prosperitas, h. e. magnam adeptus est prosperitatem, xxv, 19.
Conservare simulacra, aras, honorem earum et jus tuendi supplices non imminuere, xvii, 4.
Consilium, στρατηγήμα, ars, prudentia, callidum et subitum inventum, quale est illud Themistoclis, ii, 6, et Datamis, xiv, 6; consilii mei non est, ix, 4, h. e. judicii et arbitrii in eligendo; in consilium dari, xiii, 3, de adjutoribus datis; ad consilium referre de re aliqua, dicuntur principes, aut duces belli, cum amicis et legatis ac tribunis deliberantes, xviii, 12.
Consobrina, xxv, 2.
Conspici: ut in neutram partem conspici posset, xxv, 13, h. e. ut in neutram partem notari posset, neque sordium, quia aderat modus, neque luxus, quia aberat superfluum: nempe conspici dicuntur, quæ velut eminent ac præ aliis notantur.
Constituere: constituendæ reipubl. triumvir, ordinandæ, instaurandæ, xxv, 12.
Consuetudo, xxv, 1: ὁμιλία, convictio, familiaritas.
Consulere sibi, ii, 8, prospicere, providere; rebus suis, vi, 2: bene notanda est ἔμφασις horum locorum, et phraseos indoles; quum enim de ultimo veluti remedio cogitatur, latine consulere sibi quis dicitur.
Contendere, de lucta, xv, 2: ad eum finem, quoad stans complecti posset, atque contendere. Erat duplex luctandi genus: erectum, quum stantes; volutatorium, quando jacentes etiam concertabant. Nobilius illud, vilius hoc et abjectius et conductitiorum athletarum proprium.

Mirum itaque non est, abstinuisse ab hoc Epaminondam, nec nisi ad eum finem, h. e. tantisper, pugnasse, quoad et quamdiu stans complecti adversarium et contendere cum eo posset.

Contentio, acris et ambigua deliberatio, I, 4.

Convenire hoc in illum videtur, ipsi hoc factum tribuendum videtur, suspicio hujus rei in illum competit, VII, 3; quæ convenerant inter regem Pausaniamque, de quibus pacti fuerant, IV, 4.

Conventus Arcadum, magnus Arcadum senatus, οἱ μύριοι, XV, 6.

Convertit se ad eum civitas, XXV, 8: spem libertatis et restituendæ reipublicæ omnem in illo posuit. Extat in somnio Scipionis, II, ap. Cic. locus, qui hujus est tanquam παράφρασις quædam: In te unum, atque in tuum nomen se tota convertet civitas; te senatus, te omnes boni, te socii, te Latini intuebuntur; tu eris unus, in quo nitatur civitatis salus.

Convictus, προσομιλία, XXV, 8.

Copiosa via, opponitur viæ desertæ, et mox explicatur, omnium rerum abundans, XVIII, 8.

Copula, ἱμὰς, lorum, quo ligantur canes venatici, XIV, 3.

Corona aurea Romanis a Carthaginiensium legatis donatur, XXIII, 7. Inter dona, victoribus aut præpotentibus cultus causa et gratulationis mitti solita per legatos, sæpe coronæ aureæ memorantur; cf. Curt. IV, 2. Coronis aureis donatur interfectus Pelopidas, XVI, 5: στεφάνους ἐπινικίους intelligit Paschal. de corona, II, 3; alias etiam in coronis mortuorum aureæ memorantur. Cic. pro Flacco, XXXI; Kirchm. de funer. I, 11: sed ex Plutarcho liquet, hic illas, non has intelligi. Corona facta duabus virgulis oleaginis, VIII, 4.

Corripere et complecti partes omnium, omnium potentiam ad se trahere, XVIII, 2; vel, ut Diodorus loquitur, l. XVIII, τῶν ἄλλων περιαιρεῖσθαι τὰς ἐξουσίας.

Corrumpere Delphos, sacerdotes oraculi Delphici, pecunia seu promissis, VI, 3.

Cullei, sacci, cum utribus, inter vasa militaria, trajiciendo amni, vel potius aquæ commodius portandæ, XVIII, 8.

Cultus domesticus, usus familiæ, XXV, 13; quotidianus, XXV, 14: hac voce notantur ea, quibus in externo paratu, famulitio, vestitu, et similibus indigent homines, aut utuntur.

Curatio, sc. morbi, XXV, 21.

Custos gazæ regiæ, XIV, 5; custodes corporis, σωματοφύλακες, XIV, 9; XVIII, 17; pontis, I, 3.

Custodia, captivitas, XVIII, 11; XIX, 3; V, 1; custodiæ imperium, XVIII, 11, tribuitur ei, qui carceris custodibus præest; custodia illa, I, 3, pontis tuendi cura.

D.

Damnari voti, XX, 5. Macrobius, III, Saturnal. II: Hæc vox, ait, voti reus, propria est sacrorum, ut reus vocetur, qui suscepto voto se numinibus obligat; damnatus autem, qui promissa solvit, adeoque compos voti factus.

Dare fidem, jurare, XIV, 10; ma-

num, victum se confiteri, XXII, 1; vela ventis, de navibus in altum provectis, XXIII, 8; veniam, annuere postulatis, II, 10; se, in gratiam alicujus facere, XXV, 9.
Dea pax, XIII, 2 : nam ethnici πάντα θεοποιοῦσι, præsertim τὰ νοητὰ, virtutes, vitia.
Debere, de eo quod fieri decet, IX, 4; X, 2; XXV, 4.
Debilitari, terreri, frangi, XIV, 6; imminui, XVII, 5; premi, collabefieri, XXIII, 1.
Debitum naturæ reddere, XXI, 1: περίφρασις mortis; nam, ut ait Flaccus, debemus morti nos nostraque.
Decedere, mori, III, 3, etc.; morte ex conspectu hominum, significanter de morte voluntaria, tædio ingratitudinis sumpta, XX, 1; de foro, publico abstinere et luce fori, XXV, 10.
Decernere exercitu, XVIII, 9; classe, XXIII, 10; acie, I, 4.
Decurrere in spatio, de equis exerceri cursu solitis, XVIII, 5.
Defensio, excusatio in judicio facta, XV, 8.
Dejerare, valde et sancte jurare, fragm. XII.
Dejicere : hoc dejecto, significanter, de eo, qui cecidit in prælio, VIII, 3.
Delecta manus, militum sc., I, 1; XVI, 4: non semper præstantiam notat hæc vox, sicut vulgo existimant, sed certos homines ad negotium destinatos nominatosque. Sic II, 3; III, 3.
Delegare, ablegare, remittere, XXIV, 3.
Demergere, deprimere, X, 6.
Depellere de provincia, de successore in regenda prov., XXIV, 2.
Deponere prius animam, quam odium, de inexpiabili odio, XXIII, 1: deponere odium usitatum, sed animam rarius; dixit tamen Propertius. Lamb.
Desperare, spem omnem abjicere, XVIII, 9; II, 10, etc.; desperati, abjecti, afflictique, XXV, 8; desperatis rebus provinciarum, quum diffisi essent provinciis, ibid.
Destitui ab aliquo, de rejectis precibus negatoque auxilio, VII, 5.
Deterior, ἀδυνατώτερος, inferior, infirmior, XVIII, 3.
Detrahere de aliquo, de invidiosa et obtrectatoria depressione, XII, 3.
Devertere, scilic. ex itinere in urbem, VI, 2. Sic enim leg. eo loco, non divertere; ita namque locutos Veteres, docet Dausquius in Orthog.
Devocare est, vocare de foro ad cœnam, V, 4: hoc sensu occurrit etiam apud Ciceronem, Horatium, etc.
Devovere aliquem, de publico devotionis ritu, VII, 4 et 6 : de verbo et more v. Brisson. form. 1, et Plutarch. in *Alcib.*
Devotio in pilis scripta, de elogio sive indice devotionis, VII, 4 et 6.
Deuti, pro abuti, XVIII, 11.
Dextra manus missa, fides per internuntium interposita, XIV, 10.
Diadema, regium capitis insigne, cum sceptro in sella positum, XVIII, 7. Ita solebat in aula fieri et tabernaculo regis: quem morem hic observare jubet Paschal. de coron. X, 10; ut imitatum intelligamus Eumenem usi-

tatum regni schema, reponendique et asservandi diadematis consuetudinem.
Dibapha Tyria, purpuræ genus, fragm. VIII.
Dicere, diserte, XV, 3; in dicendo exercitatus, XV, 5; dicendo valere, VII, 1; hæc vox proprie eloquentiam notat, et artem; dicitur matrem vixisse, IV, 5, græcism. Sic Diodor. Sic. XI, 45, λέγεται τὴν μητέρα πλίνθον ἀναθεῖναι, etc. Scioppius tamen latinam, sed ellipticam constructionem facit, ut plena phrasis hæc fuerit : dicitur (refertur) dictum, matrem Paus. vixisse.
Dictitare, crebro jactare, X, 7; prætendere, VI, 1.
Dictator, XXIII, 5 : græc. αὐτοκράτωρ, στρατηγός.
Difficillima natura, XXV, 5; asperitas.
Dignitati servire, XXV, 6, consulere existimationi et honori suo; dignitas magna corporis, X, 1, augusta corporis forma, consistens in magnitudine, proportione, et pulchritudine; honesta, XVIII, 11, mascula et viro digna pulchritudo; pro dignitate vivere, XXV, 2 : intelligitur hic dignitas vitæ exacta ad τὰ καθήκοντα.
Dilabi, fuga, et discessione, qua quisque potest salutem petere, VI, 2; de nuda discessione, XVIII, 3.
Diligentia, XV, 7 : φιλοπονία.
Dimicare de fama, de causa in judicio disceptanda, XIII, 4.
Dimittere, deponere, XX, 2; XXIII, 12; negligere, XVII, 8.
Diripere Lusitanos, de provincialibus prætoris rapinis, XXIV, 3.
Disertus, VII, 1; quid distet ab eloquente Cicero docet, Orat. I, 21 : Eum statuebam disertum, qui posset satis acute atque dilucide apud mediocres homines ex communi quadam opinione dicere; eloquentem vero, qui mirabilius et magnificentius augere posset atque ornare, quæ vellet, omnesque omnium rerum, quæ ad dicendum pertinerent, fontes animo ac memoria contineret.
Dispalata multitudo, XXIII, 5, palabundi et dispersi passim, vagantesque.
Dispensare pecuniam, IX, 4, de eo, quem ταμίαν Græci vocant, pecuniis cogendis administrandisque præfecto; dispensator aliquando dicitur : servile alias id nomen; v. Marcell. Donat. in Sueton. August. 67, et Buchneri thes.
Dissolvere, abrogare, gr. καταλύειν, VI, 3.
Dissolutus, neglectum legis, boni moris, existimationis significat, VII, 1; hæc dissolutio (ita enim vocat Treb. Poll. in Valer. jun.) contemptum parit; sicut flagitia et iniquitas principum, timorem; ut sententiose locutus sit Pollio, quum dixit : Non est quidquam ad audaciam malis, ad spem bonorum bonis promptius, quam quum vel malus timetur, vel dissolutus contemnitur imperator. In Gallien. c. V.
Divinus, XXV, 9, qui ea parte prudentiæ, quæ divinatio, sive providentia dicitur, valet, rectitudine, inquam, constantiaque consilii ac propositi.
Divinare de exitu, XVII, 6; divinatio est prudentia, XXV, 16;

divinatio appellanda est perpetua naturalis bonitas, xxv, 9.

Divum : sub divo, iv, 5, in aperto aere, non sub tecto.

Divus, ἀποθεοθεὶς, consecratus, absolute ponitur pro Julio Cæsare, xxv, 19.

Dodrans : ex dodrante heres, xxv, 5 ; novem partes hereditatis intellige, quum dodrans novem partes s. uncias assis, ex XII sc. constantis, significet. Nam assis vocabulo hereditatem totam ; XII partibus assis, partes hereditatis appellari, omnes noverunt.

Dolor desiderii, ex desiderio conceptus, xxv, 4 ; tantum indulsit dolori, ut eum pietas vinceret, xxi, 1 ; sensus : indignatione justa in scelus matris et vindictam ita exarsit, ne oblivisceretur interim, matrem esse, super cujus facinore doleret ; igitur filii officio animoque dolor irritati conjugis est coercitus.

Domesticæ res, vires propriæ, intestinæ, xxiii, 10.

Domicilium imperii orbis terrarum erat in ea urbe, xxv, 3 : de Roma ; quasi fortuna imperii ibi habitaret. Tac. caput rerum, I A. 47 ; urbs unde in omnia regimen, III A. 47 ; Cic. domicilium imperii atque gloriæ, I de Orat. 23 ; Flor. destinata hominum ac Deorum domicilio civitas, I, 13. Id. imperii sedem caputque terrarum vocat, I, 7.

Dominatio, de intemperantia, qua in alios affectatur imperium, II, 7 ; de imperio vi capto occupatoque, adeoque de tyrannide, I, 3.

Dominatus, pro αὐτοκρατεία, opposit. regno, quod nomine tale est, non potestate, xxi, 1.

Domus, pro loco domicilii, I, 2 ; domi bellique, vii, 7 ; pro patria, xxiii, 8 ; pro familia s. gente, xviii, 6 ; II, 9.

Dubito an, eleganter pro dubito an non, viii, 1.

Ducere feram bestiam, vinctam agere, xiv, 3 ; existimare, credere, vii, 7 ; xx, 2 ; protrahere, xiv, 8 ; II, 7 ; duci adversus aliquem, sc. militatum, xviii, 3 ; impelli, moveri, v, 1 ; teneri, xxv, 12 ; ad mortem, xix, 4.

Ductus, opera in gerendo administrandoque bello, iv, 1 ; xiv, 5 : differt ductus ab auspiciis ; quippe quæ ad summam fati et fortunæ pertinent ; interdum tamen conjunguntur, ubi idem auctor actorque.

Dux manus, qui parti copiarum præest, xvi, 4 : opp. imperatori, qui totis ; duces mari, θαλαττοκράτορες, quibus summa belli maritimi commissa est, xiii, 2.

Dynastes Paphlagoniæ, xiv, 2 ; dynastæ alias etiam reguli vocantur, sicut ipse Nepos, xiv, 3, nobilem regem : distinguuntur a magistratu et civitate, neque aliud quid sunt, quam toparchæ. Alex. Genial. dier. iv, 23, Paphlagonum dynasten, cum Cappadociæ satrapa, exarcho Longobardorum, Cretensium Cosmis cet. comparat.

E.

Edere in vulgus, vulgo rumorem spargere, xiv, 6.

Efferre, asportare, xv, 4 ; evehere, x, 6 ; vii, 11 ; funerare, xviii,

4, etc.; efferri, insolescere, in superbiam corrumpi, IV, 1; divulgari, X, 8.

Effusi honores, largi nimium, et conjuncti cum prodigalitate, I, 6; effusæ largitiones, immodicæ, XXV, 6.

Elaborare cupide, niti, contendere, III, 1.

Elegans, non magnificus: fit oppositio inter cultum domesticum, vel cum modo et munditie, vel cum sumptu et splendore dispensatum, XXV, 13.

Elephantus ornatus, XXIII, 3.

Eloquentia antistat innocentiæ, i. e. superat eam, valet contra eam, III, 1.

Elucescere virtutibus, inclarescere, IV, 1; elucet ex his illud, illud potissimum et ad gloriam illustre est, XII, 1; eluxit eloquentia ejus, XV, 6, illustri argumento cognita est.

Eminere altius, honoribus, potentia, XII, 3.

Enumerare familiam, de genealog. XXV, 18.

Enuntiare, revelare rem secretam, IV, 4.

Ephemeris, XXV, 13; diurnum Latini vocant: significat hic libellum quotidianarum expensarum et erogationum. Aliud signific. diurni commentarii apud Suet. Aug. 64, in quos etiam dicta et sermones annotabant.

Ephori Lacedæmoniorum, II, 7, de horum potestate et officio v. Nic. Cragium de rep. Laced. l. II, c. 4; add. Ubb. Emmii tom. III Græciæ vet. pag. 122 sqq.; Arnis. de rep. II, 6, 2 sqq., et Meurs. Miscell. Lacon. II, 4.

Epigramma, inscriptio, titulus, elogium; qualia donis addüntur, quæ Diis sacrabant, IV, 1.

Erexit eum hæc contumelia, i. e. ad industriam et emendationem excitavit, exacuit, II, 1.

Evadere: timeo quorsum hæc evadant, quem eventum habitura sint, X, 8.

Evocare, accire, ad se vocare, IX, 11.

Exadversum, e regione, II, 3; exadversus, cum obsistendi significatu, VIII, 2.

Exagitatus a Græcia, II, 9; Thucyd. διωκόμενος ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων· metaph. a venatoribus, qui exactam cubilibus suis feram nullibi patiuntur consistere, donec in potestatem veniat.

Exanimari, de moriente, XV, 9.

Exardescit bellum, XXII, 2.

Excedere pugna, desistere, XV, 9.

Excipere has partes, in se suscipere negotium, X, 8; eleganti translatione a scena sive histrionibus, quorum hic vel ille hujus vel istius ὑποκειμένου partes excipit atque agit.

Excogitare, respondet Aristotelico ἐξευρίσκειν, quo facultas expediti in actu civili consilii notatur, II, 1; excogitatum est a quibusdam, de singulari invento firmandæ molitionis cujusdam, XXV, 8.

Exemplum devotionis, i. e. formula descripta, ἀπόγραφον, VII, 4; exemplis rerum doocere lectores, XXV, 19: notatur applicatio παραδειγμάτων καὶ νοημάτων ad χρήσεις γνωμικὰς καὶ πρακτικάς, in quo præcipua historiæ philosophia consistit: ut ostendantur, inquam, officiorum fontes commemoratione actuum ex officio

profectorum, i. e. exemplorum moralium.
Exhaustus, cui pecunia deest et instrumenta belli cetera, VII, 8; XXII, 1; consumptus, XXIII, 6; metaph. a fontibus et puteis desumpta.
Exheredatus, pro abdicato ob vivendi licentiam et dissolutionem, II, 1. Alias abdicat pater filium, dum vivit; exheredat post mortem.
Exiguus, XVII, 8; significat tenuitatem, gracilitatem, maciem, et opponitur pinguedini.
Exiles res, tenues, calamitosæ, de difficultatibus a fortuna adversante objectis, XVIII, 5.
Exitus, de fine vitæ, XIX, 4; XVIII, 13; ædificii, de foribus, XXIII, 12.
Existere, cooriri, VII, 3.
Expedire rem, de ancipiti negotio, XVIII, 9; expedire se, de eo, qui multitudine circumventus est, XVIII, 5; de eo, qui locorum angustiis clausus est, XXIII, 5; expedita ad dimicandum manus, XIV, 6: intellige, facultatem dimicandi non impeditam loco aut præcisam.
Expensum sumptui ferre, expensos sumptus in commentarium referre, XXV, 13.
Expers consilii, non conscius, XVII, 6; litterarum Græcarum, ignarus hist. et rer. Græc., Præf.; periculi, immunis, XXV, 2.
Explorare, in rem præsentem venire, II, 7.
Exponere, enarrare, cum quarto casu. Præf.; cum sexto atque præpos. *de*, X, 3; XVI, 1, etc.; aliquem e nave, verbum nauticum, II, 8.
Exposcere aliquem, petere ut dedatur, XXIII, 7.
Exprimere imaginem vitæ, de βιογράφῳ, XV, 1.
Exsplendescere clarius, vox valida et efficax, ad radios ingenii et præcellentiam se erumpentem, XXV, 1.
Exstare, durare, conservari, manere, XX, 2.
Exstinguere, e medio tollere, XXV, 9; aliquos, sc. oppugnando perdere, XVII, 5; contumeliam industria, veluti redimere, aut memoriam contumeliæ delere, II, 1.
Exsultare, de equis, verberibus ad subsultandum coactis, XVIII, 5: oppon. remittere calces, ibid.
Externum malum, de bello externo, XXII, 2.
Extremo bello, pro fine belli, IX, 1.

F.

Fabrum præfectus, qui fabris præfuit et machinis bellicis, XXV, 12.
Factio: sine factione amicis officia præstanda existimabat, XXV, 8; i. e. sine pactione et conspiratione occulta.
Facies: pro forma et modo totius corporis, XVII, 8.
Facilitas gravitati mixta, XXV, 15.
Fallere verbo, falsi tituli specie, XV, 5.
Fastigium, oppon. periculum, XXV, 1; fastigio pari stare in utraque fortuna, nec altius se efferre, nec demissius gerere, XXV, 14.
Fatigare lectores, VI, 2; fatigari fame, XVIII, 12.
Fautor optimatum, VII, 5; natura fautrix, XVII, 8: oppon. malefica, ibid.
Felicitas quid sit, fragm. V.

Ferocia, de animosa elatione, XXII, 1.
Ferocior, animosior ad bellandum, II, 2; ferocius, elatius, arrogantius, XVIII, 11.
Ferus, durus, immobilis, implacabilis, VII, 6.
Ficta dona, fragm. V.
Fictilia vasa, XXIII, 10.
Fidenti animo, XXII, 3: de eo, qui ex successu animosus est.
Fiducia nimia magnæ calamitati solet esse, XVI, 3: intell. securitas ex confidentia.
Fidus: pacem non fidam futuram putabat, non servatum iri, XIV, 8. Ita fidus non tantum de homine, sed et de iis, quæ sunt hominis, et ad hominem pertinent, dicitur: qualis epitheti translatio in omnibus linguis est frequens.
Figura venusta, de congruo totius corporis habitu, XVIII, 11: opp. hic magno corpori.
Fingere fortunam sibi, XXIII, 11, fingere se, effingere suos mores in rectitudinem officiorum vitæ, ibid.
Firmæ copiæ, respectu peritiæ bellandi, indurata bello manus, XVIII, 3; firmæ vires, de eo, qui invictus laboris, operis, etc., XVIII, 11.
Fistula putris, XXV, 21: al. paris legunt.
Flagitium: cum flagitio domum redire, cum dedecore ex armis relictis, XXII, 1: proprie vox militaris est.
Florere, de potentia et excellentia imperii, XVIII, 1; rebus quibusdam, gestorum gloria, V, 3; florens, adhuc vivens, superstes, XXV, 11.
Fœnus, de usuris, XXV, 9.
Forma imperatoria, imperatore digna, XI, 3.
Fors, pro casu, XVI, 2.
Fortuna non simplex; XX, 1, varia, vel utraque, ut alibi; fortunam suam occulere, VII, 9, statui suo et celebritati latebras quærere tum famæ tum securitatis.
Forum: in foro esse cœpit, XXIV, 1, fori studiis et civilis actus rudimentis operam dare.
Frangere: Corcyræos fregit, bello debilitavit, vicit et victis superbiam ademit, II, 2; de abjectione animi, II, 1; frangi cura, vehementer angi: de ægritudine animi, X, 7.
Frequens: frequentior familiaritas, de crebriore convictu usuque, XXV, 19; frequentissimus conventus legationum, de magno consessu et numero, XV, 6; frequentia vulgi maxima, de comitatu funebri, XXV, 22.
Fructus rei familiaris, lucrum, commodum, quo res familiaris augeri potest, XXV, 6; fructus, hortorum et prædiorum, V, 4; fructus pietatis, præmium, XXV, 5; fructum oculis capere, delectationem, XVIII, 11.
Funus militare honestumque, XVIII, 13; amplum, XVIII, 4.

G.

Galea venatoria, XIV, 3.
Gazæ regiæ custos, XIV, 5. γαζοφύλακες, γαζοφυλακοῦντες appellantur illi Persarum præfecti. Briss. de regn. Pers. l. 1.
Gener, pro marito sororis, IV, 1.
Genere Græcus, I, 3, vocatur, qui genus quidem ex Græcis ducit,

domo tamen et patria Græcus non est.
Generosus, nobilis, II, I; V, I; generosa fama majorum, fama ex majoribus generosis, X, I; generosi condiscipuli, γενναῖοι, animo erecto excelsoque præditi, XXV, I.
Germana soror, consanguinea, eodem patre nata, sed non eadem matre, Præf., et V, I.
Globus : sic ille consensionis globus, hujus unius dissensione disjectus est, XXV, 8.
Gloriosum, ἀλαζονικὸν, XX, 4.
Gradus, sc. honoris et amicitiæ, XVIII, I; XIX, 2; imperii secundus, de proxima a rege dignitate, IX, 3.
Græcæ litteræ, de lingua Græca, XXIII, 13; pro historia Græca, Præf.
Grammatici quinam Græcis dicantur, fragm. VI.
Gravitas Lacedæmoniorum in suspendenda, dum res penitissime exploraretur, fide, IV, 4.
Gubernator sc. navis, XII, 4 : propria nauticæ rei vox.
Gymnasium Timoleonteum, XX, 5.
Gynæconitis, Præf. Gr. γυναικωνίτης, s. γυναικωνῖτις, locus in ædibus, solis mulieribus ad habitandum datus : cf. Vitruv. VI, 10.

H.

Hemerodromi, gr. ἡμεροδρόμοι, I, 4, cursores diarii : nobis Eilboten. Liv. XXXI, 21, interpretatur, ingens die uno cursu emetientes spatium.
Heredium, XXIV, I, prædium parvulum, teste Festo. Varro, l. I de RR. c. X, bina jugera, quot a Romulo primum divisa dicebantur viritim, quæ heredem sequerentur, heredium appellarunt.
Hermes Andocidis, VII, 3 : Hermæ statuæ erant Mercuriales quadratæ sine manibus et pedibus, de quibus vid. Thucyd., l. VI, et ejus scholiasten.
Hetærice, XVIII, I : ἵππον ἑταιρικὴν Arrianus passim vocat, h. e. equitatum amicorum ad corporis custodiam delectorum.
Hiems, pro tempestate, XXV, 10.
Hierophantes, XVI, 3, genus sacerdotii Atheniensis.
Hirta tunica, hirsuta, hispida, XIV, 3.
Historia et vita opp., XVI, I : illa est scriptio publico rerum actui aptior, ideoque instructior; hæc privatim moribus servit, ideoque simplicior.
Honor regni, pro ipso regno, XVII, I; honoris corona, VIII, 4.
Hospitium, V, 3; hospitio alicujus contineri, esse inter hospites, VI, I.
Humilis, vilis, XVII, 8; humile, infra dignitatem honesti viri positum, Præf.

I.

Ignorantia bonarum rerum, ἀβελτερία, XVII, 8.
Imaginem consuetudinis atque vitæ alicujus exprimere, XV, I, mores et vitam alicujus describere.
Imbui cupiditatibus, X, 4.
Imitari consuetudinem gentis, VII, II, moribus ejus vivere.
Imminere, moliri oppressionem, XVIII, 10.
Immodestia, de licentia militum et dedignatione parendi, VI, I; VII, 8.
Impedimenta, VIII, 2, significa-

tione militari, pro sarcinis, instrumentis, vehiculis ipsisque jumentis, quæ expeditionum necessitatibus et vecturis inserviunt.
Imperium majus, I, 6, de prolatis finibus; singulare perpetuumque, monarchia, XXI, 2; quibus singulis ipsarum (earumdem, quarum principes erant) urbium perpetua dederat imperia, I, 3, de tyrannide principibus a Dario concessa; imperii summam tenere, præesse cum perpetuo imperio, ib.; neque id magis imperio, quam justitia, consecutus est, non tam potestate jurisdictionis, quam æquitate administrationis, I, 2.
Impetus, repentina oppressio, VII, 8; incursus, XII, 1.
Impius, de fratricida, XX, 1.
Implicitus magnis rebus, IV, 4, ex difficultate cœptorum in varias emergendi angustias conjectus.
Impotens dominatio, de intemperantis imperii insolentia et abusu potestatis, VI, 1.
Inclinatæ jam erant tyrannorum copiæ, fugam spectabant, XVI, 5.
Incurrentes, qui in hostem impetum faciunt, XII, 1.
Index, qui rem defert, IV, 4.
Indicium, narratio, manifestatio, IV, 4.
Indignari, indigne ferre, XVIII, 1; X, 4.
Indulgere alicui, favoris honorisque significatu, quem exhibemus viro bene merenti, X, 2; de creditoribus solutionem debiti non urgentibus, XXV, 2; de dissoluta educatione, X, 4; dolori, ejus impetum sequi, obsequi dolori, XXI, 1; indulgere sibi, licentiæ significatu, VI, 1; sibi liberaliter, splendidius vivere, XII, 3; indulgens pater, in laude pos., XXV, 1; indulgentia in suos, XXV, 7: nam hæc vox significanter de affectu necessitudinum, et facilitate συγγενικῆς ὁμιλίας usurpatur.
Industria, φιλοπονία, XXIV, 3.
Infamatus, vituperatus, VII, 11.
Inferre bellum in It., bello Italiam petere, XXII, 4; signa in hostem, in hostem ire, XIV, 6; mala in domum alicujus, vexare, detrimentis afficere domum, II, 9; inferri aliquo dicitur corpus mortui, sepeliendum sc., IV, 5.
Infinitum bellum, inexpiabile, implacabile, XIV, 10.
Infodere, de sepultura, IV, 5.
Innocentia, abstinentia, continentia; opp. avaritiæ, III, 2.
Inservire studiis gentis, imitari mores et consuetudinem, VII, 11.
Insolens, de elato sermone, XX, 4; tantum abfuit ab insolentia gloriæ, ut etc., XVII, 5: gloria h. l. est ipse sensus gloriæ ex re bene gesta, ex quo facile oritur elatio insolens et insultandi libido.
Instituta, mores, Præf.
Insuetus male audiendi, de eo qui sinistre de se opinantes ægre fert, X, 7: nec tam assuetudinem, quam patientiam negat.
Intemperantia, immodestia et licentia militum, XVIII, 8; παρανομία, incivilis elatio, III, 2.
Intercedit cupiditas major (h. e. vehementior impetus animi cupientis) in hac re, intervenit consiliis melioribus, X, 1.
Intercipere, XI, 2, in via præter opinionem deprehendere, opprimere, delere.

Interdici non poterat socero gener, contubernium et convictus generi, XXII, 3.
Interior pars ædium, Præf.
Internecio: ad internecionem gesta bella, XVIII, 3, ad partis aut partium interitum: ἀσπονδοι πόλεμοι.
Interponere causam, II, 7; alibi interserere, I, 4; προσφασίζεσθαι, prætextu uti; interponere, de judicio sententiaque scriptioni inserta, XVI, 3; se, ope sua intervenire, XXV, 2 et 9.
Interpretari, rationem rei reddere, XXV, 3.
Intestabilis, detestabilis, exsecrandus, fragm. II.
Intestinus, domesticus, interior, XXII, 2.
Intueri non æquo animo fortunam alienam, invidiæ περίφρασις, XII, 3.
Invehi multa in aliquem, XV, 6; nonnulla, XX, 5; alicujus exagitandi ergo probra spargere: ubi simul multa et nonnulla in quarto casu Græcorum imitatione usurpata observabis.
Inventum, strategema, XII, I.
Invidiæ crimen, ex invidia impositum, sive, ubi invidia pro crimine sufficit, VII, 4.
Invocati, non vocati ad cœnam, V, 4.
Ire in jus de re aliqua, XXV, 6, notat disceptationem rei et litigationem apud judicem.

Janua: puer ab janua prospiciens, XXIII, 12. Pignorius de serv. p. 214, existimat, puerum ab janua dici, quomodo a litteris aliquem esse dicimus.
Judicium: ille sui judicii, etc., homo αὐτογνώμων, XXV, 10, in bonam partem, qui suo potissimum judicio sibi standum ea temporum perturbatione intelligebat.
Judicia privata, II, I, quæ in privatis, non communibus reipublicæ causis versabantur.
Jumentum, de equis, XVIII, 5.
Jussu populi, formula δημοκρατικὴ, XIII, 4.
Justus, cognom. Aristidis, III, I; justus tyrannus, de Miltiade, qui potestatem neque per vim ceperat, neque immoderate gesserat, I, 8.
Justitia, pro æquitate civilis animi ac ἰσονόμου, III, 2.

K.

Kalendæ, pridie Kal. Apr., XXV, 22.

L.

Labor animi, contentio, VII, I; opp. remittere se, ibid.
Lædere pietatem, XX, I.
Lapis, de milliario, XXV, 22.
Largitudo, fragm. VII.
Lautus eques Rom., XXV, 12, pro divite.
Laxare vincula epistolæ, IV, 4.
Lecticula elatus Atticus, XXV, 22, sc. funebri, quæ λέχη Græcis; ea nobiliores et ditiores, ceteri sandapila efferebantur: cf. Kirchm. de fun. II, 9.
Lectoris satietas et ignorantia, XVI, I: quarum hæc sc. ex nimia brevitate, illa ex multitudine.
Legationis jus sanctum ap. omnes gentes, XXI, 5; legatio, per metonym. de legatis, XV, 6.
Lenire invidiam obsequio, X, 6, mitigare.
Levare inopiam alicujus, XXV, 2, sublevare.

Lex de prohibendis sepultura proditoribus, II, 10; lex ἀμνηστίας, VIII, 3; lex de non retinendo ultra præfinitum tempus imperio, XV, 7; lege agere cum aliquo, mox legibus experiri, XX, 5, legitimis actionibus experiri: sicut enim ejus, qui jus reddebat, est jus dicere; ita is, qui jus suum persequebatur, et aliquid eorum, quæ lege continebantur, apud prætorem, aut jus dicentem, in jure obibat, lege agere dicebatur: cf. Brisson. v form. et Sigon. de judic. I, 7 et 9.

Liberator patriæ, X, 10.

Liberalitas temporaria, callida, XXV, 11: quæ spectat tempus, captat felices, et temporis causa largitur, tempori et fortunæ accommodat benignitatem.

Liberaliter polliceri, prolixe, ample, VI, 4.

Liberius vivere, de licentia morum, II, 1.

Libertas, δημοκρατία, XX, 3; I, 8; VII, 3.

Librarii, XXV, 13, servi, quorum opera in exscribendis et curandis libris Veteres utebantur.

Licentia civium immoderata, notatur intemperantia libertatis, τὸ ὀχλοκρατικὸν ἐν τῇ πόλει, VII, 4; licentia inveterata, de militarem disciplinam dedignantibus, XVIII, 8.

Linteæ loricæ, XI, 1.

Litteris coli ab aliquo, de familiaritate epistolaris commercii, XXV, 20.

Litterati quinam olim dicti, frag. VI.

Litteratissimi pueri, scil. servi, XXV, 13.

Lotus arbor, fragm. X.

Lucrum: ille universa (quæ Alcibiades bello Peloponnesio gesserat) naturali quodam bono (h. e. singulari naturæ felicitate) fecit lucri (effecit, ut ipsi sc. Thrasybulo, non Alcibiadi, collegæ ejus, præclare gesta tribuerentur), VIII, 1.

Lumina oculorum, pro oculis, XX, 4.

Lupo, pisci, præcipua auctoritas in cibis, fragm. X.

LLS., XXV, 4. Sestertium Antiqui his modis exprimunt, IIS., HS., LLS., duarum librarum et semissis charactere; superposita lineola, millenarii index, sestertium in neutro significat. Vide Budæum et Glareanum de asse, et præsertim tabulas Scioppianas.

M.

Maculare gloriam belli magnam turpi morte, IV, 5.

Magister equitum pari ac dictator imperio, XXIII, 5: per turbulentas rogationes ita acciderat; alias enim dictatoris imperio parebat.

Magistra vitæ philosophia, fragm. V.

Majestas imperii, XVI, 2, de summo imperio, quod penes Lacedæmonios et terra et mari erat.

Maleficam naturam in corpore fingendo nancisci, XVII, 8, de errore ac deformitate naturæ in corpore; opp. habere naturam fautricem, ibid.

Malum externum, bellum cum hoste externo, XXII, 2.

Manceps, XXV, 6, qui a populo aliquid emit, conducitve: ejus rei quoniam sublata manu indicium facit, seque auctorem profitetur, manceps dicitur; conf. Sigon. de antiq. jur. c. R. II, 4.

Manubiæ, v, 2 : prædam, sive pecuniam ex præda redactam intelligi ostendit Gellius, xiii, 23.
Manus : aliquem ad manum habere, ministerio alicujus uti, xviii, 1 ; manum dâre, de victis et succumbentibus, xxii, 1 : est autem translatio a gladiatoribus ducta ; manus aliquo porrigere, de extorsionibus, quibus exhaustum immodicis sumptibus ærarium repletur, x, 7.
Maritima villa, xxv, 14 ; civitates maritimæ, ix, 4 ; maritimum imperium, iii, 2 ; maritimi prædones, piratæ, ii, 2.
Marmoris crusta primum parietes operuit Mamurra, fragm. x.
Medimnus, Græcorum mensura, Romanos sex modios capiens, xxv, 2.
Mel cadaveribus circumfusum, conservabat ea a putredine, xvii, 8.
Mens, propositum, consilium, xvi, 1, etc.
Mensa secunda, xvii, 8 : bellaria intelliguntur, quæ post alios cibos convivis, jam cibo potuque satiatis, apponebantur, ad eorum appetitum quasi denuo excitandum.
Mentio, de tota expositione vitæ, xv, 4.
Mercenarii scribæ, non sine nota vilis animi et operæ : hæc vox honestis ac industriis viris, qui fidem potius, quam lucrum spectant, majorumque rerum actores sunt, opponitur, xviii, 1.
Metalla, fodinæ metallicæ, ii, 2 ; v, 1.
Metiri, æstimare, xviii, 1.
Migrare, non ex vita, sed ex domo in domum videbatur, de Attico in morte constantiam vocis atque vultus servante, xxv, 22.
Minuere, violare, xvii, 4.
Mirabilis cupiditas, vehemens, ingens, i, 5.
Miscere plurima, de seditiosis et turbulentis molitionibus, iv, 1.
Missu ephorum, xvii, 4, mittentibus ephoris.
Mobilis, inconstans, xiii, 3 ; mobilitas fortunæ, x, 6.
Moderata vita, civilitatis nomine et bonitatis, quam alibi vocat, xiii, 4.
Modestus, κόσμιος, xv, 3.
Modestia, civilis communique sensui et legibus congruens animus intellig., i, 1 ; de civilitate obsequii in patriam, xvii, 4.
Modius, xxv, 2.
Mœnia lignea, ænigmatice de navibus, ii, 2.
Monumentum, sepulcrum, xxv, 22 ; monumenta, indicia rei memoriam conservantia, ii, 10 : a monendo enim deducit Varro.
Mora Lacedæmoniorum, xi, 2 : Moræ Laconum erant cohortes 500, aut 700, aut 900 militum.
Mos majorum, xvii, 1 ; more majorum petere honores, xxv, 6, sine fuco et fallaciis, ut Cicero explicat : provocabatur autem in plerisque rebus, cum pondere et proverbiali veluti formula, ad morem majorum, i. e. instituta inde a majoribus propagata ; morum similitudo plus valet in amicitia, quam affinitas, xxv, 5 ; morum præfectus, xxii, 3, magistratus publicus, censor ; fortunam sui cuique mores fingunt, xx, 11 ; mos crudelitatis, de crudelitate ipsa, viii, 3.
Movere se, sc. ex pristina habita-

tione, XVIII, 6; movere, persuadere, II, 4; moveri quæ possunt, bona mobilia, quæ vulgo dicunt, II, 2.

Municipium, XXIV, 1 : colonias inter et municipia hoc interesset, quod coloniæ, verba Gellii sunt, ex civitate Romana quasi propagarentur, municipia in civitatem extrinsecus vocarentur.

Musica, Præf.; musice a principis persona abest, XV, 1.

Mysteria facere, VII, 3, Cereris sacra arcana : alio nomine Initia : vid. Justin. V, 1.

N.

Natu magno, ætatis notione, IV, 5.

Nativus lepor, de pura et inaffectata sermonis gratia, XXV, 4 : oppon. adscitus.

Natura videtur experta in hoc, quid efficere possit, VII, 1 : ponitur hic natura, tanquam effectrix rerum; sic natura fautrix, propitia, XVII, 8; natura difficillima, ingenium difficile, XXV, 5; neque id natura solum fecit, naturali ingenii propensione, XXV, 17; naturale bonum, VIII, 1, naturalis quædam gratiæ apud omnes obtinendæ felicitas.

Nautica castra, XXIII, 11, non statio militaris navium, sed præsidia in proximo littore collocata intelliguntur, quæ navium stationem e terra tuebantur, et vallo fossaque in semicirculum ductis cincta erant.

Navis triremis, X, IV; oneraria, II, 2; longa, ibid. Onerariæ naves, ὁλκάδες, serviebant commeatui transvehendo. Bellicarum navium maxime eminent naves longæ, respectu scil. onerariarum, quæ latiore ventre et rotundiores, et ex longis triremes, dictæ juxta numerum transtrorum et remorum, supra se invicem locatorum, serie tamen fortassis non directa; vide Savilii milit. Rom. p. 66, 70, et Gyrald. de navigiis. Navis dominus, II, 8. Thucyd. et Polyæn. ναύκληρον vocant : sed Themistocles, ep. XIX, pariter ut Nepos, τὸν δεσπότην τῆς νεὼς, idque rectius; fuit enim navis, qua Themist. vehebatur, ut ex iisdem scriptoribus cognoscimus, ex eo genere, quod Græci ὁλκάδας vocant, ac, ut videtur, alicujus mercatoris.

Necessarius homo, significatione propinquitatis, de socero, XIV, 6.

Necessitas, de urgente calamitate, II, 8.

Necessitudo, affinitas, X, 1; XXV, 19; necessitudo sortis, XXIV, 1 : collegarum sorte lectorum consensio, et vinculum conjunctioque notatur.

Nitidus, pinguis, XVIII, 5.

Nomen nobile, fama clara, I, 8; nomen Romanum, cum granditate quadam pro populo, XXIII, 7; nomen regium, titulus, XVIII, 13; nominatim, expresso nomine, I, 1.

Nova res, insolita, XIV, 6; novitas ornatus, insolentia, XIV, 3.

Nox prima, vigilia prima, XVIII, 9.

Nudare vagina telum, distringere, XIV, 11.

Numen Deorum, XVII, 2; XX, 4 : notat hic auspicium, curam, πρόνοιαν; in priore loco pro ipsis diis potest capi.

Nuptiæ, pro matrimonio, XXV, 5.

Nutu ejus geruntur omnia, i. e. arbitrio, placito, VI, 2.

O.

Obducta nocte, XXIII, 5 : obscuram, nebulosam, non serenam explicat Lambin. quemadmodum Horatio Epod. XIII frons obducta dicitur; verum potius obduci hic nox dicitur, ut in Georg. Virgilii obtendi.

Objectu illo repentino viso, i. e. objecta specie oculis, XXIII, 5.

Obire diem, mori, X, 10; integre obire diem supremum, I, 7, etc.

Obnixo genu scuto, i. e. obnixo in scutum, obfirmato genu ad scutum, XII, I.

Obruere, terra operire, infodere, XIV, II; obrui vino, epulis, X, 4; vitiis, IV, I.

Obsequi studiis suis, iis cum studio et opportunitate inservire, XXV, 2.

Obsequium, civilitas, comitas, indulgentia, X, 6.

Observantia, de ea, qua quis perofficiose et peramanter alios observat, XXV, 6.

Obsoletus honor, spretus et vulgatus, I, 6.

Obstare consiliis alicujus, propositum intervertere, X, 9.

Obterere laudem virtutis, XX, I, includit significatum contemptus ac suppressionis.

Obtigit ille quæstor Scipioni, XXIV, I : ita sæpe Rom. auctores, de magistratibus sorte datis.

Obtinere locum eumdem, idem officium gerere, XVIII, I.

Obtrectare inter se, non æmulari tantum, sed adversari sibi mutuo, detrahere, III, I : ζηλοτυπεῖν Lamb. exponit; sic enim Cic. Tuscul. quæst.: Obtrectatio est ea, quam intelligi zelotypiam volo, ægritudo ex eo, quod alter quoque potiatur eo, quod ille ipse concupierit.

Obtrectator, ἀντιτασσόμενος, mox adversarius in administranda republ., XV, 5.

Occasus, mors, XVIII, 13.

Occupationes infinitæ, negotia, XXV, 20.

Occurrere rei, mederi, XVI, I.

Odiosa multa delicate jocoseque facere, VII, 2.

Offendere, deprehendere, XVII, 2; offensus fortuna, casu obvius, 5, 4; offendere, peccare, labi, XIX, 2; aliquem, iratum sibi reddere, XXV, 7.

Officinæ armorum, XVII, 3.

Officio tribuere aliquid, honesti rectique studio facere, XXV, 6; officium, de obsequio imperantibus debito, I, 7, etc.; officia præstare alicui, tanquam civis civi et magistratui, cum nota obsequii erga imper., I, 2. Significatus benevolentiæ et promptæ humanitatis, ac per hæc præstitæ operæ, in isto : officium suum præstare, sc. in judicio, XXV, 9; et alibi; officia urbana, quæ in urbanis negotiis Romæ in foro, comitiis ceterisque rebus gravioribus præstari solent, XXV, 4.

Oleaginæ virgulæ, et ex iis coronæ, VIII, 4, victoriæ symbolo oblatæ : nam a ludis Olymp. ad seria transferri ejusmodi res, usitatum et elegans.

Olympiæ victor, Præf.

Onyx, fragm. VIII.

Opsonium, II, 10; XVII, 8.

Optimatium causam agere, de factione aristocratica, XIX, 3; ita optimatium fautor, VII, 5.

Opulentes, XII, 3 : Veteres enim promiscue opulens et opulentus dixerunt.

Ordiri reliquos, vitam reliquorum exponere, VII, 11.
Ordinem suum uterque retinebat, de ambobus regibus Spartanis, quorum ille ex Procli, hic ex Eurysthenis familia semper surrogabatur, XVII, 1.
Origines Catonis, XXIV, 3; laudatæ Ciceroni in Bruto, XVII.
Ornare arcem, exstruere, κατασκευάζειν, ut Plutarch. loquitur, V, 2; magistratus, volumine edito sc. de magistratibus, XXV, 18: nisi malis cum Vossio et Barthio legere ordinare; ornatus elephantus, instructus ad pugnam, XXIII, 3: sic Gellius, V, 2, ornatus armatusque ad prælium equus.
Ornamentum, honores, dignitates, opes, XXV, 7.
Os, VII, 1; XXV, 1; pro loquela et pronuntiatione.
Ostracismus, V, 3.
Otium, pax, XX, 3; XXII, 2; XV, 5.

P.

Pactio, induciarum sc. juramento sancita, XVII, 2.
Palæstra quomodo utendum, XV, 2: palæstra vocatur, quæ alias gymnasia.
Pani præbendo urbs destinata, II, 10: is olim Orientis principum mos, ut quibus bene cuperent, uxoribus cumprimis (vid. Cic. in Verr., III, 33), assignarent urbium, vel provinciarum etiam vectigalia in necessarios usus.
Parma, XI, 1, scutum breve, pelta tamen majus.
Passus, I, 4; XXIII, 6: his Veteres metiebantur suos lapides et milliaria; faciunt autem 1000 pass. unum lapidem Italicum, 4000 pass. unum mill. Germanicum.
Paterna provincia, cujus præfectus pater fuit, XIV, 1.
Patrimonium, possessiones, XXV, 12.
Patiens, sc. duritiæ et laboris, καρτερικὸς, VII, 1; XV, 3; quo sensu patientia apud Lacedæm. summa laus dicitur, XI, 4; φιλοπονία, XVIII, 1.
Patruelis: a fratre patruele, fragm. III.
Patruus, XVII, 1.
Pausa: quæ pausa erit? qui finis, fragm. XII.
Pedestres exercitus, opp. classiariis, adeoque et equitatum comprehendunt, IX, 1.
Pedisequi omnes Attici aut anagnostæ aut librarii, XXV, 13.
Pellicere aliquem, sc. in suas partes, XVIII, 2.
Pelta, scutum parma brevius, XI, 1.
Peltastæ, XI, 1: sic eos et Statius vocat Theb. 1, 145; Livius et Lactant. peltatos.
Penates, dii domestici, II, 7.
Pendere alicui pecuniam ex fœdere, numerare, XXIII, 7: pendebant Veteres monetas, quas nunc numeramus: inde tot vocabula ponderum in re monetaria mansere.
Per se: si per se virtus ponderanda sit, sine adscititio rerum externarum pretio, sola, VIII, 1; per suos, venia et concessu suorum, XVIII, 10; per senatum, XXIV, 2, propter senatum obstantem.
Peræque, XXV, 13, æqualiter, eodem modo.
Percellere, pervertere, XIV, 6.
Perdita luxuria, extrema, X, 6: intenditur vituperium probrose; perdita impiaque consilia, fragm. V; transfertur hic epitheton ad

ea, quæ sunt in homine, quemadmodum et alibi similia.
Perfectrix beatæ vitæ philosophia, fragm. v.
Periculum, xv, 8 : in foro Romano sensu dicebatur duplici : 1° significabat judicium, quod capitis periculum affert; condemnationem. (Cic. pro Rosc. xxx) : 2° pericula magistratuum dicebantur tabellæ, libelli, in quibus aliquid scribitur, quales sunt codices Pisonis, Verr. I, 46. Priorem significatum huc pertinere non liquet : v. Excurs. in h. l.
Perjurium Deos hominesque alienat, xvii, 2.
Perpetua oratio, continua, xv, 5 : opp. brevitas respondendi, ib.
Perpudescit : quando perpudescet miscenda atque perturbanda repub., fragm. xii.
Persona : personis summorum virorum non satis dignum, conditione et loco eorum, Præf.; persona, significanter, pro viro, cui administrationes publicæ innituntur, xvi, 4.
Pervehi, vii, 4; fragm. vii.
Pervertere civitatem, evertere, vi, 2; mores vetustos, corrumpere, xxii, 3.
Petulans homo, immodestus, procax, xx, 5.
Phalanx, xii, 1; Alex. M. xviii, 8; Laconum, xvi, 4; Macedonum, xviii, 7 : vide descriptum hoc militum agmen ap. Curtium, iii, 2; et quæ ib. Freinsh. notavit.
Pietas, de affectu in necessitudines, xxv, 17, etc.; eadem voce obsequium in patriam notatur, xvii, 4.
Pila lapidea, in qua incisa devotio Alcibiadis, vii, 4 : ex more sc. infamiæ consciscendæ usurpato.
Plaga, pro calamitate, xviii, 5; plagæ, vulnera, xviii, 4.
Plebiscitum, quod plebs sciscit, jubet, ψήφισμα δήμου, iii, 1; vii, 5; xv, 7.
Poeticæ quæstiones Attico propositæ, xxv, 20 : quæ cujusmodi fuerint, docet Wowerius de Polymath. x, 12.
Ponderare, considerare, viii, 1.
Ponere, donum in templo statuere, iv, 1; constituere, existimare, habere, numerare, viii, 1; xxiii, 2; Præf.; deponere, iv, 5.
Populus jubet, de populi decreto et lege, formula δημοκρατική, xv, 7; urbanus populus opp. exercitui, v, 2.
Populares, qui populo student, xii, 3 : δημοκρατικοί, quos Plutarch. in Arato φιλοπολίτας vocat.
Populiscitum, decretum populi, ψήφισμα, iii, 1, etc.
Portæ Ciliciæ, claustra, aditus, xiv, 7.
Possidere, occupare, ii, 6; possessio Siciliæ, imperium, quod ibi obtinetur, xx, 2.
Potestas, imperium, præfectura, ix, 1; omnium rerum, summa imperii, vi, 1; potestatem sui facere, offerre se pugnæ, xvii, 3; potestatem habere cujusvis conditionis, xxv, 12, de eo, cujus matrimonium et affinitas ubique optata.
Præcipere alicui, quid faciendum sit, ei prædicere, de responso oraculi, i, 1.
Præfectus classis, vi, 4; ix, 1 : Gr. ναύαρχος et στολάρχης.
Præfecturæ consulum prætorum-

que, xxv, 6, a consulibus prætoribusque delatæ præfecturæ : erant enim tales præfecturæ in exercitu variæ, ab imperatore deferri solitæ.

Præoccupare alterum, insidiis tollere, x, 4.

Præs, xxv, 6 : publicorum conductores (mancipes) prædes dabant : est adeo præs, qui populo se obligat, et a magistratu interrogatur, in publicum ut præstet ; inde, quum respondet, dicitur præs. V. Brisson. formul. vi.

Prætor, ii, 2; 3, 2; xxiii, 7, etc. Intelliguntur his locis magistratus militares, στρατηγοὶ, quos recte Latini prætores vocant : ita enim, teste Asconio, comm. in Verr. iii, 14, vocatur, qui exercitum ducit.

Preces Deorum expetere, fragm. xii.

Premere adversarium, vexare, instare, xiv, 7; xxiii, 11 : est venatorium verbum, quum ita urgetur bestia, ut nulla elabendi amplius copia sit : inde ad militiam ; per metaph. vero et ad disput. transfertur, quemadmodum non semel Cic. usus est.

Princeps, primus, præcipuus, viii, 1; xiv, 5; v, 3; auctor rei alicujus, xxv, 8; cum nota potestatis et officii, i, 2; optimates, xxv, 16.

Principatus, non imperii, sed auctoritatis præcipuus in civitate locus, v, 2.

Principia, castrorum sc., xviii, 7, locus castrorum, ubi tendebant duces, tribuni, etc.; ubi jus dictum, signa asservata, altaria culta.

Privatus, oppon. magistratibus et qui sunt cum imperio domi militiæque, vii, 3; xii, 4; xv, 7, etc.

Privignus, vii, 2; xxv, 19.

Probare auctorem, ei potissimum credere, ii, 10.

Probabilis orator, xxiv, 3, non omnino contemnendus : cf. Cic. Brut. lxxxv, etc.

Procacitas hominis, audax petulantia in incessendo, xx, 5.

Procellæ civiles, bella, discordiæ, xxv, 10.

Producere, prorogare, xxv, 21 ; elicere, xxiii, 5.

Projecta hasta, porrecta advers. incurrentem, xii, 1.

Proinde ac si, pro, perinde ac si, vi, 24 vii, 6.

Propagines clarorum virorum, xxv, 18.

In propatulo, in loco aperto et ad conspectum exposito, xxiii, 9 : integre Cic. Verr. iv, 49, in propatulo loco.

Proprius, vi, 1, de eo, qui deditus obstrictusque alicui, factionem ejus et nutum se secuturum promittit; non propria munera, viii, 4, non diutina, veluti nil solidæ possessionis ob invidiam habentia.

Proscriptio equitum, xxv, 10 : intelligitur hic crudele illud flagitium, quo dominationi firmandæ civium clarissimorum capita et bona, hæc quidem hastæ subjecta, illa autem libidini et suppliciis publice exposita ad promiscuas neces destinabantur, propositis publicis edictis. Primus sceleris auctor Sylla, testibus Velleio et Floro. Scilicet id agebant tyranni, ut quos acies et civile bellum non absumpserat,

proscriptione intercidereat, securiorique, demotis optimis quibusque, dominatu ipsi uterentur.

Προσκυνεῖν, IX 3 : veneratio Persarum regibus delata hoc vocabulo exprimebatur; ratio ista : divinum aliquid regi suo tribuebant, εἰκόνα θεοῦ interpretantes, ut est ap. Plutarch.; igitur honorem quoque divinum habuerunt, unde τὸ προσκυνεῖν, adorare, translatum. Noster per venerari ibidem expressit, scilicet non capite tantum flexo, submissisque genibus, sed prostrato humi corpore.

Prudentia militaris comparata fortunæ, VIII, 1; prudentia est divinatio quædam, XXV, 16.

Publicare bona, VII, 4; VIII, 1; XXIII, 7, publico, vel fisco vindicare.

Pullulare cœpit luxuria, XXIV, 2; metaphora ab arborum pullis.

Pulvinar Paci institutum, XIII, 2 : inter honores divinos pulvinaria fuisse, id quidem satis constat; de significatu vero non consentiunt : Lambinus lectulos, in quibus Deorum statuæ collocarentur, exponit; sane plerique aut pro lectulis in templo stratis, aut pro lecticis apparatis Deorum, accepere. Marcellus Donatus, ad Suet. Cæs. 76, rejectis aliis significationibus, interpretatur pulvinaria, quæ super lectos stratos in templis ad simulacra numinum sublevanda ponebantur.

Pulvinus, XVI, 3.

Purpura violacea, fragm. VIII.

Q.

Quærere, sensu proprio, VII, 5; IX, 2; interrogare, XIV, 4; explorare, XVI, 3; deliberare, XVIII, 9.

Quæstio, pro judiciali cognitione et disceptatione, VII, 4.

Quæstor consuli sorte obtigit, XXIV, 1 : nam consulibus aut prætoribus, exeuntibus in bellum et provincias, quæstores additi, qui ex eo provinciales appellantur; additi autem plerumque sorte, quum juberet senatus, ut in sortem provincias conjicerent. Sigon. de ant. jur. prov. II, 3.

Querimonia, offensiuncula, contentio, XXV, 17.

Quidam, IV, 4; V, 1; XV, V; XX, 5 : additur hoc pronomen nominibus propriis eleganter, interdum designandi causa, interdum contemptim, ut in ultimo exemplo : aliquando, quasi de ignotiore, obscuro, aut obiter memorato accipiendum videtur.

Quies, ἀπραγμοσύνη, quando bello et partibus abstinemus, XXV, 7; sic quietus, qui est neutrarum partium, XVI, 4.

Quiescere, dormire, VII, 10; omittere, desistere, VII, 4; pacem agitare, arma interim non movere, XVII, 5.

Quotidianus victus, in dies singulos præberi solitus, XVIII, 12; cultus, XXV, 14; sumptus, X, 7.

R.

Radices montis, ima montis, I, 5.

Ratio, sententia, consilium, I, 3; XXIII, 10; ratio temeraria, de modo et via agendi, XIII, 3; quorum ratio nisi explicata fuerit, etc., XIV, 1 : notatur hic accuratior expositio circumstantiarum, quas vulgo appellant.

Recreare aliquem, reficere, semia-

nimem sanitati restituere, refocillare, xviii, 4; Siciliam, in integrum restituere, sc. depulsa servitute, xx, 4.
Recuperare aliquem, liberare ex vinculis hostium, xvi, 5; rarius de personis occurrit; adolescentulos, ex transfugio retrahere, xvii, 6; patriam, restitui in patriam ab exilio, xvi, 2.
Redimere ab Acherunte, x, 10; Cicero dixit excitare ex Acherunte, post redit. in senat.
Regnum, μοναρχία, imperium unius, xx, 3; tyrannis, xx, 1.
Relegare ad aliquod volumen, xxiv, 3, amandare ad librum aliquem.
Religio, jurisjurandi scil. vel obligatio per jusjurandum facta, x, 8; xvii, 2; veneratio rerum religiosarum, xvii, 4; religionem minuere, majus ἱεροσυλία scelus, xvii, 4: significat hic religio ipsam sanctitatem, placita, instituta religionis.
Reminisci, recordari, xix, 4; excogitare, vii, 2; perpendere post factum, quid factum sit, xiv, 5.
Repentina vis, tumultus, seditio, vii, 3.
Repere, opp. ire, de viarum angustiis, xxiii, 3.
Reperire, Aristoteli ἐξευρίσκειν, de consilio feliciter prompteque invento, ii, 1.
Reprimere regios spiritus, præfidentiam, ferociam tyranni opinione potentiæ conceptam contundere, x, 5.
Repugnare victoriæ patriæ, repudiare ejus obtinendæ consilia, vii, 8.
Res Græcæ, xxiv, 3; Italicæ, ib.; Persicæ, ix, 5; Romanæ, fragm. iii; memoria rerum Græcarum, etc.; res militaris, 1, 8; iii, 2. omne circa bella gerenda negotium ac scientia comprehenditur; habet et publicæ administrationis operisque significationem hæc vox, ut res gerere in Afr., xxiii, 7; rerum summa; imperium summum ac potestas, xviii, 5; etiam τὴν πολιτείαν notat, ut in illo, res constituere, i, 2; res divina, de sacris et immolatione hostiarum, xxiii, 2, domesticæ res, vires bellicæ, xxiii, 10; res exiles, calamitosæ, xviii, 5; respublica, pro administratione reipubl., x, 6; xxiv, 2.
Resacrare, vii, 6, est religione devotionis solvere, exsecrationem in alicujus caput factam irritam declarare.
Respicere aliquid, considerare, i, 8.
Respondere, causam dicere in judicio, xv, 8.
Retrahere ab interitu, xv, 8.
Rex, ἁπλῶς, pro rege Persarum, xvii, 2, et alibi: scil. Persarum, et postea Parthorum reges non solum a suis, sed etiam a Græcis et Rom. scriptoribus, ob potentiam et imperii amplitudinem, nunc μεγάλου βασιλέως, et magni regis, nunc absolute βασιλέως, et regis titulo insigniebantur.
Rhapsodia secunda Homeri, x, 6; liber secundus Iliad. Homeri: nam ita vocantur ejus poetæ libri.
Rhetor Atticus, de legato, xv, 6.
Robur libertatis, vires ad reparandam libertatem unicæ aut præcipuæ, viii, 2.
Rostrum, navis sc., xii, 4.

28

Rusticum prædium, opp. villæ suburbanæ et maritimæ, xxv, 14.

S.

Sacrilegi, qui templorum religionem violant, xvii, 4.
Sacrilegium, de sacris violatis, vii, 6.
Salis plus, quam sumptus habebat tectum, xxv, 13: plerique hic salem pro gratia, venustate, arte accipiunt; satis novi translationem vocabuli, nec libenter tamen credo, Nepotem ita scripsisse: videtur enim mihi, nescio quo modo, inconcinne hic usurpari. Bœcl.
Saltare commode, h. e. concinne apteque ad modos ac numeros, Præf.
Salum, altum mare, undarum et fluctuum plenum, ii, 8.
Sanctitas, integritas, quæ opponitur avaritiæ et crudelitati, vi, 4: hinc sanctæ manus, non pollutæ captandis et acceptandis muneribus provincialium, apud Valer. Max., ii, 2.
Sarmenta, xxiii, 5.
Satellites Medi et Ægyptii, iv, 3: peregrinum hoc satellitium Pausaniæ ad tyrannica instituta pertinet, quod aliquoties tradit in politicis Aristoteles.
Satrapes, vii, 10, etc.: hi sunt, quos alibi principes provinciarum, præfectos, prætores vocari constat; eratque omne Persarum imperium in satrapias divisum.
Scandulis Roma per annos 470 contecta, fragm. x.
Scena, pro ludis scenicis, Præf.
Scienter, perite atque ex arte, Præf.
Scribæ, xviii, 1, apud Romanos mercenarii, apud Græcos honorati, ib.; loquitur autem Nepos de ejusmodi scribis, qui hodie *secretarii* in magnarum potestatum consiliis habentur.
Scriptitare res Romanas, scribere historiam Rom., fragm. iii.
Scrutari aliquem, ante colloquium sc., xiv, 11.
Scytala, σκυτάλη, iv, 3; clandestinæ litteræ. Erat autem scytala lignum rotundum, lævigatum, oblongum; ejusmodi duo habere soliti sunt Lacones: alterum, quod sibi servarent Ephori, alterum, quod imperatori daretur abeunti. Illi igitur quoties huic mandare quid vellent, obvolvebant lorum album, in eoque scribebant, quod revolutum deinceps tabellario tradebatur: id hoc consilio fiebat, ne, qui perferebat, legere scripta posset; imperator autem, circumplicato circa scytalam loro, sententiam scripti facile cognoscebat.
Sella aurea, inter insignia regia, xviii, 7.
Senatus datur legatis, xxiii, 7: admittuntur ad senatus audientiam legati.
Senescere, metaph. de potentia decrescente, vii, 5.
Sensus, consilium, propositum, x, 8; ingenium, propensio, studium, vii, 5.
Separatis temporibus, repetitis vicibus, xviii, 10.
Septemtriones, i, 1.
Sertæ loricæ, ex annulis ferreis inter se nexis consertæ, xi, 1.
Sessores, incolæ, v, 2.
Sestertium centum millia, 2500 Philippici, xxv, 8.
Sidere, de nave, quæ mergi incipit, xii, 4.

Signatus liber, vi, 4; epistola signata, xvi, 3; de ratione obsignandi libros et epistolas vide Salmas. et Herald. in scriptis adversariis.
Signum, quo sc. epistolæ obsignantur, iv, 4.
Sola loca, deserta, xviii, 8.
Solitudo, tribuitur ei, qui paucos secum habet, viii, 2.
Solvere epistolam, aperire, inciso lino, quo colligata est, xxiii, 11; alibi dicit Noster vincula epist. laxare, iv, 4.
Sopor, soporiferum medicamentum, x, 2.
Sortis necessitudo, collegium sorte datum intelligitur, xxiv, 1.
Sparum vel sparus, xv, 9; vile genus teli fuisse satis constat: cetera diverse traduntur.
Splendidus, non sumptuosus, studens decoro vitæ cultui, sed absque profusione, xxv, 13.
Splendor vitæ, cultus morisque cum gravitate, elegantia, vii, 11.
Sponsalia, pro ipsa desponsatione, xxv, 20.
Sponsor omnium rerum, qui fidem suam interponit, in sistendo vadimonio, in facienda versura, xxv, 9.
Stare ab aliquo, pugnare pro aliquo, xiv, 6; pari fastigio in utraque fortuna, gerere se pari modo, xxv, 14; stat mihi, decretum est mihi, xxv, 21.
Statura corporis, xiv, 9; xvii, 8.
Status, corporis habitus, xii, 1; status vitæ, mos vivendi et disciplina, x, 4.
Stipendium primum meruit, xxiv, 1: militiæ initium not. Numero enim stipendiorum Romani annos militiæ signabant.
Stipulatio, in credenda sc. pecunia. Est enim stipulatio (solemnis ad interrogata promissio) vinculum omnium obligationum adstringendarum, ut ait Brisson.
Stirps, domus, familia, xxi, 2; liberi, xv, 10; genus, xviii, 1.
Stramenta, xvii, 8.
Strategemata, 1, 5; xviii, 5 et 9; xxiii, 5 et 10.
Stratum, super quo accumbitur, xvii, 8.
Studia gentis, mores et consuetudines, vii, 11
Subalare telum, quod sub alis gestatur, vii, 10.
Subjicere librum, supponere epistolam in locum alterius, vi, 4.
Subornare, xix, 2, occulte aliquem instruere.
Suscribere, xxv, 6, assensum nomine suscripto testificari, juvare accusationem.
Substringere caput loro, xviii, 5.
Subtexere originem familiæ, xxv, 18.
Suburbana villa, xxv, 14.
Suffragari, vii, 5; xvii, 1: de commendatione, qua primates et gratiosi viri alicujus patrocinium suscipiunt, partes tuentur, aut dignitatem alicui conciliant; unde suffragatores προσήγοροι Græcis et συνήγοροι, qui aliis suffragationem suam ap. principem commodant.
Summa, substantive, xvi, 5; xiv, 3; xv, 3.
Supellex modica, non multa, ut in neutram partem conspici posset, xxv, 13.
Supplex, qui se in fidem alicui tradidit, ii, 8; qui confugit in templum et asylum, iv, 4.
Supprimere classem, sustinere, reprimere, ἐπέχειν, xiii, 3.

Symposium Platonis, vii, 2.

T.

Tabellarius cum caduceo, κῆρυξ, xxiii, 11.
Taciturna obstinatio, pertinacia in tacendo, xxv, 22.
Talenta quinque, 3000 coronati, xv, 4; sumpto sc. talento Attico communi, quod plerumque intelligi solet nuda nominatione talenti, pro 60 minis, s. 600 coronatis s. scutatis; aliud (majus) putant 80 minis constitisse, 800 scutatis; vide Gronov. de pec. vet. iii, 3.
Talis vir, cum nota excellentiæ, ii, 10; sic talis tamque clarus vir, iv, 3.
Tantum quod, pro simul ac, xiv, 6.
Tardiores fore hostes, ex præfidentibus cautiores, et pro impetu curam usurpaturos, i, 4.
Telum, pro gladio, xiv, 11; x, 9.
Temporius discumbere, maturius, fragm. vi.
Tempus longinquius, ii, 4; tempus, occasio, vii, 8, et alibi; tempus turbidum, de civili tumultu et cæde, xvi, 4.
Tenasmus s. tenesmus, τεινασμὸς, morbi genus in difficili irritoque egerendi conatu, xxv, 21.
Tenues honores, non magno sumptu constantes, i, 6.
Ter ante separatis temporibus, tribus vicibus, xviii, 10.
Testamento adoptare aliquem, xxv, 5.
Testari, ἐμφατικῶς, asseverare, ii, 4.
Testarum suffragia, ii, 8; v, 3; iii, 1; de ostracismo, s. exilio decennali testularum, quæ Græcis ὄστρακα, suffragiis (i. e. inscripto testis multandi nomine) illis irrogato, quorum Athenis potentia nimia videbatur, et hoc pacto ad democraticæ æqualitatis statum contemperanda; v. Plut. in Aristide et Them. Testa trita lineæ primum coloratæ a pictoribus, fragm. x.
Testatior memoria, ad famam insignior, et per monumenta notior, vii, 4.
Testudines, i, 7, instrumentum πολιορκητικὸν, de cujus usu figuraque vid. Lips. poliorc. i, 8; alia est testudo, scutis militum fieri solita.
Timidi (h. l. providi, cauti) mater non solet flere, viii, 2.
Titubare, animi pendere, incertum esse, quid agendum, xviii, 9.
Tollere reges, abrogare eorum potestatem, vi, 3.
Torques, xiv, 3, Persarum moribus inter insignia regia; interim non modo aureus torques, sed armillæ aureæ, acinaces, etc., inter honores satrapis a rege concessos, et præmia benevolentiæ regiæ. Vide Brisson. de regn. Pers. l. i.
Tractus arborum, longa series, sive arbores passim ac longo ordine positæ, i, 5.
Tribunus pl., xxv, 2; militum, xxi, 1.
Triclinium, fragm. vi; triclinia argentea olim Romæ rara, ib.; tricliniaria sc. vestimenta, ib.
Trimestres induciæ, xvii, 2.
Tripus aureus Delphis positus, iv, 1.
Tristis, morosior, difficilior, xv, 2.
Triumphus Sardiniensis, ex devicta Sardinia, xxiv, 1.
Triumvir reipubl. constituendæ, xxv, 12: hoc titulo dominatio-

nis consilia tegebant Octavius, Antonius, Lepidus.
Tropæum, structa armorum congerie adornari solitum post victoriam, in loco prælii, xiv, 8; tropæum Marathonium, metonymice, pro victoria Marathonia, ii, 5.
Tuba revocare milites, xii, 1.
Tumultus tam propinquus tamque magnus, de bello, quod Darius Atheniensibus inferebat, copiis suis in campum Marathona deductis, i, 4.
Turdi quando saginari cœpti, frag. x.
Tutela: in tutelam suam pervenire, xviii, 2, ad pubertatem adeoque αὐτονομίαν pervenire.
Tyrannus, bono sensu, i, 8: is, qui in libera civitate potestate est perpetua; frequentius in malam partem usurpatur, x, 1 et 7; xx, 1; xvi, 5, etc.
Tyrannis, x, 1; i, 8; vii, 7; xx, 2, etc.

U.

Ultimus, primus, xxv, 1.
Ultro appetitur, qui habet, i. e. ditioribus non diu quærendi sunt amici, sed sponte se offerunt, fragm. v.
Undecemviri, xix, 4; erant οἱ ἕνδεκα judices, quibus cura carceris et suppliciorum demandata.
Urbs, de insula, i, 2.
Utique, certe, xv, 2; et uti, frag. xii.
Utraque fortuna, secunda et adversa, xxv, 14.
Utres ad hanc rem conficiendam imperavit quam plurimos, xviii, 8.
Utrobique, et terra et mari, xxiii, 10.

V.

Vacatio ætatis, xxv, 7, excusatio sexagenarii a stipendiorum obligatione.
Vacuefacere insulam, ejectis scil. incolis, 5, 2; vacuefactæ possessiones, desertæ, bello vastatæ, xx, 3.
Vadimonium, est sponsio, ad certum diem se sistendi in judicio, vel per se, vel per procuratorem: quam qui implebant, obire s. sistere vadimonium dicebantur, xxv, 9; vadimonium imponere, vadari aliquem, sc. ad promittendum datis vadibus adigere, certa die in judicio se adfuturum, xx, 5.
Vagina nudare telum, iv, 11.
Valvæ ædis, iv, 5.
Varius, virtutibus et vitiis, tanquam contrariis coloribus, distinctus, iv, 1.
Vates, de Cicerone futura præcinente, xxv, 16.
Vela ventis dare, xxiii, 8.
Venari fortiter, inter Persarum instituta, vii, 11.
Venditare se florentibus, apud florentes cum ostentatione et jactantia prompti animi operam suam s. offerre, s. præstare, s. ingerere, xxv, 11.
Venerari, stricte sumpta voce, προσκυνεῖν ita Latine redditur, ix, 3.
Venereus, 7, 11.
Ventitare ad comitia amicorum, xxv, 4.
Venundari, tanquam mancipium, x, 2.
Verberando necatus est, de Manlio, fragm. i.
Verbo, oppon. reipsa, quum aliud simulatur, aliud fit, xix, 3.
Verbosiores epistolæ, prolixiores, xxv, 20.

Versuram facere, xxv, 2, æs alienum ex ære alieno solvere.
Versus: multa millia versuum, xv, 4; versus h. l. sunt lineæ, quas vocamus: harum numero metiri libros solebant, eumque in ultima cera adscribebant.
Vertens annus, totus, xvii, 4.
Vesperascente cœlo, xvi, 2.
Vestis Medica, iv, 3, quam a Medis Persæ habuere.
Veterani milites, xviii, 10; eorum licentia et insolentia, xviii, 8.
Victor Olympiæ, ὀλυμπιονίκης, Præf.
Victus et vita distinguuntur, ut hæc exteriorem inter homines et in publico consuetudinem, ille interioris et familiaris vitæ instrumenta, domumque ac mensam innuat, viii, 1.
Vigere: qui paulo ante victores viguerant, vii, 5; cum amplificatione et elogio effertur, quod simpliciter dixisset, victores fuerant.
Vigiliæ, xviii, 9; viii, 4.
Villa sumptuosa, suburbana, maritima, xxv, 14.
Vineæ, i, 7, instrumentum in oppugnandis urbibus, accessibus serviens, quos tegit.
Violacea purpura vigebat, erat in pretio, frequens. viii.
Virilis sexus, pro filio, xvii, 1.
Viritim lecti milites, iv, 1.
Vitulina caro inter opsonia refertur, xvii, 8.
Volumen, ita librum suum vocat auctor, Præfat.; xxiii, 13; xxv, 8.
Voti damnatus, compos, xx, 5.
Vulnus, x, 6; xiv, 6: frequentissime dolor et luctus, quem parentes liberique invicem ex calamitatibus ac mortibus liberorum, parentum ac proximorum percipiunt, vulneribus comparantur.

NOTICE

DES PRINCIPALES ÉDITIONS ET TRADUCTIONS

DE

CORNELIUS NEPOS,

PAR M. BARBIER,

ADMINISTRATEUR DES BIBLIOTHÈQUES PARTICULIÈRES DU ROI
ET BIBLIOTHÉCAIRE DU CONSEIL D'ÉTAT.

AVERTISSEMENT.

On a pu voir, dans la Notice Bibliographique sur Tacite, que je cherchais à donner, sur les traductions françaises des classiques anciens, certains détails ignorés ou négligés jusqu'à ce jour. Il me semble que l'on trouvera, dans la notice des traductions françaises de Cornelius Nepos, des renseignements qui méritent quelque attention. J'ai eu au moins la satisfaction d'y redresser des erreurs reproduites plusieurs fois dans des ouvrages d'ailleurs très-estimables.

PRINCIPALES ÉDITIONS

DE

CORNELIUS NEPOS.

1471. *Venetiis, per M. Nicolaum Jenson*, gr. in-4°.
Æmilius Probus (CORNELIUS NEPOS) de virorum excellentium vita.

Cette première édition a été reproduite par le même imprimeur, en 1473 et en 1476.

1522. *Venetiis, in ædibus Aldi et Andreæ Asulani*, in-8°.
Æmilii Probi (CORNELII NEPOTIS) vitæ externorum imperatorum (una cum *Justino*.)

1569. *Lutetiæ, apud Benenatum*, in-4°.
CORNELII NEPOTIS seu Æmilii Probi liber de vita excellentium imperatorum, a Dionysio *Lambino* pluribus locis emendatus et commentariis explicatus.

1640. *Argentorati, apud Frid. Sporium*, in-8°.
CORNELII NEPOTIS, vulgo Æmilii Probi, de excellentibus viris quæ extant, cura Henr. *Bœcleri*.

Une 3ᵉ édition plus correcte parut en 1648.

1675. *Jenæ, apud Christ. Kirchnerum*, in-8°.
CORNELII NEPOTIS, vulgo Æmilii Probi, quæ extant, emendata et illustrata annotationibus ac lucubrationibus secundis J. Andreæ *Bosii*. Acce-

dunt seorsim notæ Henr. *Ernstii*, et liber commentarius J. H. *Bæcleri*.

1675. *Parisiis, apud Frid. Leonard*, in-4°.

CORNELIUS NEPOS de vita excellentium imperatorum. Interpretatione et notis illustravit Nicolaus *Courtin*, in usum Delphini.

Cette édition a été réimprimée à Londres en 1691, 1720, 1729, 1773, 1780 et 1786, in-8°.

1675. *Lugduni Batavorum*, in-8°.

CORNELII NEPOTIS vitæ excellentium imperat. cum notis variorum, accurante Roberto *Keuchenio*.

Cette édition est plus estimée que les précédentes de 1658 et de 1667.

1715. *Londini, apud Tonson et Watts*, in-12.

CORNELII NEPOTIS excellentium imperatorum vitæ, curante Mich. *Maittaire*.

1720. *Patavii, excudebat Jos. Cominus*, in-8°.

CORNELII NEPOTIS quæ extant omnia, curantibus *Vulpiis* (præcipue Josepho Antonio).

Réimprimé en 1721, 1727 et 1733. Ces quatre éditions sont estimées.

1726. *Parisiis, Brocas*, in-18.

CORNELII NEPOTIS de vita excellentium imperatorum, editio novissima, notis gallicis adornata, monitisque cum politicis, tum moralibus, opera L. A. *de Préfontaine*.

Cette édition a été souvent réimprimée, notamment en 1739, en 1754, en 1761 et en 1779. Le libraire J. Barbou la reproduisit en 1772 et en 1788; mais il en ôta les *réflexions politiques et morales* de M. de Préfontaine : il mit à la fin du vol. une table géographique des lieux principaux dont il est parlé dans Cornelius Nepos. On se sert encore de cette édition dans beaucoup de colléges. M. Delalain, successeur de Barbou, l'a reproduite en 1809.

Je cite ici l'édition de M. de Préfontaine, 1° parce que jusqu'à ce jour elle n'a été indiquée dans aucune notice des éditions de Cornelius

Népos ; 2° parce qu'elle m'a dirigé dans mes conjectures sur le nom de l'auteur d'une traduction française anonyme du même historien: *v.* ci-après.

1734. *Lugduni Batavorum*, in-8°.
CORNELII NEPOTIS vitæ excellentium imperatorum cum integris notis Jani *Gebhardi*, Henr. *Ernstii*, J. Andr. *Bosii*, et selectis variorum auctorum; accessit index locupletissimus omnium vocabulorum, studio et opera *Bosii*, curante Augustino *Van Staveren*, qui et suas notas addidit.

1745. *Parisiis, David*, in-12.
CORNELIUS NEPOS de vita excellentium imperatorum, ex recognitione Steph. Andreæ *Philippe*.

Cette édition a été reproduite chez Barbou, en 1754, en 1767, et en 1784.

1746. *Berolini, Haude*, in-8°.
CORNELII NEPOTIS vitæ excellentium imperatorum; accedit versio Gallica; curante J. P. *Millero*.

Voyez ci-après les traductions françaises, sous la même date.

1747. *Isenaci et Lipsiæ, apud Christ. Krugium*, in-8°.
CORNELII NEPOTIS de vita excellentium imperatorum liber cum amissorum operum fragmentis, sola vetustiss. exemplarium fide recensitus, perpetuisque emendationibus criticis emendatus a Jo. Mich. *Heusingero*.

1759. *Lipsiæ*, in-8°.
CORNELII NEPOTIS vitæ excellentium imperatorum, ex recensione J. A. *Bosii;* varias lectiones et præfationem addidit J. Frid. *Fischerus*.

Réimprimé en 1768.

1761. *Glasguæ*, *Foulis*, in-12.

CORNELII NEPOTIS excellentium imperatorum vitæ.

Les Foulis avaient publié en 1749 une première *édition* de cet auteur ; ils en donnèrent une 3e en 1771.

1774. *Erlangæ, ex officina Waltheria*, in-8°.

CORNELII NEPOTIS vitæ excellentium imperatorum, cum animadversionibus partim criticis, partim historicis Aug. *Van Staveren*, cura Theoph. Christoph. *Harless*, qui et suas et J. *Kappii* notas adjecit.

1779. *Bernæ et Lausannæ*, in-8°.

Collectio nova classicorum Romæ antiquæ scriptorum; tomus primus, quo continentur CORNELII NEPOTIS vitæ excellentium imperatorum, cum notis lectissimis. Curavit J. S. *Ith.*, Biblioth. reipubl. præfectus.

1782. *Biponti*, in-8°.

CORNELII NEPOTIS vitæ excellentium imperatorum, ad optimas editiones collatæ; præmittuntur vita a G. J. *Vossio* scripta et notitia litteraria. Accedunt indices, studiis societatis *Bipontinæ*.

Réimprimé en 1788.

1796. *Parisiis, apud Renouard*, 2 vol. in-18.

CORNELII NEPOTIS vitæ excellentium imperatorum.

1799. *Parmæ, Bodoni*, in-4°.

CORNELII NEPOTIS vitæ excellentium imperatorum.

1801. *Lignitii*, 2 vol. in-8°.

CORNELII NEPOTIS vitæ, etc., ex recensione *Bosii*, cum additionibus Jo. Christ. Frid. *Wetzel*.

1804. *Gottingæ*, sumptibus Henr. Dieterich, 2 vol. in-8°.

CORNELII NEPOTIS excellentium imperatorum vitæ, prooemio, chronologia et indice rerum instructæ a Carolo Henrico Tzschucke.

L'Éditeur avait publié une première édition à *Leipsick*, 1791 in-12.

1804. *Lipsiæ*, in-8°.

CORNELII NEPOTIS vitæ excellentium imperatorum; curavit, notis et indice illustravit C. H. *Paufler*. (*Les notes sont en allemand.*)

1806. *Lipsiæ, in libraria Weidmannia*, in-8°.

CORNELII NEPOTIS vitæ excellentium imperatorum, cum animadversionibus J. A. *Bosii*; varias lectiones, notas et præfationem addidit J. F. *Fischerus*.

J. F. *Fischer* avait donné en 1759 une édition de *Cornelius Nepos*, qui était une réimpression de la seconde édition de J. A. Bos, avec un recueil de variantes, tirées des éditions existantes de son temps, sans le secours de manuscrits. L'édition de 1806, soignée par un anonyme (Théophile Christophe *Harless*) est une répétition de celle de 1759, augmentée de notes laissées par *Fischer*, qui n'avait cessé de préparer des matériaux pour une nouvelle impression. L'éditeur en a encore ajouté d'autres, en se servant principalement de l'édition de *Van Staveren* et de toutes celles qui ont paru depuis *Fischer*.

Cette édition est très-belle, sur papier fin. Elle ne remplace pas celle de *Van Staveren*, que les savants préfèrent comme étant plus complète. (Note tirée en grande partie du *Répertoire de littérature ancienne*, par M. Fréd. Schoell. Paris, 1808, in-8°, t. 1, p. 233.)

On trouve dans l'*Onomasticon* de Saxius, t. Ier, p. 150, un précis de la dispute qui s'est élevée, de 1744 à 1766, au sujet de Cornelius Nepos, entre *Staveren*, l'un de ses meilleurs éditeurs, et les deux *Heusinger*, oncle et neveu. Voyez aussi les articles *Heusinger*, dans la *Biographie universelle*.

1807. *Mediolani, per Aloysium Mussium*, in-fol.

CORNELII NEPOTIS quæ extant omnia.

Cette édition passe assez généralement pour être très-correcte.

1820. *Stutgardiæ*, 2 vol. in-8°.

CORNELII NEPOTIS quæ extant, cum animadversionibus Aug. *Van Staveren*. Editio nova auctior, curante Guil. Henr. BARDILI, aa. ll. m. eccl. Uracensis diacono.

TRADUCTIONS FRANÇAISES.

1568. *Paris*, *L'huillier*, in-4°.

Les vies des plus grands, plus vertueux et plus excellents capitaines et personnages grecs et barbares, faites par ÆMILIUS PROBUS, et traduites du latin par Bernard *Girard*, sieur *du Haillan*.

J. A. Fabricius, dans sa *Bibliothèque latine*, attribue faussement à Du Pinet une traduction française de Cornelius Nepos. Il renvoie aux notes de P. Colomiez sur Gyraldi, dans l'édition de ce dernier, publiée à Leyde en 1696, 2 vol. in-fol.; mais, à l'endroit cité, on voit que Colomiez parle dans la même note de la vie d'Atticus, par Cornelius Nepos, et de la traduction de Pline, par Antoine du Pinet; c'est cette dernière qu'il taxe d'infidélité. La méprise de Fabricius a été reproduite par Jordan, dans son *Essai sur la version des auteurs latins*. V. *la Bibliothèque Germanique*, t. 47. On la retrouve aussi dans l'édition de Fabricius, donnée par Ernesti, et dans la *notice littéraire* des *Deux-Ponts* sur Cornelius Nepos.

1654. *Paris*, *Florentin Lambert*, pet. in-12 de 187 p.

Les vies des grands capitaines de la Grèce, de CORNELIUS NEPOS, traduites en français avec le latin à côté, première édition.

Ce n'est que la moitié de Cornelius Nepos; car la vie de Timothée termine ce volume, qui est très-rare : l'exemplaire que j'ai sous les yeux est le seul que j'aie vu; l'épître dédicatoire, signée *H. C. de Foix*, est adressée à la marquise de Senecey, dame d'honneur de la reine Anne d'Autriche. Le jeune écrivain y épuise toutes les formules de la flatterie : ce sont des prémices, dit-il, qu'il porte à l'autel. Au reste, H. C. de Foix n'est qu'un prête-nom; la traduction dont il fait hommage à madame de Senecey

est celle du père Vignancour, jésuite. La seconde édition, qui est la première complète, a été publiée sous ce titre :

Les vies des grands capitaines de la Grèce, de Cornelius Nepos, traduites en français par le P. J. V. (J. *Vignancour*), de la Compagnie de Jésus, seconde édition. *Paris*, *Florentin Lambert*, 1656, in-8°.

La troisième édition, 1656, in-12, porte le nom du traducteur. Cette traduction a été souvent réimprimée non-seulement à Paris, mais en diverses villes de France : notamment à *Rouen*, en 1672, à *Limoges*, en 1714; à *Lyon*, en 1753 et en 1759, etc. Elle a donc eu de la vogue pendant plus de cent ans.

1663. *Paris*, *chez Bienfait*, in-12.
Les vies des plus illustres généraux d'armée grecs et romains, traduites du latin de Cornelius Nepos, par le sieur *de Claveret*.

1697. *Paris*, petit in-12.
Les vies des grands capitaines de la Grèce, par Cornelius Nepos, traduction nouvelle par Jean *Henry*.

1703. *Hambourg*, in-8°.
Cornelius Nepos, en latin, en français et en allemand, par Jean Paul *Westhof*.

Ch. Et. Jordan met Westhof au rang des traducteurs français de Cornelius Nepos; il est bien plus probable qu'il a adopté la traduction du P. Vignancour; au reste, je n'ai pu me procurer ce volume. Th. Georgi, dans son *Dictionnaire universel des livres*, en cite une édition de Hambourg, 1748. Mais ce bibliographe allemand cite fort souvent des éditions imaginaires.

1729. *Paris*, *Simart*, in-12.
Les vies des grands capitaines grecs et romains, de Cornelius Nepos, avec les portraits des grands hommes, et des caractères des siècles dans lesquels ils ont vécu, tirés de *Velleius Paterculе*, traduites par M. *le Gras* de l'Oratoire.

1743. *Paris*, *Barbou*, in-12.
Cornelius Nepos, en latin et en français, avec des notes géographiques et historiques.

La *France littéraire* de 1769, et les auteurs d'ouvrages biographiques ou bibliographiques qui l'ont copiée, attribuent à l'abbé Valart cette traduction de Cornelius Nepos, sous la date de l'année 1759.

Cette assertion me paraît peu vraisemblable :

1°. Le Cornelius Nepos latin et français de 1759, est la réimpression pure et simple de la traduction anonyme qui parut en 1743, et dont on trouve un extrait dans l'art. premier des *Jugements sur quelques ouvrages nouveaux*, de l'abbé Desfontaines.

2°. Dans sa *Réponse aux Apologies de la latinité du P. Jouvency*, imprimée en 1767, in-12, l'abbé Valart met Cornelius Nepos au nombre des auteurs dont il compte donner des éditions soignées. Dans le même ouvrage, il indique une correction à faire à un passage de Cornelius Nepos. N'était-ce pas là l'occasion de citer la traduction de cet auteur, s'il l'eût réellement publiée, et de déclarer qu'il avait eu tort de suivre l'ancienne leçon du passage qu'il se proposait de corriger d'après un beau manuscrit de la Bibliothèque du roi ?

3°. L'abbé Paul, qui a publié en 1781, chez Barbou, une nouvelle traduction de Cornelius Nepos, cite la précédente, imprimée chez le même libraire comme l'ouvrage d'un anonyme; or, ne serait-il pas étonnant que M. Barbou eût négligé de dire à M. l'abbé Paul, que l'abbé Valart était l'auteur de la précédente traduction ?

4°. L'abbé Valart a inséré en 1770, à la suite de son édition d'Horace, le catalogue de tous ses ouvrages; et il n'y a pas compris la traduction de Cornelius Nepos.

Je remarquerai ici que M. l'abbé Paul a adopté la correction que l'abbé Valart se proposait de faire dans son édition projetée de Cornelius Nepos.

Elle a rapport au mot *juvencorum*, au lieu de celui de *jumentorum*, que portent les anciennes éditions. V. Vie d'Annibal, c. 5. Valart avait remarqué avec raison que le mot *jumentum* se dit de toute bête de somme, cheval, mulet, âne, chameau et même éléphant. Cependant on avait à traduire les mots *in cornibus jumentorum*, et tous les animaux, indiqués par le mot *jumentum*, n'ont point de cornes. Valart crut qu'il fallait lire *in cornibus juvencorum*, et il eut le plaisir de citer un bon manuscrit à l'appui de sa conjecture.

En comparant cette traduction anonyme de Cornelius Nepos, avec l'édition de cet auteur, donnée pour l'usage des classes en 1726, à Paris, chez Brocas, accompagnée de notes françaises et de réflexions tant politiques que morales, j'ai cru remarquer que l'édition et la traduction venaient de la même main; en effet, la traduction anonyme contient des notes et des réflexions du même genre que l'édition de 1726; elles sont souvent conçues dans les mêmes termes. Les *réflexions* de l'édition classique sont plus détaillées, on en sent la raison; c'est le moyen de toucher la jeunesse. Les *notes historiques et géographiques* de la traduction sont plus nombreuses et plus étendues que dans l'édition; on en sent encore la raison, puisque la traduction convient plus aux maîtres qu'aux écoliers.

L'édition du Cornelius Nepos de 1726 est due à M. de Préfontaine, qui s'était déjà fait connaître par une traduction française d'Eutrope, publiée en 1710 chez Brocas, et par une édition du même auteur, donnée chez le même libraire en 1712, avec des notes françaises. Cette petite édition d'Eutrope se réimprime encore aujourd'hui. La traduction a eu peu de succès, parce qu'elle est assez inexacte et parce qu'elle a été effacée, dès 1717, par celle de l'abbé Lezeau.

L'abbé Desfontaines trouvait la traduction de Cornelius Nepos trop paraphrasée. Les notes sont estimées.

M. de Préfontaine était, en 1726, sous-chantre et chanoine de l'église royale de Vitry-le-Français; on doit croire qu'il mourut vers 1743, car sa traduction de Cornelius Nepos est un ouvrage posthume. V. l'*Avertissement* de la première édition, qui ne se trouve pas dans les suivantes.

Cette traduction a été encore réimprimée en 1771. Il en existe aussi des éditions faites dans l'étranger, notamment à Amsterdam et à Liége.

1746. *Berlin*, *Haude*, petit in-8°.

CORNELIUS NEPOS, en latin et en français, de la traduction du P. *le Gras*.

V. le *Dictionnaire universel des livres*, par Georgi, *Leipsick*, 1742, in-fol., t. 5; et par Heinsius, *Leipsick*, 1793, in-4°, t. 1.

Cette édition a été reproduite en 1756 et en 1775.

1781. *Avignon et Paris*, *Barbou*, in-12.

Vies des grands capitaines de l'antiquité, de CORNELIUS NEPOS, traduction nouvelle, avec des notes, par M. l'abbé *Paul*.

M. Delalain les a réimprimées en 1813, in-12.

1803. *Lyon*, in-12.

CORNELIUS NEPOS, traduction littérale avec des notes, à l'usage des enfants et des jeunes gens, par l'abbé *Paul*.

Réimprimé à *Avignon*, en 1818, pour la troisième ou quatrième fois.

1807. *Paris*, in-8°.

CORNELIUS NEPOS, (traduction nouvelle, par M. *Noël*, inspecteur-général de l'université.)

Cette traduction forme le troisième volume des *Œuvres diverses* de l'abbé de Radonvilliers.

La méprise de Fabricius sur Ant. du Pinet, prétendu traducteur de Cornelius Nepos, se retrouve encore dans la préface de cette nouvelle traduction.

1812. *Lyon*, *Rusand*, in-12.
Vies des grands capitaines, de CORNELIUS NEPOS, traduction nouvelle, par M. Jean-Marie *Bruyset*, imprimeur-libraire.

1656. *Paris*, in-4°.
La vie de Pomponius Atticus, traduite du latin, de CORNELIUS NEPOS, par J. Fr. *Sarasin*, dans le recueil des œuvres de l'auteur.

Réimprimée en 1658, in-12.

TRADUCTIONS ITALIENNES.

1550. *Vinegia*, *Gabriel Giolito de Ferrari*, in-8°.
EMILLIO PROBO degli uomini illustri di Grecia, tradotto per *Remigio Fiorentino*.

Cette traduction a été réimprimée avec soin à Vérone, en 1732, in-8°. On y a ajouté la traduction des vies de M. P. Caton et de T. P. Atticus.

1743. *Venezia*, in-4°.
CORNELIO NIPOTE della vita degli eccellenti comandanti; in volgar toscano recato a riscontro del testo latino, ed illustrato con note di varie maniere per Alessandro M. *Bandiera*, Sanese de' servi di Maria.

Réimprimé en 1771. Il y a une édition de Naples, 1781, in-8°.

TRADUCTIONS ANGLAISES.

1684. *Oxford*, in-8°.
The lives of illustrious men, written in latin by

CORNELIUS NEPOS, and done into english by *Finsch*, *Creech*, and other eminent gentlemen of Oxford.

The fourth edition. *London*, 1723, in-12.

1722. *London*, in-8°.

CORNELII NEPOTIS vitæ excellentium imperatorum, cum versione anglica, notisque anglicis, a Joanne *Clarke*.

Une treizième édition parut en 1784.

1767. *London*, *Baldwin*, in-8°.

CORNELIUS NEPOS's lives of the excellent commanders, etc., by John *Stirling*, D. D.

TRADUCTIONS ALLEMANDES.

1782. *Francfort*, in 8°.

CORNELIUS NEPOS, traduit en allemand par *Bergstrasser*.

Réimprimé en 1789, in-8°, avec des additions. — Nouvelle édition en 1815.

On connaît onze ou douze traductions allemandes de Cornelius Nepos; la meilleure est celle de Bergstrasser. V. l'*Essai d'une histoire littéraire complète des traductions allemandes d'auteurs latins*, par Jean-Frédéric DEGEN; Altemberg, chez Richter, 1794 et 1797, 2 vol. in-8° en allemand.

1804. *Vienne*, in-8°.

CORNELIUS NEPOS, traduit en allemand par Fr. *Frohlich*.

TRADUCTIONS HOLLANDAISES.

1686. *Lieuwerden*, in-8°.

CORNELIUS NEPOS, traduit en hollandais par J. *Hilarides*.

1796. *Amsterdam*, *J. Allart*, in-8°.
Les vies des hommes illustres de CORNELIUS NEPOS, traduites en Hollandais avec des remarques, par E. M. *Engelberts*.

TRADUCTIONS DANOISE ET SUÉDOISE.

1669. *Hafniæ*, in-8°.
CORNELIUS NEPOS danice, interprete Jo. *Dabergio*.

1730. *Holmiæ*, in-8°.
CORNELIUS NEPOS; liber de vitis principum et ducum Græciæ, versus suecice a Jo. *Backstrom*.

Réimprimé en 1744, in-12.

TABULA

RERUM QUÆ HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

EDITORIS præfatio. . . . . Pag. VII

C. Nepotis vita et scripta, ex G. J. Vossio. XI

Notitia litteraria de C. Nepote, ex J. A. Fabricio. xvij

De C. Nepote testimonia et judicia. (Adde Corn. Frontonis Epist. ad M. Aurel. p. 24 sqq. edente Angelo Maio) XXXIV

C. Nepotis præfatio. 1

I. Miltiades. . . . (*Ejus effigies*). . . . . Pag. 5

II. Themistocles. . (*Ejus effigies* p. 5). . . . 20

III. Aristides. 39

IV. Pausanias 44

V. Cimon. 54

VI. Lysander. 62

VII. Alcibiades. . . (*Ejus effigies*). 69

VIII. Thrasybulus. 88

IX. Conon. 95

X. Dion. 102

XI. Iphicrates. 118

XII. Chabrias. 124

XIII. Timotheus. 129

XIV. Datames. 135

XV. Epaminondas 149

XVI. Pelopidas. 164
XVII. Agesilaus. 171
XVIII. Eumenes. 184
XIX. Phocion. 203
XX. Timoleon. 210
XXI. De Regibus. 218
XXII. Hamilcar. 223
XXIII. Hannibal. . . (*Ejus effigies*, p. 69). . . 229
XXIV. Cato. 249
XXV. Atticus.. 256
Cornelii Nepotis fragmenta. 289
Chronologia rerum memorabilium in Cornelio Nepote. 309

Excursus variorum ad Corn. Nepotem. J. H. Schlegel Observationes.

I. De C. Nepotis vita et scriptis. 319
II. De Cornelii scribendi instituto in libris qui supersunt. 324
III. Observationes criticæ et philologicæ. 328
IV. Observationes antiquariæ. 333
V. Observationes historicæ. 338

Excursus J. A. Bosii, A. Van Staveren, aliorum, ad Cornelium Nepotem.

Præfatio, p. 3. *Nulla Lacedæmoni tam est nobilis vidua, quæ non ad scenam eat mercede conducta.* 345
Miltiades, cap. V, p. 13. *Nova arte, vi summa..... namque arbores..... erant stratæ.* 346

Themistocles, VIII, p. 18. *Mira comitas*...... 348
Themistocles, X, p. 37. *Quum se, quæ regi de Græcia opprimenda pollicitus esset, præstare posse desperaret*............... ibid.
Aristides, I, p. 41. *Populiscito*.......... 349
Pausanias, III, p. 49. *Helotes*........... 350
Pausanias, IV, p. 50. *Vincula epistolæ laceravit*. ibid.
Cimon, III, p. 59. *Ostracismum*.......... 351
Lysander, II, p. 65. *Itaque* ***.......... ibid.
Alcibiades, VI, p. 79. *Nisi Olympiæ victoribus*. 352
Alcibiades, XI, p. 86. *Duo maledicentissimi*. . . ibid.
Thrasybulus, I, p. 89. *Vires, vimque pugnantium*. 353
Conon, III, p. 98. προσκυνεῖν............ 354
Dion, II, p. 104. *Ambitione*........... 355
Iphicrates, III, p. 121. *Et animo magno et corpore, imperatoriaque forma, ut ipso aspectu cuivis injiceret admirationem sui*......... 356
Chabrias, I, p. 125. *Projectaque hasta*..... ibid.
Timotheus, IV, p. 133. *Hæc extrema fuit ætas*. 358
Datames, II, p. 136. *A Patroclo interfectum*. . . 359
Datames, X, p. 145. *Fidemque de ea re, more Persarum, dextra dedisset*............ ibid.
Epaminondas, V, p. 156. *Paritur pax bello*. . . 360
Epaminondas, VIII, p. 160. *In periculo*...... 361
Pelopidas, III, p. 167. *Ab Archia hierophante*. . 364
Agesilaus, IV, p. 176. *Tanta modestia*...... 365
Agesilaus, VIII, p. 183. *Nectanabe*........ 366
Eumenes, I, p. 186. *Alteræ equitum alæ*.... ibid.
Eumenes, II, p. 187. *Liberi ejus*......... 367

Eumenes, XI, p. 200. *Quod nunquam cum fortiore sum congressus.* 368
Phocion, IV, p. 209. *Emphyletus.* . . . . ibid.
Timoleon, IV, p. 216. Αὐτοματίας. 369
De Regibus, II, p. 221. *Ex tribus uxoribus.* . . . 370
De Regibus, III, p. 222. *Alexandrea.* . . . . ibid.
Hamilcar, I, p. 223. *Primo Pœnico bello.* 371
Hamilcar, II, p. 225. *Eaque impetrarint.* . . . . ibid.
Hannibal, V, p. 237. *Quo repentino objectu viso.* ibid.
Hannibal, VI, p. 238. *Adversus P. Scipionem.* . 372
Hannibal, VII, p. 240. *Annui bini reges.* . . . . ibid.
Cato, I, p. 249. Ex LIBRO POSTERIORE C. N. . . ibid.
Atticus, p. 256. 373
Atticus, VIII, p. 266. *Sequutum est illud.* 374
Atticus, XII, p. 273. *Qui cum eo complures annos, studio ductus philosophiæ, habitabat.* . . . ibid.
Atticus, XIX, p. 281. *Divi* (*Julii*) *filii.* 375
Atticus, XXII, p. 284. *Ne ad id, quod natura cogeret, ipse quoque sibi accelerare*t. . . . ibid.
C. Nepotis cum Plutarcho comparatio, opus ineditum. 377
Index historicus et geographicus in C. Nepotem. . 387
Index grammaticus in C. Nepotem. 407
Notice des principales éditions de C. Nepos, par M. Barbier, *administrateur des Bibliothèques particulières du roi.* 439

FINIS.

